703147

I/41

II. 1354

703147

703147

in politia signa ad aliud aliqvid significandum ordinata non adversantur sacramentis. Patet. 1. an ita sit. 1. Ioh. 5. 6. ubi Christus dicitur venisse tantum per aqvam, id est, Baptismum, & per sangvinem, id est Sacram Cœnam, non per confirmationem, pœnitentiam, &c. Ergò nova illa qvinqve sigilla adversantur duobus illis sacramentis. 2. Cur ita sit. 1. qvia duo illa sacramenta Deus instituit : Matth. 28. 19. & 26. 24. 26. At qvinqve illa nova sigilla homines instituerunt : Ergò. 2. qvia de sacramentis illis Apostolis mandata dedit. Matth. 28. 19. 20. 1. Cor. 11. 23. sed de novis illis sigillis nunqvam : Ergò, 3. qvia Christus sacramentorum illorum consors factus est. Matth. 3. 13. & seqq. & 26. 24. Sed novorum illorum sigillorum non item : Ergò. 4. qvia sacramẽtum requirit 1. Ut immediatè instituatur à Deo. 2. Ut habeat signum divinitùs ordinatum. 3. Ut habeat verbum promissionis, tanqvam rem signatam. 4. Ut habeat ordinariũ, & perpetuũ usũ in Ecclesia omnib⁹ ej⁹ mẽbris communem : At nova illa sigilla Pontificiorũ requisita illa non habent : Ergò, &c. Correctio. Ergò damnandi sunt Pontificii, qvod nova sacramenta instituant ad aliqvam Dei gratiam obsignandam, qvia ille potest signa gratiæ Dei instituere, qvi eam conferre potest : At Pontificii non possunt hominibus gratiam Dei conferre ut dictum, l. 1. c. 36 th. 20. Ergò. 2. qvia hoc prohibetur. Deut. 12. 32. 3. qvia sacramenta à Christo instituta sufficiũt, qvia illa repræsentant, obsignant, & exhibent nobis totum fœdus novum, id est, Christum

703147

cum omnibus suis beneficiis, n. justificatione adoptione, sanctificatione, & glorificatione.

XXXIX. Quis cultus voluntarius ab haminibus excogitatus, & Deo ingratus, adversatur precationi?

Relativus imaginum usus ille, qvo ad illas, vel coram illis Deus colitur, Additur, relativus: qvia imaginum in cultu Dei usus est duplex: n. absolutus, qvo imago aliqva pro vero DEO habetur, & colitur, ut olim à gentilibus, damonia, homines, & alias creaturas colentibus: & hodiè à pontificiis, imagines Dei, Christi, Angelorum, hominum colentibus: qvi primo præcepto prohibetur: vel relativus, qvo verus Deus colitur, sed per imagines, seu idola colitur, ut olim ab Israelitis per vitulum Deum colentibus, & hodiè à Pontificiis, Deum per imagines varias colentibus: qvi secundo præcepto prohibetur. Obj. Pontif. præcc. Qvamvis, &c. hoc est, nos non imaginem, sed Deum in imagine colimus, ut habent versus:

Nam Deus est qvod imago docet; sed non Deus ipsa:
Hanc videas; sed mente colas, qvod cernis in ipsa.

Ergò relativus imaginum usus non opponitur precationi. Resp. 1. Revera imagines in Papatu adorantur, siqvidem nulla pars est cultus religiosi, qvem imaginibus suis non exhibeat: cultus idolorum in adoratione, & servitute consistit. Adoratio fit capitis apertione, corporis incurvatione, genu flexione, osculatione, &c. servitus vero religiosa idolis exhibetur

tur, cum ornantur auro, argento, gemmis, cum incensa eis offeruntur, cum loco eminentiori collocantur, cum vota illis nuncupantur, cum honorantur peregrinationibus, muneribus, cereis, lampadibus, altaribus, templis, festis, & similibus ceremoniis religiosis. 2. non excusantur ii, qvi se Deum in imagine colere prætendunt: qvia Deus istiusmodi cultum prohibuit, & non adorari vult, nisi in Spiritu. Ioh. 4. 23. Aliqvin hac ratione & Israelitæ se excusare potuissent: non enim tàm amentes erant, ut vitulum aureum, Deum esse crederet; sed Deum in vitulo tanqvam symbolo colere volebant. Observa ergò.

1. Relativus imaginum usus adversatur precationi. Patet. 1. an ita sit ex. 2. mandato: Ne facias tibi, &c. hoc est, precare Deum sine imaginibus. 2. Cur ita sit. 1. qvia precatione adoratur Deus mediante Christo; sed relativo imaginum usu mediante imagine. 2. qvia precatione in veritate adoratur Deus; sed relativo imaginum usu non item. Ioh. 4. 23. 3. qvia immediatam sui invocationem DEUS præcipit. Psal. 50. 15. sed invocationem sui per imagines prohibuit. Refutatio. Ergò errant Pontificii Deum per imagines colentes, & coram imaginibus eum invocantes. Hoc enim est peccatum, & abominatio coram Deo.

2. Deus non est colendus coram imaginibus. Patet. 1. an ita sit ex. 2. mandato. Ne facias, &c. hoc est, ne cole Deum coram imaginibus. 2. cur ita sit. 1. Qvia alium sibi Deum aliqvomodo fingunt præter verum Deum; talem nempe, qvi vult per imaginem repræsen-

703147

tari, & coli. 2. Qvia non tantum diminuerunt gloriam illam, qvam debent Deo deferre; sed etiam vel expressè, vel implicitè partem illius, qvi soli Deo debetur, referunt ad imaginē. 3. Qvia simul etiam authores imaginum honorē qvodam afficiunt, dum authoritatem ipsis tribuunt instituendi cultum, qvæ authoritas est Dei solius, atqve hac ratione ipsum Diabolum colere dicuntur, qvia Diabolus est primarius Author omnis cultꝰ imaginarii. Hinc est qvod hujus peccati gravitatem specialibus phrasibus soleat Scriptura appellare. qvando in sanctione hujus præcepti dicitur odium Dei, & in aliis locis perfidia, scortatio, & violatio fœderis conjugalis. Hinc etiam tàm gravis pœna denunciatur in istud peccatum, sicut in commination e, qvā hoc præceptum sancitur, Deus dicitur visitaturus iniqvitatem hanc in filios, nepotes, & abnepotes in tertiam, & qvartam progeniem. Refutatio. Adversus Pontificiorum idololatriam, qvi sicut idololatriam committunt adversus primum præceptum in invocatione Angelorum & hominum defunctorum, & similibus; sic & adversus istḥoc præceptum secundariam idololatriam exercent. 1. qvod imagines faciant Dei Patris, Filii, & Spiritus S. qvod expressè prohibetur. 2. qvod istas & alias imagines religioso cultu afficiant. 3. qvod cultum, qvem Deo per imaginem deferre volunt, idololatricum efficiunt, dum mediante imagine Deo invito eam obtrudunt. Atqve hæc inter alias justam, & necessariam causam præbet omnibus piis, ab Ecclesia, & cultu Pontificio seperationem faciendi, qvoniam talis cultus

cultus est Deo abominabilis, atqve debet ab omnibus piis in abominatione, & detestatione haberi. Exhortatio. Tàm ad gratiarum actionem erga Deum, qvod liberavit nos ab hac idololatria, qvam ad curam, & cautelam, ne communicemus ullo modo cum istiusmodi idololatricis institutis.

XL. *Qui vocatur relativus imaginum usus, seu cultus Dei coram imaginibus?*

Vocatur idololatria secundo præcepto repugnans. Patet. 1. an ita sit. Exod. 23. 5. Psal. 106. 20. Act. 7. 41. ubi Israelita coram imagine vituli Deum colentes dicuntur altare extruxisse vitulo, vitulum honorasse, vitulo sacrificasse: Ergò cultus Dei coram imaginibus vocatur idololatria. Ratio consequentiæ, qvia vitulum honorare, ei sacrificium offerre est idololatria, seu religiosus idoli, vel imaginis cultus.

XLI. *Differtne hæc idololatria, qvæ secundo præcepto repugnat, ab idololatria, qvæ primo præcepto repugnat c. 4. th. 29.?*

Sic: nam idololatria, qvæ primo præcepto c. 4. th. 29. repugnat est, qva imago Dei loco colitur: idololatria relativa, seu hæc secundo præcepto repugnans est, qva coram idolo verus Deus colitur.

XLII. Patet. 2. Cur cultus Dei coram imaginibus vocatur idololatria: qvia colens

Deum

703147

Deum coram imaginibus: 1. Deum verum mediante imagine colit, contra DEI interdictum. 2. Novum Deum fingit pro objecto, qvi cultu coram imaginibus delectatur. 3. Imagini etiam ipsi cultum religiosum tribuit. Si ergò objicias: Colens Deum coram imagine, non intendit imaginem colere, sed Deum verum in imagine: Ergò cultus Dei coram imagine non est idololatria. Ratio consequentiæ, qvia idololatria est alium præter verum Deum colere. Resp. Conseq. negatur, qvia licet colens Deum coram imagine non intendat peccare in objecto primario, & ultimo, id est, velit colere Deum verum; reipsâ tamen 1. peccat semper in cultū Dei formalem, seu proprium, qvia colit Deum non immediatè; sed mediante imagine. 2. interpretativè. 1. novum Deum pro objecto fingit, qvi cultu coram imaginibus delectatur. 2. imagini etiam ipsi cultum religiosum tribuit. qvi enim Deum per Christum colit, colit etiam Christum: Ergò etiam qvi Deum per imaginem colit, colit etiam imaginem. Ratio consequentiæ, non procedit: qvia idololatria est etiam verum Deum per imagines, seu idola colere, ut dictum th. 41. Instantia. Non eo consilio tribuitur imagini cultus religiosus, ut in imagine cultus ille ultimò terminetur; sed ut per illam etiam ad Deum dirigatur: Ergò imagini non tribuitur cultus religiosus. Resp. Conseq. negatur: qvia nec Deus in Christo eo consilio colitur, ut in Christo cultus ille ultimò terminetur; verum ut per eum etiam ad Deum dirigatur; sed tamen non sequitur propterea

propterea Christum religiosè non coli.

XLIII. *Quid sentis de hâc idololatria, secundo præcepto prohibita, de idolis, de idolothytis, de idolorum propriè dictis monumentis?*

1. Idololatria relativa, qvæ est contra secundum præceptum, æqvè fugienda est, ac idololatria absoluta, qvæ est contra primum præceptū. Patet. 1. an ita sit. Psal. 106. 20. ubi Israelitæ æqvè damnatur ob idololatriā contra secundum præceptum commissam, ac gentes ob idololatriam contra primum præceptum commissam. 2. Cur ita sit: 1. Qvia, ut idololatria, qvæ est contra primum præceptum, pro DEO habet & colit, qvod non est verus Deus; sic interpretativè idololatria, qvæ est contra secundum præceptum pro Deo habet, & colit, qvod non est verus Deus; 1. Qvia verum Deum, qvi cultum coram imaginibus odit, mutat in Deum, qvi talem cultum amat: 2. Qvia colit etiam imaginem, qvia Deum verum colit per eā, ut dictum th. 42. 2. Qvia, ut idololatria pior, sic posterior adversatur præcepto Dei. 3. Qvia proprietates utriusqve idololatriæ hoc svadent: qvas vide in Ravanel. de idolis. Numero. 6. 4. Qvia utraqve idololatria opponitur orationi & precationi. Dehortatio. Fugiamus ergò idololatriam non absolutam tantum, sed & relativā, ob proprietates fugiendas idololatriæ & idololatrarum, qvas notat Ravanellus numero. 5.

703147

2. Idda, seu imagines. 1. Ioh. 5. 21. Idolothyta, seu idolis mactata. 1. Cor. 8. 10. & consequenter qvælibet alia bona idolis dicata, & idolorum omnia propriè dicta monumenta, qvæ scilicet idololatriam in memoriam hominibus revocant (n. altaria in honorem idolorum erecta, loca in qvibus coluntur idola (ut Luci, templa) festa idolis consecrata, candelabra, lucernæ, cereæ, reliqviæ sanctorum, qvas vocant, thus, thuribula, organa, lampades, mōstrantiæ, cruces, vexilla, statuæ, aspersorium, cineres, qvi die cinerum asperguntur, asinus ligneus, qvi in die Palmarum circumducitur, varii ordines, variæ vestitus, cāpanæ, qvibus templa resonant in missarum celebratione, &c.) fugienda sunt. Additur propriè dicta: qvia Reformatis ab initio placuit, qvædam idolorum monimenta retinere, n. campanas, templa (& in illis picturas, loca auriculari confessioni, reliqviis sanctorū, & aliis rebus destinata, gallos, cruces,) vestes, Clericos à laicis distingventes, & ad sacra administranda pertinentes, vasa aurea, & argentea Baptismi, & Eucharistiæ, varios Clericorum proventus, &c. qvod scil. hæc non sint idololatriæ monimenta propriè dicta, sine his enim (inqviunt) nec cultus veri Dei esse potest. Sed meo judicio placere Reformatis id, qvod Deo ab initio placuit, debuisset. Templa, campanæ, vasa, &c. Deo olim à nobis dicata, sed lapsu temporis ab idololatris adempta, & cultu idololatrico pollutæ, si recuperari qveant, iterum vero Dei cultui restitui possunt, & debent; sed templa & alia monita, olim ab idololatris idolis suis consecra-

ta, si adimi eis qveant, non possunt & debent vero Dei cultui dicari, verum perdi prorsus & pollui, juxta DEI mandatum & sanctorum exempla. Tàm inconveniens est, si ista gratificeris Deo, qvæ idolo, qvàm si uxor ista gratificetur marito, qvæ suo scortatori amasio! Patet assertio. 1. an ita sit, ex subiectis locis. 2. Cur ita sit: 1. Qvia harum rerum observatione cultus religiosus imagini, & idolo tribuitur. Volleb. Theol. l. 2. c. 5. can. 9. At cultus religiosus non debet imagini tribui, qvia est idololatria, qvia ideò vocatur cultus Dei coram imaginibus idololatria, secundo præcepto prohibita, qvia cultus ille Dei coram imaginibus interpretativè cultum religiosum imagini tribuit, ut dictum. th. 42. Ergò illa sunt fugienda. 2. Qvia hæc vel perdenda sunt, vel polluenda. Deut. 7. 5. Esai. 30. 22. 1. Cor. 6. 10. 3. Qvia hæc Deus prohibet 2. mandato. 4. Qvia hæc non ornant, sed polluunt verum Dei cultum. 5. Qvia horum observatio (tristi hodierna experientia teste) truculentissimæ persecutionis occasionem idololatris suppeditat. Correctio. Arguendi sunt Pontifici, nec non Lutherani, & Reformati, qvi his valedicere non possunt. Observa porrò distinctè sequentia.

1. Imagines, sive Dei, sive hominum, sanctorum, & Angelorum in templis non sunt ferendæ. Patet. 1. an ita sit ex secundo mandato, & ex. 1. Ioh. 5. 21. 2. Cur ita sit. 1. qvia cultu idololatrico à Pontificiis profanantur, & idololatriæ exercendæ occasionem præbent. 2. qvia mandat Deus. Exod. 23 v.

703147

34. ut idola tollantur, & destruantur, qvæ gentes coluerant: pari igitur ratione abolendæ sunt imagines à Pontificiis olim cultæ, 3. qvia idololatriæ vitandæ causa etiam æneum serpentem, Dei jussu olim factum, Ezechias sustulit. 2. Reg. 18. v. 4. 4. qvia Turcas, & Iudæos offendunt imagines religiosæ in templis collocatæ, & à sacris christianorum eos arcent. 5. qvia, ut Epiphanius, qvi anno 370. vixit, scribit in Epistola ad Iohannem Patriarcham Hierosolymitanum, imagines sive Christi, sive sanctorum in Ecclesia Christi, sunt contra authoritatem scripturarum, contra religionem christianam, scrupulositatem Ecclesiæ, & populis Christi indignæ. Refutatio. Errant Pontificii imagines in templis retinentes, & adorantes; & Lutherani etiam imagines in suis templis ferentes, ut imperitæ plebi res divinas in memoriam revocent. Obj. 1. Olim qvoq; in templo Dei fuerunt imagines. Ergò & jam in templis haberi possunt imagines Dei, Christi & sanctorum. Resp. Nego conseq. ratio est, 1. Qvia non omnia in templis Christianorum sunt retinenda, qvæ olim in tabernaculo & templo Hierosolymitano fuerunt: alias totus Leviticus cultus esset in N. T. revocandus. 2. Qvia imagines, qvæ in templo Dei olim omnibus expositæ fuerunt, brutorum erant, Dei jussu factæ, qvæ nec idololatria fuerunt inqvinatæ, nec exercendæ idololatriæ occasionem Iudæis præbuerunt. Atqvi imagines, qvas in templis suis Lutherani habent, ex mandato Dei non sunt factæ, nec sunt imagines brutorum, sed Dei, & sanctorum, qvæ cultu idololatrico

tico à Pontificiis sunt pollutæ, & occasionem idololatriæ etiamnum præbent. Volcb. pag. 338.

2. Imagines imperitæ multitudini sunt librorum loco: fiqvidem in memoriam revocât Passionem Christi, redemptionem humani generis, & alias utiles historias. Ergò in templis Christianorum sunt tolerandæ. Resp. Nego conseq. ratio est: qvia Deus Ecclesiam suam de salutis misteriis vult erudiri, non per mutas imagines, & idola, qvæ idololatriæ exercendæ occasionem præbent, & in fideles merito offendunt; sed per vivam verbi prædicationem. Unde nuspiam nos jubet oculos ad imagines convertere, sed aures ad verbi præconium. Et, si commodè per imagines, & sculptilia institui posset plebs Ecclesiastica, Iudaico populo Deus hæc adminicula non subtraxisset, præsertim cum populo alioqvin crasso, & carnali plerásqve res spirituales sub typis corporalibus, & sensibilibus proposuerit, & promiserit.

3. In templis Lutheranorum non adorantur imagines religiosæ. Ergò tolerari in iis possunt. Resp. 1. Antecedens simpliciter verum non est: Ab imperita enim plebecula Lutherana, cum capitum apertione, tùm genuum flexione solent honorari: imò à vulgo Pontificio transeunte sæpius adorari testatur experientia. 2. Conseq. qvoqve nego: ratio est: qvia voluit olim Deus aboleri idola gentium, etiam si à Iudæis non adorabantur. Ita nec hodiè in templis tolerandæ essent imagines religiosæ, ut vulgo appellantur, etiam si à Lutheranis non adorarentur; qvia cultu idololatri-

co à

703147

co à Pontificiis sunt inqvinatæ, idololatriæ e
xercendæ occasionem Pontificiis præbent, in
superéqve infideles non sine causa offendun
Hic verò excipiunt Lutherani imaginum Pa
troni. Si ideò abolendæ essent imagines, qvi
cultu idololatrico à Pontificiis sunt inqvinat
sequeretur, Solem, & Lunam qvoqve abole
debere qvia à gentibus religiosè sunt culti. Se
qveretur etiam, templa esse destruenda, qvi
& ipsa olim multiplici idololatria sunt pollut
Resp. Consequentiam ab imaginibus & idol
ad Solem, & Lunam nego ratio est: 1. qvi
imaginibus & idolis carere facilè possumu
Sole autem, & Luna carere non possumus.
qvia imagines, & idola sunt opera hominum
manibus facta, & qvidem contra Dei manda
tum: Sol autem, & Luna sunt Dei opera pe
se bona, qvæ sapientiam, potentiam, & bonita
tem Dei prædicant. 3. qvia ob gentium ido
lolatriam Deus olim jussit aboleri idola: Soler
autem & Lunam non sustulit. 4. qvia idol
primitus ad cultum religiosum sunt facta, pro
inde ad veri Dei ignominiam: Sol autem,
Luna ad Dei gloriam. Deinde consequenti
ab imaginibus, & idolis ad templa, similite
nego: ratio est: 1. Qvia imagines, & idol
per se fuerunt idololatriæ instrumenta: temp
verò peraccidens, respectu imaginum, & id
lorum aliarumqve ceremoniarum idololatric
rum: nec enim religiosè culta sunt templa, sed
idola in templis. 2. Qvia bonus, & licitus es
templorum usus: idolorum verò usus bonu
nullus est. 3. Qvia templum ipse qvoqve
Deus jussit extrui: idolum, & imagines reli-

giosas non item. 4. Qvia jussit olim Deu
idola, & altaria idololatrica destrui: templum
autem, in qvod illata ab impiis idola, & altaria,
vertì non jussit. Ita temporibus Maccabæo-
rum templum per Antiochum profanatum à
sacerdotibus non fuit destructum, sed ab in-
strumentis idololatricis purgatum. 1. Maccab.
4. v. 43.

4. Deus olim in V. T. humana specie vi-
endum se præbuit. Dan. 7. v. 9 Et Spiritus
sanctus apparuit in specie columbæ. Matth. 3.
16. Ergò in ejusmodi speciebus licet Deum
pingere, fingere, & sculpere. Resp. Conseq.
ergo: rationes negationis sunt. 1. Qvia licet
Deo hominibus se patefacere, qvomodocunq;
vult: hominibus verò eundem depingere, aut
sculpere, sub qvacunqve figura non licet: qvia
expressè hoc Deus prohibuit. Deut. 4. v. 15.
cavete diligenter animabus vestris, non enim
vidistis ullam imaginem in die, qvo locutus
est Iehova ad vos in Horeb è medio ignis, ne
forte corrumpamini, & faciatis vobis sculptile,
aut imaginem ullius similachri, effigiem ma-
sculi, aut fœminæ, effigiem cujuscunq; anima-
lis. Iesa. 40. v. 18. Cui assimilabitis Deum,
aut qvam similitudinem disponetis ei? Eadē
secundi præcepti est sententia. 2. Qvia per
species visibiles Deus olim apparuit non eo fi-
nevt depingeretur, aut divinæ imaginis exem-
plar hominibus ad imitationem proponeret;
non vere enim hoc prohibuit: sed ut specialis suæ
præsentiæ indicium faceret, & certa qvædam
mysteria adumbraret: idqve iis potissimum,
qvi ad idololatriam & sensibilis speciei cul-

703147

tum proclives non erant: apparuit enim in humana specie Danieli Prophetæ, & columbæ species dubio procul paucis, præter Iohannem, visa est: insuperqve ex hominum conspectu cito sunt remotæ species istæ.

5. In secundo Decalogi præcepto prohibetur tantum imagines, & sculptilia Deorum gentilium, qvæ sunt idola. Ergò religiosæ imagines veri Dei ex isto præcepto impugnari nè possunt vel debent. Resp. Antecedens falsum esse patet ex. Deut. 4. v. 15. ubi secundum Decalogi præceptum interpretatur Moises, & imagines ad verum, & æternum Deum experimendū fieri prohibet. Verba iam ante allegavimus. Agnoscit idem celebris Doctor Pontificius Gabriel Vasqvez. lib. 2. de adorat. disput. 4. c. 2. & eandem sententiam multis, iisque non infimæ notæ Authoribus tribuit.

6. Præceptum de imaginibus, & sculptilibus non faciendis, & colendis, etiam si decalogo est insertum, tamen non est morale; sed ceremoniale, qvod solos obligat Iudæos. Ergò imagines religiosæ in Ecclesiis Christianis usitatæ non possunt, aut debent inde oppugnari. Antecedens expresse docet Lutherus, & docent Pontificii. Resp. Antecedens falsissimum est, & tùm demum à nobis admittitur, ubi demonstraverint Lutherani, & Pontificii reliqva qvoqve Decalogi præcepta de fugienda idololatria, de nomine Dei temerè non usurpando, de homicidio, de furto, de adulterio, de perjurio, esse tantum ceremonialia, iisqve solos obligari Iudæos; licere autem Christianis esse idololatris, temerè Dei nomen usurpare, occide-

occidere, furari, adulteria committere, pejerare, &c. sic Scarph. curs. Theol Tom. 2. pag. 68.

2. Imagines Christi, Angelorum, Mariæ, & sanctorum à Papanis fabricatæ revera sunt idola. Patet. 1. an ita sit ex mandato secundo, ubi per imaginem idolum intelligitur, qvia ibi prohibetur imago, cultus religiosi causâ factâ. Ne facias imaginem, neqve colas eam: At imago cultus religiosi causâ factâ dicitur idolum. Refutatio. Ergò errant Pontificii imagines Christi, & aliorum negantes esse idola. Obj. 1. Non omnis imago est idolum: Ergò: Resp. Verū: nā sola imago cultûs causâ factâ est idolum. Omne idolum est imago cultus causâ factâ: & contra. Additur cultus causâ factâ: qvia simulachrū seu imago ob aliumve finem facta non est idolum: alias & homo, qvi simulachrum Dei dicitur, idolum esset. 2. Imago est simulachrum rerum existentium, idolum est simulachrum rerum non-existentium: Ergò imagines illorum non sunt idola. Resp. Antecedens falsum: Gentiles idola habuerunt rerum non tantum fictarum, sed & veterum. Inst. 1. Cor. 8. 4. Scimus idola nō esse in mundo: Ergò idolum est simulachrum rerum non existientium. Resp. Conseq. negatur, qvia dicitur id non respectu objecti, qvod idolo repræsentatur; sed respectu virtutis, qvæ in idolis nulla est. Scarph. curs. Theol. Tom. 2. pag. 51.

3. Trinitatis imaginem fabricare non licet. Patet. 1. an ita sit ex secundo mandato, ubi imaginem eorum, qvi sunt in cœlis, id est, Patris, Filii, & Spiritus Sancti effingere prohibe-

703147

mur. Sic. Deut. 4. 15. 2. Cur ita sit. 1. qvia imagines hujusmodi sunt mendaces: tribuunt enim Deo figuram, & membra corporea, qvi tamen est spiritus, figuræ, & membrorum expers. Esai. 40. 18. 2. qvia similitudine hominis ex ligno, aut lapide facta, Deum velle effingere, majestati divinæ summè contumeliosum est. Esai. 40. 19. 20 & 46. 6. Rom. 6. 23. 3. qvia S. S. Trinitas effingi, seu similitudine repræsentari, neqvit. Esai. 40. 18. & 46. 5. 4. Denique qvia est idolum, & idololatria, ut ex secundo mandato vides. Refutatio. Ergò errant Pontificii putantes licitum esse S. S. Trinitatis imaginem fabricare. Obj. 1. Imagines qvibus S. S. Trinitas repræsentatur, non exprimere Dei essentiam, sed tantum proprietates, aut actiones: Ergò non esse idola. 2. Imagines istas in visionibus oblatas esse: Non igitur esse idola. Resp. In primo argumento antecedens laborat falsa separatione proprietatum Dei ab essentia, cum revera sint ipsa essentia: Consequentia verò falsa est, qvia nec se, nec actiones aut proprietates suas imagine vult exprimi. Deut. 4. 15. &c. In secundo falsum est antecedens, non enim imagines manu factæ, & mutæ; sed vivæ oblatæ sunt sanctis Dei viris, qvas tamen nec pingi, nec fingi curarunt.

4. Ut fabrica idolorum, sic eorum retentio damnatur à DEO, ut vides in Scharp. curs. Theol. tom. 2. pag. 55. Patet. 1. an ita sit ex secundo mandato: Ne facias tibi simulachrum & consequenter factum ne toleres. Huc faciunt exempla Iosophati, Ezechiæ, Iosiæ, &c.

2. Cur

2. Cur ita fit. 1. qvia Deus prohibet idola retinere. Deut. 7. 5. 2. qvia Deus polluere jubet idola. Esai. 30. 22. 3. qvia nulla est consensio templi DEI cum idolis. 1. Cor. 6. 16. Refutatio. Ergò errant Pontificii, qvi imaginē & facere, & factam ab aliis retinere licitum esse credunt. Obj. 1. Qvi imagines in templis retinent, non cultus, sed ornatus causa non sunt idololatræ: Atqvi nos, &c. Resp. Falsa est major. 2. Qvia licet imagines non colantur, cultus tamen periculum subest. 2. Qvia id ad ornatum templi nihil facit, qvod in Dei cōtumeliam facit: meretricius hic ornatus est, & pristinæ scortationis nota. Obj. 2. Serpentem æneum non priùs fuisse confractum, qvàm coleretur. Resp. Imparem esse rationem serpentis ænei, & idolorum; qvia serpens æneus cultus religiosi causà non est erectus, sed ut Christi typus esset; tum verò demum in idolum conversus est, cum religiosè coli cepit. Qvod si serpentis ænei retentio periculo non caruit, qvantò minùs citra periculum retinentur, qvæ reverà idola sunt, & fuerunt. Dehortatio. Ergò. 1. idola, seu imagines religionis causà factas ne colamus, qvia eorum cultus prohibetur hoc secundo mandato. Ne incurvato te eis, neqve cole ea. Sic. 2. Reg. 18. 2. Scarph. curs. Theol. Tom. 2. pag. 59. 2. idola ne retineamus, sed auferamus, comminuamus, exuramus. Moveant nos sequentia: 1. Qvia, ut dictum supra. c. 1. th. 37. zelare debemus in obedientia nostra erga Deum: zelare enim est vehementer 1. amare legem Dei facere. 2. legem Dei faci-

703147

entes, eos pro virili protegendo, præmiando, ut fecit David. Psal. 101. 2. odisse: 1. violationem legis Dei, ut idolplatriam, &c. 2. violatores legis Dei, ut idololatras, blasphemos, adulteros, &c. iis irascendo, eos pro virili prohibendo, puniendo, ob eos flendo, ab eis procul abesse cupiēdo, ut fecit David. Psal. 101. & 119. v. 136. Loth. 2. Petr. 2. S. Moses Exod. 32. 9. Pinehas Num. 25. 9. Elias. 1 Reg. 19. 10. Christus Ioh. 2. 14. Ieremias. c. 9. 2. & 23. 9—11. Paulus Act. 17. 16. 17. 2. Quia imagines seu statuæ à DEO sunt prohibitæ in cultu Dei, ut ex secundo præcepto Decalogi patet. item. Deut. 4. 15. 3. Quia illas Deus auferri, & aboleri jubet. Exod. 23. v. 24. &c. 34. 14. Deut. 8. 25. 26. Ezech. 20 v. 7. 4. Quia fuerunt erectæ ad adorationē præterito Creatore, qvi est benedictus in secula. Rom. 1. 25. 5. Quia fuerunt instrumenta, & objecta scortationis spiritualis, seu idololatriæ, ut passim Deus in scriptura qveritur. 6. Quia sunt periculosæ, sunt scandalum, & occasio idololatriæ cum jam viventibus hominibus, tùm maximè posteris: sunt Doctores mendacii: flectunt, & incurvant miseras animas ad superstitionem. Ezech. 14. 3. 4. 5. 7. Qvia etiam olim à piis, & Deo probatis viris è medio sublatæ sunt, approbante factum ipsorum Deo, ut à Iachobo. Gen. 35. v. 14. à Mose. Deut 9. v. 21. à Gedeone Iudic. 6. v. 27. à Samuele 1. Sam. 7. v. 8. à Chizkija. 2. Chron. 29. 5. 2. Reg. 18. v. 4. à Iona 2. Paralip. 34. v. 4. Epiphanio Cyprio, ut testis est epistola ejus, quam Hieronymus è græca latinam fecit. 8.

Qvia

Qvia illæ à nullo Patriarcharum, Prophetarum, & Apostolorum sunt factæ vel introductæ in Ecclesiam Dei: sed ab hominibus falsa religione, & superstitione imbutis. Iesai. 40. v. 19. 20. 9. Qvia illas olim Orthodoxa Ecclesia Christiana prima per 400. annos non habuit. 10. Qvia illas improbārunt, & amovere jussetunt Christiani Imperatores & Reges, & Principes: ut Historia Ecclesiastica testatur. 11. Qvia sunt abominationes coram Deo. Ezech. 14. v. 6. 12. Qvia sunt idola zelotypiæ, qvæ ad zelotypiam provocant Iehovam, qvi solus coli vult, qvi gloriam suam in alium transferri indignatur. Deut. 32. v. 16. 17. Ezech. 8. v. 3. 13. Qvia attrahunt certas pœnas habentibus illas. Nā nō tantum singuli eas habentes à Deo puniuntur, juxta comminationem divinam. Ezech. 14. v. 7. 8. sed propter illas evertuntur totæ Respublicæ, & Regna, ut testatur exemplum regni Israelitici, & Iudaici: exēplū itē imperii orientalis, qvod restitutis in tēpla imaginibus perditum est. Certè imagines religionis causâ ab hominib⁹ factæ abalienant à Deo cui soli conjuncti sacro conjugio esse debemus. 14. Qvia illis homines impurant se ipsos. Ezech. 20. v. 30. 31. 15. Qvia nequeunt cum verò cultu Dei consistere, Ezech. 20. v. 31. Iosu. 24. v. 14. & seqq. 16. Qvia illis profanatur nomen Dei. Ezech. 20. v. 39. 17. Qvia ab Orthodoxis Patribus sunt damnatæ.

5. Templa idololatrarum cum veniunt in potestatem illorum, qvi verè Deum colunt, diruenda sunt. Patet an ita sit ex exēplo Iosiæ.

703147

2. Reg. 23. 8. & seqq. 2. cur ita sit: 1. quia Deus jussit. Num. 33. 52. 2. quia à piis Regibus hoc bene factum praedictum fuit, & postea factum. 1. Reg. 13. 2. Reg. 23. 2. Chro. 34. 3. quia multi Reges improbantur, quod nō sustulerint excelsa. 1. Reg. 22. 44. Refutatio. Errant qui aliter sentiunt, putántque satis esse si omnia superstitionis instrumenta, quæ pietati obesse possunt, è templis tollantur: idque. 1. Quia jam licet in omni loco Deum orare. Ioh. 4. 25. 1. Tim. 2. 8. 2. Quia licet sibi omnibus per precationem sanctificatis uti. 1. Tim. 4. 5. 3. Quia mandato Dei quæ pretiosa erant in Iericho in thesaurum D E I illata sunt. Iosu. 6. & ex A Egyptiorum spoliis tabernaculum constitutum est. Scharp. pag. 661. Sed respondeo. 1. Licet Deū orare in omni loco scil. cōvenienti cultui Dei, & idololatria, non polluto. 2. Licet rebus omnibus scil. quæ sunt cibi & idolis non sunt dicatæ, per precem sanctificatis uti. 3. Non poteris probare, quod inter illa fuerint bona idolis consecrata. Deut. 7. 25.

6. Bona idolis consecrata fugienda sunt. Patet. 1. an ita sit. 1. Cor. 8. 7. Sic 10. 21. 2. cur ita sit: 1. quia idola sunt fugienda: Ergò & bona idolorum. 2. quia cum periculo defectionis conjuncta sunt. Deut. 7. 25. 3. quia alia omnia idolis dicata fugienda sunt: Ergò & bona. Correctio. Peccant Reformati Ministri quod bona Clericorum, cum in suorum potestatem veniunt, ambiant, & ad se pertinere dicant. Obj. C L. Maresius aliter sentit loc. 7. th. 66. & loc. 15. th. 80. Ergò. Resp. Consequentia negatur.

XLIV

XLIV. *Qui cultus voluntarii ab hominibus excogitati adversantur combinationi fidelium parochiali, ministrorum à Deo institutorum electioni, ordinationi, functioni, Ecclesiasticæ disciplinæ?*

1. Combinationi fidelium in certos cœtus, seu parochiali adversatur combinatio fidelium, visibiliter, integraliter, organicè œcumenica, id est, universalis, provincialis, id est, diœcesana. Additur, visibiliter, integraliter, organicè, qvia combinatio fidelium non visibiliter, non integraliter, non organicè, universalis, provincialis, qvalis est Ecclesia mystica, non adversatur combinationi fidelium, parochiali. Ecclesia visibilis habet statum essentialem per fidem, integralem per combinationem, organicum, per Ministerium: Ecclesia verò invisibilis propriè habet tantum statum essentialem. Med. l. 1. c. 33. th. 18. Pater. 1. an ita sit ex secundo mandato: ubi Deus parochialem fidelium cōbinationem præcipit: visibiliter, integraliter, organicè universalem, & provincialem verò prohibet. 2. Cur ita sit: 1. Qvia illam Deus instituit: hanc verò homines. Med. l. 1. c. 39. th. 22. adcóqve illa est licita: hæc verò illicita. 2. Qvia illa fieri potest: hæc verò fieri nequit. 3. Qvia illa est utilis: hæc verò inutilis. Correctio. Ergò Ecclesia visibiliter universalis provincialis est damnanda. Patet. 1. an ita sit. Act. 2. 46. & 5. 12. & 14. 27. 1. Cor. 5. 4. & 14. 23. 26. ubi Ecclesia N. T. debet, & potest

703147

est convenire in uno loco: At Ecclesia visibilis universalis non debet, nec potest convenire in uno loco. Sic, 1. Thess. 2. 14. Act. 14. 23. & 15. 41. ubi Ecclesiæ unius Regionis vocantur Ecclesiæ, non una Ecclesia, etiam in Iudæa, quæ tota fuit antea una Ecclesia nationalis. Med. l. 1. c. 39. th. 24. 25. 2. Cur ita fit. 1. Quia repugnat Ecclesiæ à Christo institutæ, quæ est parochialis. 2. Quia est superstitio, id est, medium Deum colendi ab hominibus excogitatum: adeóque indebitum Deo. Matth. 15. 9.

2. Ministerio à Deo instituto adversatur. 1. Hierarchia, seu sanctus principatus: quod patet. 2. tùm an ita sit ex præcepto secundo, ubi ministerium Deus instituit: dominatum destruit. 2. Cur ita fit. 1. quia servitus opponitur dominatui. 2. quia ministerium Ecclesiasticum est cultus Deo debitus; sed hierarchia est cultus Deo indebitus. Correctio. Ergò hierarchia Pontificiorum est damnanda. Patet. 1. an ita sit. Luc. 22. 26. Reges gentium dominabuntur: vos autem non sic. Sic. 1. Petr. 5. 3. nõ dominantes Cleris. 2. cur ita fit. 1. quia repugnat ministerio à Christo instituto. Med. l. 1. c. 33. th. 6. 2. Quia solus Christus est Hierarcha Princeps, & Dominus Ecclesiæ. Act. 2. 36. vide alias rationes. Med. l. 1. pag. 795. 2. ordo Pontificiorum Ecclesiasticorum qvos recensuimus in Exeg. l. 1. Med. pag. 1049. qvod patet. 1. an ita sit ex secundo mandato, ubi ministrorũ ordines à Deo institutorum relinqvuntur in loco: alii verò rejiciuntur. 2. Cur ita fit. 1. qvia ministerium horum non placet Deo. 2. qvia non vocantur à Deo. 3. qvia

qvia illi benedictionẽ Dei, & ejus singularem assistentiam non habent conjunctam. Correctio. Ergò damnandi sunt Ministri, seu Clerici Pontificiorum: qvod patet. 1. an ita sit, Matth. 15. 9. Frustra colunt me docentes doctrinas hominum: adeóqve illi, qvi à Deo vocati non sunt, sic. Colos. 2. 23. 2. Cur ita fit, qvia, 1. repugnant ordinibus ministrorum à Christo Ecclesiæ suæ datorum. Eph. 4. 2. illi sunt homines Deo indebiti.

3. Ministrorum à Deo institutorum vocationi, ordinationi, functioni adversatur vocatio, ordinatio, functio, Ministrorum Pontificiũ: qvod patet. 1. an ita sit ex 2. mandato, qvod hoc postulat, ut ministri ita vocentur, ordinentur, & fungantur, ut Deus vult, non ut homines. 2. Cur ita sit. 1. qvia ministrorum vocatio, ordinatio, functio secundum voluntatem Dei est cultus Deo debitus: sed ministrorum vocatio, ordinatio, functio, secundum voluntatem hominum est cultus Deo indebitus. 2. qvia Ministri Dei vocantur ab Ecclesia. & ordinantur per Presbyterium, & legem, & Evangelium prædicant; sed Ministri Pontificiorum, vocantur ab Episcopis, ordinantur ab iisdem, prædicant ungas, fabulas, id est, traditiones Pontificum, & conciliorum eorum. Correctio. Damnanda est ergo Clericorum Pontificiorum electio, seu vocatio, ordinatio, ministratio.

4. Disciplinæ à Christo institutæ adversatur censura Pontificiorum. Patet. 1. an ita sit ex secundo mandato qvod vult peccatores disciplinari juxta voluntatem Dei, non juxta placitum

703147

tum hominum, ut dictum. Med. l. 1. c. 37. 2. Curta sit: qvia illa est medium legitimum Deum colendi: hæc verò illegitimum. Correctio. Ergò damnanda est censura Pontificiorum, tùm ob dictam rationem, tùm ob rationes dictas. Med. l. 1. c. 37. th. 28. 29.

XLV. Quî explicant Pontificii, & Lutherani secundum præceptum?

Illi secundum præceptum vel penitus omittunt, putantes illud explicationem tantum primi præcepti esse, vel mutilant, qvia secundum præceptum non sic legunt, non facies tibi simulachrum, &c. sed sic, non adorabis, neqve coles ullam similitudinem. Qvid de illis sentis? Intolerabilis est illorum audacia: audent enim vel penitùs relinqvere, vel mutilare secundum præceptum, contra Dei interdictum. Deut. 12. 32. Cur hoc faciunt? Ut suis imaginibus consulant, hoc est, ut suas imagines in templis retinere qveant. Mates. loc. 7. th. 36. Qværes ergò: qvomodo par duas tabulas decem præcepta sint distributa, & qvot primæ, qvot secundæ tabulæ præcepta sint?

1. Nos primæ tabulæ adscribimus qvatuor præcepta, qvorum primum est de uno, & solo Deo colendo: secundum de idolis, & imaginibus nec faciendis, nec colendis: tertium de cavendo abusu divini nominis: qvartum de sanctificando Sabbatho. Secundæ tabulæ adscribimus sex præcepta, qvorum primum (respectu præcedentium qvintum) de honorandis parentibus: secundum (alias sextum) de non occidendo: tertium, (alias septimum) de adulterio non committendo: qvartum, (alias octavum) de furto non faciendo: qvintum, (alias nonum) de testimonio falso non dicendo: sextum (alias decimum) de non concupiscendis iis, qvæ proximi sunt.

2. Lutherani, & Pontificii omittentes primæ tabulæ præceptum secundum, de idolis, & imaginibus non colendis, non nisi tria præcepta referunt ad tabulam primam. Ut verò numerum decem præceptorum compleant, præceptum ultimum seu decimum de concupiscētia, in duo distincta præcepta discerpunt: qvorum unum de non concupiscenda domo proximi: alterum de non concupiscendâ uxore, servo, ancilla, asino, &c. Unde ad tabulam secundam referunt septem præcepta, estq; ipsis in ordine qvartum (qvod nobis qvintum) de honorandis parentibus. Sic & deinceps præceptorū mutatur ordo. Thom. 2. 2. q. 122.

3. Hanc decalogi distributionem Lutheranis, & Pontificiis usitatam, cur non approbemus, hæ sunt rationes. 1. Qvia usu minimè excusabili, ex prima divinæ legis tabula secundum præceptum, de imaginibus, & idolis non colendis, qvasi surripitur, & eraditur, adeoqve Dei lex mutilatur. Adversus hanc rationem excipiunt: prohibitio de imaginibus non faciendis, & adorandis non est peculiare præceptum, nec distinctum à primo præcepto, sed tantum appendix ejus, & declaratio. Namsi solus Deus est colendus, seqvitur imagines nō esse colendas. Ergò qvi prohibitionem istam omittunt, non peccant enormiter, nec decalogum mutilant. Resp. 1. Antecedens nego.

703147

Nam in lege sua Deus pravis hominum, de vero veri Dei cultu, opinionibus voluit occurrere. Homines enim ad idololatriam proclives negant se peccare contra primum præceptum, quando verum Deum in imagine quadam vel per imaginem colunt: quomodo etiamnum idololatriam suam pontificii excusant. Ut igitur huic errori occurreret Deus, & imaginum quoque cultu, vel sui per imagines veneratione se offendi ostenderet, secundum in lege sua præceptum esse voluit, de imaginibus non colendis, vel de Deo per imagines non colendo, idque in sacro textu à primo ita distinxit Moses, uti & alia diversa præcepta sunt distincta. 2. Conseq. quoque nego. Namsi maximè prohibitio de cultu imaginum, non esset peculiare, & distinctum à primo præceptum, sed tantum appendix, & declaratio ejus: tamen citra inexcusabilem mutilationem ex decalogo in libris symbolicis, qui ut reliqua pietatis capita, sic & Dei legem integrè uti à Deo est dictata, continere debent, excludi non possit. Cumque aliorum præceptorum appendices, ut tertii, & quinti, retinendas sibi judicent adversarii, cur non eadem religione, & primam illam retinent? Addo, si ideò ex decalogo eradendum est præceptum secundum, quia est declario primi, eodem jure & decimum expungi potuit totum: quia totius decalogi, in primis autem secundæ tabulæ declaratio est: ut constat è declaratione Christi Matth. 5. v. 28. Quicunque aspicit mulierem ut eam concupiscat, jam adulteravit eam in corde suo. Excipiunt hic iterum: Si nefas esset verba Decalogi

logi compendiosè contrahere aut in recitatione tot literas, & syllabas, quot in Exodo repetiuntur, non retinere, vel ab ordine Mosaico aliquantulum discedere: utique à Mose, aut Christo id factum non fuisset. Atqui factum hoc à Christo. Matth 19. ubi quædam præcepta omittit, quædam transponit. Et cap. 22. ubi totus Decalogus in duo præcepta contrahitur. Factum à Mose. Deut 5, ubi verbis Exodi non inhæret, seu quædam contrahit, & omittit, quædam inserit, quædam transponit. Resp. Exceptio hæc ad rem nihil facit: non enim hoc quæritur, An ubique omnia Decalogi præcepta, & quidem totidem literis, ac syllabis, eodemque ordine, quo in Exodo repetiuntur, recitari debeant? hoc enim nunquam à nobis est affirmatum; sed, an de integritate Decalogi verè glorientur, qui in scholis, & Ecclesiis suis, librisque symbolicis, quibus integra doctrinæ Christianæ capita contineri solent, & debent, perpetuò præceptum de imaginibus eliminant, eique in Decalogo locum non relinquunt, nec necessarium esse agnoscunt? Hoc est quod contra adversarios negamus. De literis syllabis, & ordine præceptorum, extra circumstantias istas, non adeò laboramus; etsi longè tutius esse arbitramur, Deum hic sequi, quam homines, quibus non est permissum divinæ legi aliquid addere, vel demere. Interim ut summam Decalogi paucis complecti cuivis licere arbitramur; ita suam Decalogo integritatem, absque præcepto de imaginibus, minimè constare asserimus. Hactenus prima nostra ratio vindicata.

703147

2. Qvia decimum præceptum, qvo concupiscentia prohibetur, sine ulla causa Lutherani discerpunt in duo præcepta: est enim revera non nisi unicum, qvod prohibet concupiscentiam omnium, qvæ proximi sunt. Sic veteres qvoqve Judæi, & Christiani pro unico tantum præcepto habuerunt, qvod nobis est decimum de concupiscentia. Et, si prohibitio concupiscentiæ domus peculiare præceptum constitueret, cur non etiam peculiare constitueret prohibitio concupiscentiæ uxoris, & rursus peculiare prohibitio concupiscentiæ servi, & iterum peculiare prohibitio concupiscentiæ ancillæ, & sic deinceps. Ita verò non decem tantum præcepta erunt, sed longè plura.

CAPUT XIV.

De modo cultus divini.

ANALYSIS.

Modus cultus divini explicatur. I. Ab exordio: ubi conjunctim agitur de cultus Dei modo & tempore: qvorum indicatur affectio, qvam habent ad cultum DEI: dicuntur enim. 1. cultus Dei adjuncta: qvorum notatur qvalitas & qvantitas: dicuntur enim præcipua, duo. th. 1, 2. cultûs Dei species etiam th. 2. II. A definitione generali. th. 3. qvæ explicatur. th. 4. qvæ explicatio. 1. confirmatur. th. 5—6. 2. porrò explicatur. th. 7. ubi ratio redditur, cur congruens modus Deo colendi, definiatur per circumstantias. th. 8. qvæ

qvæ circumstantiæ dicuntur esse. 1. internæ. th. 9. qvarum aliæ sunt. 1. antecedentes. th. 10. qvæ enumerantur, sunt enim desiderium & præparatio. th. 11. ubi præparatio. 1. describitur. Ibidem. 2. illustratur à proprio subjecto, n. cultu publico solenni. th. 12. unde cōsectarium colligitur. th. 13. 2. concomitantes. th. 14. qvarum prima est reverentia, qvæ. 1. ab objectione liberatur. th. 15. 2. describitur. th. 16. Secunda devotio, qvæ describitur. th. 17. unde consectarium infertur. th. 18. 3. consequentes, qvæ sunt duæ. th. 19. 2. Externæ, qvæ explicantur. 1. à descriptione. th. 20. 2. à modo, qvo ordinari debeant. th. 21. 3. à specierum enumeratione. th. 22. 4. iterum à descriptione. Ibidem. ex qva descriptione infertur: 1. circumstantias externas cultus DEI non esse ceremonias religiosas. th. 23. qvod ab objectione liberatur. Ibidem. 2. circumstantias externas cultus DEI particulariter non esse in scripturis præceptas. th. 24. qvod ab objectione vindicatur. Ibidem. ex qva vindicatione consectarium infertur. th. 25. cujus ratio redditur. th. 26. 5. à Theologorum judicio de constitutionibus, qvibus circumstantiæ externæ cultus Dei, determinari solent. th. 27. III. A definitione speciali. th. 28. qvæ exemplis illustratur. th. 29. IV. A ratione, cur aliqvi juramentum ad tertium præceptum referant. th. 30. V. Ab oppositis, qvæ sunt. 1. acedia: cujus notatur definitio & oppositū. th. 31. 2. pigritia: cujus notatur definitio & oppositum. th. 32. 3. contemptus & ab usus rerum sacrarum: qvorum notatur oppositum.

703147

th. 33. 4. torpor: cujus notatur oppositum th. 34. 5. temeritas: cujus notatur oppositum th. 35. 6. oblivio: cujus notatur oppositum th. 36. 7. confusio: cujus notatur oppositum th. 37.

EXPLICATIO.

I. *Quot sunt cultus Dei præcipuè attendenda adjuncta?*

Cultûs DEI præcipuè attendenda adjuncta duo sunt, modus tertio præcepto mandatus & tempus qvarto præcepto imperatum. 1. Modus tertio præcepto mandatus, & tempus qvarto præcepto mandatum dicuntur cultus DEI. 1. adjuncta: qvia non ad esse, sed ad benè esse cultus Dei pertinent. 2. præcipua adjuncta: 1. Qvia in Decalogo tertio, & qvarto præcepto singulariter imperantur. 2. Qvia cultus Dei modus, & tempus alibi mandata, non sunt præcipua cultus Dei adjuncta, qvia singulatibus in Decalogo præceptis non imperantur, sed unà cum cultu Dei, ut dicit Author infra th. 8. & cap. seq. th. 4. 2. Cultus adjuncta præcipuè attendenda duo esse dicuntur: qvia adjuncta cultus DEI communiter considerandа plura sunt, ut vides in Authore supra c. 1. & 2. & in Ravanello de cultu Dei Num. 3.

II. *Cultûs Dei modus, & tempus sunt ne etiam secundarius Dei cultus?*

Sic. Patet. 1. ex 3. & 4. mandatis: ubi sanctificare nomen Dei & Sabbathum signi-

cat Deum religiose colere. 2. Cur ita sit. 1. qvia observatio modi & temporis cultus DEI, seu sanctificatio nominis Dei, & Sabbathi, honorem, seu cultum Dei naturalem, & institutũ promovet: cultus enim institutus ideò dicitur supra c. 13. th. 7. cultus Dei secundarius, qvia cultum Dei primarum, seu naturalem promovet. 2. qvia observatio modi, & temporis cultus Dei, seu sanctificatio nominis Dei, & Sabbathi, singularem qvendam honorem defert Deo: qvia observatio modi, & temporis cultus Dei, seu sanctificatio nominis Dei, & Sabbathi cultui naturali, & instituto, ob Dei, & imperium, & respectum directum, & immediatũ adjungitur: Correctio. Ergò damnandi sunt, qvi modum, & tempus cultus Dei flocci pendunt. Tales sunt qvi verbum Dei audiunt sine desiderio, præparatione, reverentia, devotione, &c. qvique die Dominico laborant, vel qvieſcunt, sed Deum non colunt.

III. *Quid est modus cultûs Dei tertio præcepto mandatus?*

Modus cultûs DEI in genere est legitimus usus omnium eorum qvæ ad Deum spectant, hoc est, in genere ille colit Deum juxta modũ tertio præcepto imperatum, qvi Dei nomine, id est, titulis, qvi sunt Deus, Iehova, Dominus, &c. proprietatibus, qvæ sunt misericordia, justitia, &c. actibus religionis, qvæ sunt auditio verbi, oratio, juramentum, sors, media, cultus Dei, qvæ sunt publica verbi prædicatio, &c. legitimè utitur. Additur, in genere: qvia modus cultus DEI in specie traditur infra, th. 28.

703147

29. In V. T. res sacræ, qvibus DEUS colebatur erant sacrificia, suffitus sacer, oleum sacrum, aqva expiationis, luceinæ sacræ, tubæ sacræ, cibi sacri, novalia, primitiæ, decimæ, vota, de qvibus vide Essenium de Fœd. Evang th. 49. & seqq. res vero sacræ, qvibus Deus in N. T. colitur illa sunt, qvæ recensuimus.

IV. Quid est legitimus usus eorum, quæ ad Deum spectant?

Est, omnia qvæ ad cultum Dei pertinent, ita tractare, prout congruit majestati divinæ, hoc est, ille utitur legitimè Dei titulis, proprietatibus, actibus, & mediis religionis, qvi iis utitur majestati divinæ congruenter.

V. Patet ex tertio præcepto modum omnes res sacras tractandi, imperari: nam cum prohibetur ne assumas Dei nomen invanum, nomen Dei notat omnes res sacras, qvibus Deum colimus: sic enim debet illa prohibitio intelligi. Ne assumas nomen Dei in vanum, id est, ne usurpes res sacras (n. Dei titulos, proprietates, actus religionis, media cultus naturalis) frustra. Patet nomen Dei notare in tertio præcepto omnes res sacras, qvibus Deus colitur ex locis subjectis: 1. ex. Act. 9. 15. ut portet nomen, id est, illa, qvibus coli volo, in conspectum gentium. 2. ex. Deut. 12. 5. locus qvē elegerit Iehova, ad collocandum ibi nomen suum, id est, illa, qvibus colitur. 3. ex. Mich. 4. 5. nos ambulabimus in Iehovæ Dei nostri nomine, id est, in illis, qvibus ille colitur. 4. ex. Malach. 1. 11. 12. Magnum erit in gentibus nomen meum, id est, magna erunt in gentibus illis, qvibus coli volo.

VI. Patet ex tertio præcepto res omnes sacras, qvibus Deus colitur majestati divinæ congruenter usurpandas esse: tertium enim præceptum sic debet explicari: Ne assumes nomen Dei in vanum, hoc est, ne profanes nomē Dei, hoc est, res sacras, qvibus Deum colis, ne usurpes sine justo fine, majestati Dei, & earum sanctitati incongruenter; sed sanctifices nomē Dei, hoc est, usurpes res sacras propter justū finem, n. glorificationem Dei, propiam salutē, & eo modo, qvi Dei majestati, & earum dignitati convenit. Patet res sacras majestati Dei convenienter usurpandas esse. Esai. 1. 13. ubi Iudæis Deus valdè iratscitur, qvod res sacras, qvibus eum colebant, earum dignitati convenienter non tractaverint. Observa ergo: 1. Modus Deum colendi, seu res sacras, qvibus Deus colitur, tractandi, religiosè curandus est. Patet. 1. an ita sit ex tertio præcepto: Ne assumas nomen Dei in vanum. 2. Cur ita sit. 1. Qvia modus iste pertinet aliqvomodo ad formam actionis, & officii nostri: magis autem intimè pertinet ad officium nostrū, ut rectè dirigamus actiones nostras qvoad formam, qvàm qvoad materiam, & objectum, qvamvis utriusqve cura sit necessaria & eadem religione adhibenda. 2. Qvia nomen Iehovæ in istis tebus nostræ fidei qvasi committitur, & commendatur, ut appareat qva religione volumus illud tractare. 3. Qvia nomen illud Iehovæ tantam dignitatem in se habet, ut non minori scelere contemptim, & perfunctoriè usurpetur, qvam omninò negligatur. Modus autem religiosus nominis Dei usurpandi consistit præcipuè

in istis,

703147

in istis. 1. in sinceritate intentionis, qva illū ipsum finē in usu nominis & cultus divini spectamus, ad qvem ex sua natura & institutione Dei ordinatum est. 2. in reverentia, qva honorem nominis, & cultus sartum tectum, & inviolatum conservare studemus. 3. in zelo, qvo omni intentione animi conamur in istarum rerum usu Deum glorificare, & propriam nostram salutem promovere. Hi, & similes modi indicantur in ipsa prohibitione vanitatis. Nam. 1. qvia vanè, & temerè usurpatur illud qvod non in finem suum dirigitur, idcircò advanitatem excludendam sinceritas intentionis debet adesse. 2. qvia vanum, & vacuum habetur qvod leviter tractatur tanqvam res non magni momenti; idcircò negatio vanitatis in istis negotiis ponit reverentiam, & gravitatem. 3. qvia in vanum aliqvid usurpatur, qvando ad finem, usum, & fructum suum non pertingit: Idcircò ad vanitatem etiam abolendam requiritur sedulus conatus fructum justum existis rebus percipiendi. Refutatio. 1. Adversus Pōtificios, qvi in multis rebus opus tantum operatum respiciunt, modo operandi, & dispositione operantis insuper habita. 2. Advertus carnales & irreligiosos mores hominum in cultu DEI, & rebus sacris tractandis, dum vel ex more, vel ex consvetudine in istis rebus versantur magis qvam ex conscientia, & alios fines habent sibi propositos præter illos, qvos solos debent intendere; vel leviter in istis rebus occupantur & afficiuntur, qvasi res ludicræ, aut triviales essent: vel deniqve tam frigidè agunt in illis officiis bonis, qvæ exercent qvasi nihil magni

magni fructus inde expectarent aut percipere curarent. 3. Exhortatio ut religiosam hanc curam in animis & conscientiis nostris magis magisqve excitemus.

2. Modum Deum colendi, seu res sacras tractandi, non curare est gravissimum peccatū, qvod Deus singulariter vindicabit. Patet. 1. an ita sit. Exod 20. 7. Non relinqvet impunem Iehova. 2. Cur ita sit. 1. qvia inter homines hoc peccatum habetur pro veniali, & qvotidiè committitur impune. 2. qvia naturalis est nostra corruptio parum, aut nihil curare dispositiones animorum in Deo colendo, qvos tamē Deus præcipuè intuetur. Gravitas autem peccati ex eo apparet. 1. qvod Deus hac ratione qvasi ridetur. 2. qvod cultus ejus reddatur histrionicus. 3. qvod occasio præbeatur nominis divini contemnendi, & blasphemandi. Inter pœnas autem qvibus Deus hoc genus peccati prosequitur, spiritualis illa vindicta est maximè horrenda, qva ita tales homines deserit, ut illa qvæ sua natura sunt odor vitæ ad vitam, fiant ipsis odor mortis ad mortem; qvod etiam ex ordine naturæ sequitur, ex hoc genere peccati. Admonitio. Caveamus nobis ab hujus generis peccatis, qvalia sunt ludere, & jocari cum Sacræ Scripturæ sententiis, & easdem adhibere ad magicas incantationes sine ulla reverentia, aut gravitate talia jactare qvasi pilas; deniqve in aliqva parte cultus divini dicis causa aut pro forma versari.

VII. *Quid est modus cultus Dei divinæ majestati congruens?*

Cum il-

703147

Cum illæ circumstantiæ adhibentur, qvas religiosarum rerum natura postulat, hoc est, ille utitur DEI titulis, proprietatibus, &c. divinæ majestati congruenter, qvi iis utitur cum desiderio. præparatione, reverentiâ, devotione, &c. V. g. ille colit Deum juxta modum tertio præcepto imperatum, qvi sacramentis legitimè utitur: ille utitur sacramentis legitimè, qvi iis utitur majestati divinæ congruenter: ille sacramentis utitur majestati divinæ congruenter, qvi iis utitur cum desiderio, præparatione, reverentia, devotione.

VIII. Cur istum modum circumstantiis definimus, hoc est, cur dicimus modum Deum colendi, tertio præcepto mandatum, tunc congruere majestati divinæ, cum illæ circumstantiæ adhibentur, quas religiosarum rerum natura postulat, seu cum rebus religiosis, n. auditione verbi, oratione, &c. adhibitis his circumstantiis, n. desiderio, præparatione utimur?

Qvia ille modus cultus Dei præcipitur tertio præcepto, qvi hoc reqvirit, ut res sacras cum his circumstantiis, n. desiderio, præparatione, &c. exerceamus. Qvia virtutum, n. fidei, spei, charitatis, & earum actuum, n. auditionis verbi, orationis, juramenti, sortis, publicæ verbi prædicationis, Sacramentorum celebrationis, publicarum precum, qvibus Deus colitur, duplex est modus: n. 1. essentialis, qvi in ipsis virtutibus, & earũ actibus continetur, non in illo, qvi his utitur. Talis modus est. 1. in fide, per Christum credere in Deum l. 1. c. 3. th. 8. 2. in spe, bonâ promissa à Deo propter Christi meritum expectare l. 2. c. 6. th. 5. 3. in charitate diligere Deum ut bonum in se c. 7. th. 18. 4. in auditione verbi, & oratione, religiosè verbum Dei audire, & eum invocare, c. 8. th. 13. & 9. th. 17. 5. in juramento, & sorte, necessitate magna postulante jurare, & sortem ducere, c 10. th. 2. 6. in publica verbi prædicatione, sacramentorum celebratione, &c. omnia media cultus religiosè, & prout à Deo constituta sunt, observare c. 13. th. 16. & 19. Hic modus non in aliis; sed in illis præceptis mãdatur, in qvibus virtutes, & earũ actus mandantur, qvia separari à virtutibus, & earum actibus non potest. 2. accidentalis, qvi est in circumstantiis, qvæ non sunt in virtutibus, & earum actibus, sed in illo, qvi his utitur. Talis modus est desiderium, præparatio, reverentia, devotio, &c. qvo actus religionis, n. auditio verbi, oratio, juramentum, sors, publica verbi prædicatio, sacramentorum celebratio, publicæ preces, &c. à Deum colente exercentur. Hic modus non in illis præceptis mandatur, in qvibus actus religionis mandantur, nam actus religionis partim in primo, partim in secundo præcepto mandantur, sed modus hic in tertio præcepto imperatur, qvia ab actibus religionis separari potest, & tamen ad ipsos ut DEO grati sint necessario reqviritur.

IX. Qvot-

703147

IX. Quotuplices sunt circumstantiæ in quibus modus cultus divini, divinæ majestati congruens consistit?

Duplices: vel internæ, qvæ sunt in eo, qvi Deum colit, ut desiderium, præparatio, reverentia, devotio, retentio saporis cultûs, & conatus finem eius obtinendi; vel externæ, qvæ sunt extra illum qvi Deum colit, ut ordo, & decorum. Etenim ut oratione Deus modo tertio præcepto imperato, colatur, debemus orationé desiderare, ad eam nos præparare, eam reverenti, in ea devoti esse, saporem ejus in animis nostris retinere, finem ejus obtinere conari, ordine, & decenter eam peragere.

X. Quotuplices sunt internæ circumstantiæ, in quibus modus cultûs divini divinæ majestati congruens consistit?

Triplices: 1. antecedentes, ut desiderium, cultus, ut auditionis verbi, & animi præparatio ad cultum, n. ad auditionem verbi, th. 10. 11. 2. concomitantes, ut reverentia ejus, qvo Deum colimus, ut auditionis verbi, & devotio, qvâ rem, n. auditionem verbi, qva Deum colimus, facimus, th. 14. 10. 17. 3. consequentes, n. retentio saporis cultus, n. auditionis verbi in animis nostris, & conatus finem cultus illius, ut auditionis verbi, obtinendi, th. 19.

XI. Qua

XI. Quæ sunt circumstantiæ antecedentes, in quibus modus cultûs divini, ut auditionis verbi, divinæ majestati congruens consistit?

Desiderium, & animi excitatio, seu præparatio, Deum enim colere, ut verbum ejus audire, rectè volens, juxta tertii præcepti postulatum, verbi Dei auditionem desiderare, & ad eam animum suum præparare debet. Qværes. 1. Qvid est cultum Dei, ut verbi auditionem, desiderare? Est vehementer amare, velle, capere cultum Dei, ut verbum Dei audire, Deum invocare, &c. 2. Qvid est animi præparatio ad cultum Dei, ut ad auditionem verbi? Est justa meditatio eorum, qvæ pertinent ad rem illam sacram, qvæ est tractanda, hoc est, præparans se ad cultum Dei, ut ad auditionem verbi, 3. considerate, coram Deo comparare, loqvi, seqve gerere debet. Eccl. 5. 1. 2. ne accelores ore tuo, & animus tuus ne festinet, hoc est, ne agas inconsiderate. 2. habere debet rectam intentionem illud qværendi ad qvod specialis ille cultus, in qvo versaturus est, tendit. V. g. accedens ad concionem ideò ad eam accedere debet, ut verbum Dei discat, observet & juxta illud vitam suam instituat. 3. pugnantes cogitationes affectusq; non tantum illiciti, sed & alias liciti, qvi tum possint esse impedimento, qvantum fieri possit, deponantur, Exod. 3. 5. 1. Petr. 2. 1. Matth. 13. 22. 1. Petr. 1. 13. 4. debet habere cor honestum, ac bonum. Luc. 8. 15. cas. l. 4. 30. q. 2. Obser-

703147

va ergo. 1. volens Deum rectè colere, cultum Dei, ut auditionem verbi, sacramentorum participationem, precationem, &c. desiderare debet, vel volens rebus sacris majestati divinæ congruenter uti, eas desiderare debet. Patet, 1. an ita sit. Ne assumas, &c. hoc est, nomen Dei sanctifices, seu rebus sacris ita utere, prout earum sanctitati, & DEI majestati convenit, qvod ita fit, si res sacras desideraveris, nō fastidiveris. Sic. 1. Petr. 2. 2. Psal. 42. 2. 3. & 63. 2. & 119. v. 40. & 122. 1. 2. cur ita sit. 1. Qvia res sacræ sunt bona domus DEI. Psal. 65. 5. 2. Qvia desiderium aliqvid faciendi acceptatur sæpè coram Deo pro ipso facto. 2. Cor. 8. 12. 3. Qvia desidertium rerum sacrarum promissionem habet satisfactionis. Esai. 55. 1. Ioh. 7. 37. Apoc. 22. 17. vid. plura in Rav. de cultu Dei. Num. 4. Dehortatio. Ergò desideremus, ne fastidiamus res sacras, qvibus DEUS colitur. 2. Desiderium nostrum ad cultum Dei obeundum debet esse ardentissimum, instar sitis, ac famis maximæ. Patet. 1. an ita sit. Psal. 63. 2. 2. cur ita sit. 1. Qvia hoc est officium primarium à Deo nobis præscriptū. 2. Qvia maximum nostrum bonum ex eo pendet. vers. 4. in principio. 3. Qvia gloria qvam nos Deo deferre debemus in eo præcipuè consistit. Correctio. Adversus torporem, & tepiditatem hominum circa Dei cultum.

XII. *Adqvem cultum DEI pertinet præparatio?*

Præparatio maximè propriè pertinet ad cultum Dei solennem, seu publicum, ut publicam verbi.

verbi auditionem, precationem, &c. qvod patet: qvia actus illi, qvi suâ naturâ sunt minus perfecti, qvales sunt in cultu Dei desiderium & præparatio, viam facere debent ad actus magis perfectos, solennes, seu publicos, qvales sunt publica verbi auditio, precatio, &c. In omni enim genere perfectum finis est imperfecti. Additur, 1. maximè propriè: qvia cultus Dei minus solennis etiam, qvalis est oratio privata solennior, ut dicetur. th. seqvente, requirit ante se aliqvam præparationem. 2. Solennem, seu publicum: qvia præparatio ipsa ad cultum Dei solennem est cultus Dei, sed ante se non requirit aliam præparationem: 1. qvia præparatio est cultus Dei privatus. 2. qvia si præparatio ad cultum Dei publicum requireret aliam ante se præparationem, progressus fieret in infinitum, qvem natura non amat. Observa ergo. Volens Deum rectè, seu majestati divinæ congruenter colere, se ad cultum DEI publicum, n. publicam verbi auditionem, precationem, &c. præparare debet. Vel, volens rebus sacris majestati divinæ congruenter uti, ad earum usurpationem se præparare debet. Patet. 1. an ita sit. Ne assumas, &c. hoc est, nomen Dei sanctifices, hoc est, ita cole Deum, prout ejus majestati convenit, qvod ita fit, si ad cultum DEI te diligenter præparaveris. Sic. Prov. 24. 27. Sic. Exod. 19. 10. 11. & 30. 20. Eccl. 5. 1. 2. 2. cur ita sit. 1. Qvia dispositio apta requiritur in subjecto, ut capax sit boni ipsi communicandi. Qvicqvid enim recipitur, recipitur secundum modum recipientis. 2. Qvia nos ex infirmitate, & corruptione naturæ,

703147

inepti sumus ad omne bonum. Ier. 4. 3. 3. Qvia præcellens dignitas eorum, qvæ ad Deum spectant, curam postulat plusqvam vulgarem. Eccl. 5. 1. 2. 4. Qaia Diabolus omni modo studet avertere animos nostros vel à cultu Dei, vel à debito, & frugifero ejus modo. Luc. 8. 12. Correctio. Male ergò faciunt, qvi ad publicũ Dei cultum (ut publicam verbi prædicationem, precationem, sacramentorum participationem) sine ulla præparatione accedũt. Tales sunt, qvi coram Deo inconsiderate comparent, loqvuntur & agunt, &c. Qværes, qvibus in rebus consistit hæc præparatio? Respondetur, l. 4. cas. c. 30. q. 2.

XIII. *Ante auditionem ergo verbi, & precationem publicam, seu solennem requiriturne precatio privata?*

Sic: qvia ad cultum Dei publicum requiritur præparatio, ut dictum, th. 12. At precatio privata est præparatio ad cultum Dei publicum. Ergò ante precationem privatam requiriturne præparatio aliqva? Sic, si sit solennis: oratio enim privata duplex est, brevis ejaculatio desiderii, vel continua series orandi, seu solennior, supra c. 9. th. 33. 34. Illa non requirit præparationem aliqvam ante se, qvia sic in infinitum fieret progressus; sed hæc requirit: Requirit enim meditationem, seu considerationem aliqvam eorum, qvæ pertinent ad preces nostras, sive respectu Dei, qvè precamur, sive respectu nostri, qvi precs habituri sumus,

sive respectu rerum ipsarum, qvæ sunt petendæ, ut etiam dictum supra c. 9. th. 15.

XIV. *Quæ sunt circumstantiæ concomitantes in quibus modus Deum colẽdi divinæ majestati congruens consistit?*

Reverentia, & devotio: Deum enim rectè colens, juxta tertium præceptum, antecedenter desiderat cultum Dei, & auditionem verbi, & ad illum se præparat: concomitanter verò res sacras qvibus Deum colit, reverenter tractat, iisqve devote utitur.

XV. Obj. præc: Reverentia propriè est totius obedientiæ erga Deum, ut vid. supr. c. 2. th. 11. Ergò non est circumstantia concomitans modum cultus Dei tertio præcepto mãdatum constituens. Resp. Conseq. negatur, qvia duplex est reverentia: n. generalis, qvæ propriè est totius obedientiæ erga Deum, nimirum pietatis, & justitiæ, qvâ reveremur Deum mandantem, propter suam authoritatem, qvam habet in nos, ut dictum supra c. 1. th. 17. 19. 26. vel specialis, qvæ propriè est actuum pietatis, seu religionis, n. auditionis verbi Dei, orationis, juramenti, sortis, publicæ verbi prædicationis, sacramentorum celebrationis, publicæ precationis, &c. qvâ honoramus res ad cultum Dei pertinentes, n. verbum Dei, codicem sacrum, aqvam baptismi, panem, & vinum in Cœna Dominica, &c. propter earum sanctitatem. cas. l. 4. c. 31. q. 1.

703147

XVI. Quibus in rebus consistit reverentia ista, quæ scilicet propria est actuum religionis?

Consistit. 1. in justa æstimatione excellentiæ talium rerum. 2. in timore nimiæ familiaritatis, qvâ scil. res tales insignè possint à nobis tractari, hoc est, reverentiâ rerum sacrarum consistit. 1. in eo, ut res sacras, n. auditionem verbi, adeóqve verbum Dei, templum, sacramentorum celebrationem, adeóqve aqvam, & vasa baptismi, panem, vinum, & vasa Cœnæ Dominicæ, &c. magni æstimemus. 2. in eo, ut timeamus rebus sacris familiariter, adeoq; indignè uti. Dignè utimur rebus sacris, cum iis in re honesta seu licita, seria, & necessaria, seu gravi utimur: iis verò indigne utimur, cum iis in re turpi, seu illicita, ludicra, levi utimur, ut infra dicetur. th. 33. Observa ergò. Volens Deum rectè colere, cultum Dei, ut publicam verbi auditionem, precationem, &c. & res illas, qvæ ad cultum Dei pertinent, ut verbum Dei, codicem sacrum, aqvam baptismi, panem, & vinum in Cœna Dominica revereri debet, id est, magni æstimare, iisqve digne uti. Vel, volens rebus sacris divinæ majestati convenienter uti, iis uti debet reverenter. Patet. 1. ex ita sit. Exod. 20. 7. Ne assumas nomen Dei invanum, id est, nomen Dei sanctifices, hoc est, rebus sacris ita utere, prout earum sanctitati, & DEI majestati convenit, qvod ita fit, si rebus sacris reverenter ulus fueris. 2. cur ita sit. 1. Qvia Iudæi cultum Dei, seu res sacras, qvarum usu Deus colitur, non reverentes damnantur Esaiæ

Esai. 1. 13. Luc. 19. 46. 2. Qvia cultus DEI, & res sacræ qvibus Deus colitur, precioſiores sunt omnibus rebus preciosis. Psal 19. 11. 3. Qvia Deus, ex lege contrariorum, sanctificatibus nomen suum, seu rebus sacris reverenter utentibus, magnum præmium promisit in tertio mandato. Exhortatio. Ergò Deum colamus reverenter, hoc est. 1. res sacras magni æstimemus. 2. eas dignè tractemus, utentes iis in re honesta, seria, gravi, ut infra dicetur. th. 33. Qværes, an & qvatenus religiosa reverentia deferenda sit rebus, qvæ pertinent ad cultum, ut scripturæ verbis, aqvæ baptismi, pani & vino in Cœna Dominica. Respondetur cas. l. 4. c. 31. q. 1.

XVII. Quibus in rebus consistit devotio?

Consistit devotio cultus Dei. 1. in promptitudine singulari, ad omnia illa præstanda, qvæ pertinent ad Dei cultum, hoc est, in eo. 1. ut sine torpore, promptè Deum colamus, hoc est, verbum ejus audiamus, sacramentis utamur, precemur, canamus. Sic colebat David Deum: qvia dicit. Psal. 108. 2. 3. Erecto, id est, prompto animo meo canam, ô Deus. Expergiscar inde ab aurora, id est, promptus sum ad Deum colendum. 2. ut cum gaudio sine tristitia Deum colamus, hoc est, verbum Dei audiamus, sacramentis utamur, canamus, precemur, Sabbathum sanctificemus. Esai. 58. 13. si vocavetis Sabbathum delicias, id est, si Sabbathum cum gaudio sine tristitia, & molestia sanctificaveris, & consequenter verbum Dei audiveris,

703147

diveris, &c. Vide reliqva, in qvibus devotio in cultu Deiconsistit. cas. l. 4. c. 32. q. 2. Obj. Aliqvi ex devotione prorumpunt in lachrymas: Ergò lætitia non est effectus davotionis: qvia ut risus ex gaudio, sic fletus, ex tristitia oritur. Resp. Conseq. negatur: probatio non est universalis: sæpè etiam ex gaudio oritur fletus, Thom. 2. 2. q. 82. art. 4. Observa ergo. Volens Deum rectè, seu majestati divinæ congruenter colere, debet Deum colere, ut verbum Dei audire, sacramentis uti, canere, precari devotè, id est, prompta, & parata voluntate, & magno cum gaudio. Vel, volens rebus sacris divinæ majestati congruenter uti, iis devotè uti debet. Patet. 1. sam ita fit. Exod. 20. 7. Ne assumas nomen Dei in vanum, id est, nomen Dei sanctifices, hoc est, ita cole Deum, prout ejus majestati convenit, qvod ita fit, si devotè res sacras tractaveris. Sic. Psal. 40. 9. & 105. 3. & 110. 5. & 119. 14. Esa. 64. 5. Col. 3. 23. 1. Petr. 1. 15. 1. Thess. 5. 16. 2. cur ita sit. 1. Qvia hilarem datorem diligit Deus, id est, devotum cultorem sui amat Deus. 2. Cor. 9. 7. 2. Qvia damnatur Israel, qvod sine lætitia, id est, devotione coluerit Deum. Deut. 28. 47. 3. Qvia promptos, & paratos cultores laudat scriptura. Psal. 119. 164. Luc. 2. 37. Act. 10. 3. Correctio. Damnandi ergo sunt qvi Deum colunt sine ulla devotione, hoc est. 1. cum torpore, seu segnitie. Hebr. 5. 11. 2. cum evagatione mentis, adeóqve sine ulla delectatione, lætitia, & gaudio. Ezech. 33 31. Exhortatio. Ergò devotè Deum colamus. Qværes, qvib' mediis posit ista devotio per gratiam DEI à nobis comparari? Respondetur cas. l. 4. c. 32. q. 2.

XVIII. *Eo modo audiendus & invocandus est ne Deus, quo principes, & alii homines?*

Non: qvia Deus audiendus, & invocandus est devotè: Principes, & alii homines audiēdi, & invocandi sunt non devotè; sed civiliter, & sine ulla devotione, qvia devotio est actus religionis: qvia constituit modum Deum colēdi: & dicitur à devovendo: At votū est actus religionis: Ergò & devotio est actus religionis. Obj. Devoti sumus & hominibus: dicimus enim devotissimi T. C. clientes. Et, servi dicuntur devoti suis Dominis. Et Romani devoti Romanis legibus dicebant, non habemus Regem; sed Cæsarem: Ergò devotio non est actus religionis. Resp. Conseq. negatur, qvia sic abusivè loqvimur. Thom. 2. 2. q. 82. art. 1.

XIX. *Quæ sunt circumstantiæ consequentes, in quibus modus cultus divini majestati divinæ congruens consistit?*

1. Cultus Dei, n. auditionis verbi, sacramentorum usurpationes, publicæ precationis, &c. non oblivisci, sed recordari. 2. cultus divini, n. auditionis verbi, &c. finem, & usum omni conatu obtinere. Finis communis cultus Dei est glorificatio Dei, & nostræ salutis promotio: finis enim specialis auditionis verbi Dei est fidei gene-

703147

generatio, & obedientia erga Deum: finis usurpationis sacramentorum est confirmatio fidei verbo genitæ: finis publicæ precationis est impetratio eorum, qvæ à Deo petimus. Obsetva ergo. Volens Deum majestati divinæ congruenter colere, ut verbum Dei audire, &c. cultûs Dei, ut auditi verbi recordari, & finem ejus omni conatu obtinere debet. Vel, volens sacris rebus divinæ majestati congruenter uti, earum non oblivisci, sed recordari, & earum finem omni conatu obtinere debet. Patet. Io an ita sit ex. 3. mandato: Ne assumes, &c. id est, nomen Dei sanctifices, hoc est, eo modo Deum colas, qvi ejus majestati convenit, qvod ita fit, si cultum Dei, ut auditum verbum retineris, & fructum ejus omni conatu assequi volueris. Sic. Deut 6. 9. & 26. 13. Psal. 119. vs. 93. 141. 33. 139. 176. 2. Cur ita sit 1. qvia volentes Deum sine retentione cultûs, & conatu fructum ejus obtinendi colere, fallunt se ipsos. Iac. 1. 22. Sic. Matth. 7. 21. Rom. 2. 13. 2. qvia sic in cultu DEI versans est beatus. Iac. 1. 25. 3. qvia falsi Prophetæ facientes, ut populus Dei obliviscatur nominis, seu cultus Dei, damnantur. Ier. 23. 27. Exhortatio. Ergo cultum Dei, ut verbum auditum in animo retineamus, ut ibi altas agat radices, & fructum ad Dei gloriam proferat, qvales fructus sunt fides in Deum, & obedientia erga eum, seu observatio præceptorum ejus. Oblivioſi enim Dei cultores, id est, qvi de cultu Dei, ut de auditione verbi Dei nocte diéqve non cogitant, & finem, seu usum, & fructum cultûs Dei non conantur obtinere, damnantur. Iac. 1. 23. 24.

XX. Qvid

XX. *Quid sunt circumstantiæ externæ, qvæ modum cultus Dei, divinæ majestati congruentem efficiunt?*

Sunt circumstantiæ, qvæ ad ordinem, & decorum pertinent. 1. Cor. 14. 40. omnia decenter, & ordine fiant, id est, si velitis Deum majestati suæ convenienter colere, ut verbum ejus audire, colite eum convenienti loco, tempore, &c. Decorum opponitur vanitati, sordibus, luxui: ordo confusioni, & perturbationi. Est enim ordo parium dispariúmqve rerum sua cuíqve tribuens loca dispositio. Est autē alluſio ad œconomiam, in qva hæc duo requiruntur: Domus tunc dicitur decenter disposita, qvando sordes absunt, omnia conveniente habitu, & ornatu absqve luxu sunt comparata, ordinéqve dispositæ, qvando familia in superiores, & inferiores distincta, tota facit conveniēter officium: statæ sunt vices prandendi, cœnandi, laborandi, cubandi, surgendi, precandi: servatur deniqve pax, & tranqvillitas domestica. Et aliud qvidem decorum est aulæ, aliud curiæ, aliud Ecclesiæ, qvæ est domus Dei. 1. Decorum Ecclesiæ non est in auro, argento, statuis, casulis, cappis, aut ceremoniarum larvis: sed ut locus sit commodus, vasa & instrumenta omnia sint munda, habitus Pastorum decorus, actiones omnes publicæ & privatæ absqve levitate, superstitione, & sordibus, divina gravitate, modestia, & pietate tam à docentibus, qvam à discentibus peragantur omnia,

703147

qvasi in DEI, & sanctorum Angelorum conspectu. 2. Ordo Ecclesiæ est, ut singula conveniente tempore disposita sint in Ecclesia: sit discretus ordo docentium, & discentium: sint statæ vices concionandi, precandi, psallendi, catechizandi, communicandi, baptizandi, & qvæ hujus generis sunt alia: qvibus & ataxia cavetur, & ædificatio Ecclesiæ ac singulorum qvam maximè promovetur. Observa ergo. Volens Deum divinæ majestati congruenter colere, debet Deum colere, ut verbum DEI audire, decenter, & ordine. Vel, volens rebus divinæ majestati convenienter uti, iis uti debet decenter & ordine. Patet. 1. an ita sit ex. 3. mandato: Ne assumes, &c. id est, nomen Dei sanctifices, hoc est, Deum ita colas, prout ejus majestati convenit, qvod ita fit, si res sacras decenter & ordine tractaveris, Sic 1. Cor. 14. 40. Rom. 13. 13. 1. Thess. 4. 12. 2. Cur ita sit. 1. qvia cultus Dei, ut prædicatio verbi publica sine ordine, & decoro non ædificat. 1. Cor. 14. 26. ubi cultus Dei ita dicitur fieri ad ædificationem, si fiat juxta canones ab Apostolo requisitos, versibus 27. 40. qvorum ultimus est, ut omnis cultus Dei decenter, & ordine peragatur. 2. qvia Deus indecori, & confusionis Author non est. 1. Cor. 14. 33. 3. qvia actiones civiles decenter, & ordine debent fieri: Ergò magis religiosæ, qvales sunt publica prædicatio, & auditio verbi, sacramentorum celebratio, & usurpatio, publica precatio, &c. Exhortatio. Ergò in cultu Dei servemus. 1. Decorum. Sit igitur in cultu Dei locus, munus, &c. Deboratio. Indecorum ergo &

go & confusionem in cultu Dei vitemus, ut infra habebis.

XXI. Quomodo debent ordinari circumstantiæ externæ, quæ modum cultus Dei majestati divinæ congruentem reddunt, & ad decorum, & ordinem cultûs divini pertinent?

Eo modo, qvi maximè ad ædificationem facit, 1. Cor. 14. 26. omnia ad ædificationem fiant, id est, circumstantias externas, qvæ modum cultus Dei, ejus majestati congruentem reddunt, & ad decorum, & ordinem cultus Dei pertinent, eo modo ordinetis, qvi vos ædificat, id est, magis credentes, & pios reddit, qvam fuistis, ut meliores abeatis, qvam accesseratis. Sic ordinaverat Paulus circumstantias has. 1. Cor. 14. 26. 40. Sic ordinant & Ecclesiæ reformatæ has circumstantias. Ordinãt enim. 1. ut templa sint munda. 2. ut omnia vasa cultus sint pura. 3. ut habitus Pastorum sit decorus. 4. ut actiones omnes religiosæ, tũ à docentibus, tùm à discentibus absqve tumultu, murmure, idololatriæ signo, divina gravitate, pietate, modestia peragantur. 5. ut discretus sit ordo docentium, & discentium. 6. ut sint statæ vices concionandi precandi, psallendi, catechizandi, communicandi, baptizandi. 7. ut cum Cantore canente tota Ecclesia canat: Pastore verò concionante tota Ecclesia taceat. 8. ut singuli in templo propria sedilia habeant. 9. ut tota Ecclesia ante cantum cõ-

703147

cionem antecedentem in templum ingrediatur, & finito cantu concionem consequente templo egrediatur. 10. ut Pastor in enimentiori loco oret, concionetur, gratias agat, & cantu finito, Ecclesiæ benedicat. 11. ut primò Pastores, secundò Patroni, tertiò cives, quartò scholares, quintò mendici, sextò Pastrices & Matronæ, septimò uxores civium, octavò mendicæ discumbendo communicent. 12. ut eleemosinæ pro foribus templi non clamoso, & tumultuoso pauperum gregi, sed Diaconis præstetur. 13. ut omnia sacramenta in publico cœtu administrentur. 14. ut copulandi & eorum cõvivæ stante concione in templum ne ingrediantur, &c.

XXII. *Quæ sunt circũstãtiæ externæ, quæ modum cultus Dei, ejus majestati convenientem reddit, & quæ ad ordinem, & decorum cultus Dei pertinent?*

Locus, adeoq; templũ, tẽp⁹, vestes, vasa, &c. Qværes. 1. Qvid differt tempus tertio præcepto mandatum à tempore, qvod qvartum præceptum imperat? 1. Illud non est proprium religiosorum actuum, adeóqve non est pars religionis; sed hoc est proprium actuum religiosorum, adeóqve est pars cultus Dei. th. 25. cum c. 15. th. 45. 2. Illud tempus pertinet ad omnẽ Dei cultũ; sed hoc ad cultũ Dei tantum maximè solennem. c. 15. th. 1. 3. Illud tempus non est sanctum; sed hoc est sanctum. 4. Illud tempus est certa aliqvâ horâ, qvâ Ecclesia

clesia ad cultum Dei publicum convenire potest, adeóqve etiam in die Dominica locâ habet; sed hoc est tota dies Dominica. 2. Qvid judicas de templis? 1. Dedicanda sunt templa non ex necessitate præcepti, sed exlibertate Christiana. 2. Templa soli Deo dicanda sunt. 3. Papistica templorũ dedicatio est damnanda: qvia dedicant. 1. creaturis. 2. ceremoniis partim Judaicis, partim Ethnicis. Obj. At Solomon dedicavit templum papistice. Ergò. Resp. Antec. falsum. 3. in templis privatim precari non est melius, qvam Domi. Matth. 6. 6. Ioh. 4. 21. Obj. Pont. Marc. 11. 17. Domus mea Domus precationis: Ergò. Resp. Scilicet publicæ. 4. peregrinationes religiosæ ad hæc vel illa templa sunt illicitæ. Matth. 15. 9. Obj. Pont. Deus promittit se populo suo benedicturum certis locis. Exod. 20. 24. Resp. Discrimen locorum in N. T. est sublatum. Ioh. 4. 21. Matth. 18. 20. Arnold. Lux in ten. 3. Qvid sentis de vestibus Ecclesiasticorum? Vestes in V. T. mutabant Sacerdotes, cum sacra administrabant; sed in N. T. nec Christus, nec ejus Discipuli usurpaunt alias vestes in sacrorum administratione, ut hodiè Pontificii & Lutherani faciunt. 4. Qvid sentis de vasis sacris? 1. Vasa sacra Iudæi multa habuerunt; sed reformati hodiè panca habent, n. vasa baptismi, & Cœnæ Dominicæ. 2. Vasa sacra olim erant lignea, vitrea, modo verò habentur aurea & argentea, ut Bonifacius Episcop⁹ testatur, qvod recitatur in Iure Canonico: Qvondam Sacerdotes aurei lignis calicibus utebantur: nunc è contrario

703147

lignei Sacerdotes aureis utuntur calicibus. 5. In V. T. qvæ fuerunt loca sacra, vestes sacræ, vasa sacra, & qvo fine vide Polanum l. 5. c. 34. & seqq. Voleb. l. 1. Theol. c. 14. And. Esse-zium de Fœdere Evangelico. 2. Qvid sunt circumstantiæ externæ cultus Dei? Sunt communia adjuncta actuum religiosorum, qvæ sunt audire verbum, celebrare sacramenta, &c. & civilium, qvi sunt emere, vendere, iter facere, causas tractare, &c.

XXIII. *Circumstantiæ externæ cultus sunt ne ceremoniæ religiosæ, Ecclesiasticæ, seu ritus & modi Deum colendi?*

Non sunt: qvia ut dictum. th. 22. sunt communia adjuncta actuum religiosorum, & civilium. 1. Obj. præcc: Nonnulli circumstantias externas cultus Dei vocare solent ceremonias religiosas: Ergò sunt ceremoniæ religiosæ. Resp. Conseq. negatur, qvia nihil habent in sua natura, qvod proprium est religionis, adeóqve in iis non propriè consistit cultus religiosus, qvia zqvè adjunguntur actionibus civilibus atqve religiosis. Additur, propriè: qvia cultus religiosi modus, cujus pars est circumstantia loci & temporis, secundaria ratione est cultus DEI, ut dictum. th. 2. 2. Obj. Præcc: Si circumstantiæ externæ cultus Dei non sint ceremoniæ religiosæ: possunt omitti sine ulla majestatis cultûs religiosi læsione: At hoc falsum: Ergò & illud. Resp. Conseq. negatur, hoc est, licet circumstantiæ externæ

externæ cultus Dei non sint ceremoniæ religiosæ, tamen omissis illis aliqvomodo majestas cultûs religiosi læditur: qvia hæ circumstatiæ efficiunt cultûs religiosi ordinē, & decorū, qvibus omissis aliqvomodo majestas cultûs religiosi læditur: qvia, ut ordo, & decorum à civilibus actionibus sine aliqva earum læsione separari neqveunt: sic ordo, & decorum ab actionibus religiosis sine aliqva earum læsione separari non possunt.

XXIV. *Circumstantiæ externæ cultus Dei suntne particulariter, seu in specie in scripturis præceptæ?*

Non sunt: 1. Qvia (ut dictum. th. 22.) communes sunt actibus religiosis, & civilibus. 2. Qvia eas omnes homines vident, & intelligunt observandas esse, ut in actionibus civilibus, sic in actionibus religiosis. 3. Qvia infra dignitatem legis divinæ esset, si tales circumstantiæ in lege divina præscriberentur, sic enim multa ridicula deberent in lege Dei prohiberi, nimirum. 1. ne in Ecclesiastico cœtu unus in alterius sinu se se collocaret. 2. nemo in alterius faciem conspueret. 3. nemo in sacris actionibus papysmos faceret, seu collisis inter se manibus plausum ederet, &c. Obj. præcc: Si circumstatiæ externæ cultus Dei nō sint à Deo in scripturis particulariter præceptæ, non sunt habendæ tanqvam ex voluntate Dei præceptæ: At falsum hoc: Ergò & illud. Resp. Conseq. negatur: id est, & si circumstantiæ externæ cultus Dei non sint particulariter in scripturis præ-

703147

ceptæ tamen habendæ sunt tanqvam ex voluntate Dei præceptæ. 1. qvia in scripturis in genere circumstantiæ externæ cultus Dei, sub lege ordinis, decori, & ædificationis sunt præceptæ. 1. Cor. 14. 26. omnia ad ædificationem fiant, hoc est, in cultu Dei talibus circumstantiis externis utimini, qvæ ædificant; id est, augent fidem, & obedientiam erga Deum, non minuunt. Et v. 40. omnia decenter, & ordine fiant id est, in cultu Dei tales circumstantias externas usurpetis, qvæ cultum Dei decorum, & ordinatum efficiunt. 2 qvia circumstantiæ externæ cultus DEI, necessariò sequuntur ex iis, qvæ Deus expressè præcepit, hoc modo: 1. Deus præcepit, ut fideles omnes ad Deum colendum conveniant. Hebr. 3. 4. & 10. 25. Ergò hoc etiam tacite præcepit, ut fideles habeant idoneum aliqvem locum, templum, nempe, in qvo possint convenire, & etiam tempus assignatum, qvo simul possint adesse. Ratio consequentiæ, qvia fideles omnes non possunt ad Deum colendum convenire, sine idoneo loco, & tempore assignato. 2. Deus expressè præcepit, ut sit Minister, qvi alios publicè doceat. Eph. 4. 11 12. Ergò tacitè hoc etiam præcepit, ut habeat cathedram, in qva alios docere possit.

XXV. Circumstantiæ externæ, quæ cultum Dei decorum, & ordinatum efficiunt, sunine arbitrariæ, seu, quales debent, & possunt esse?

Non tales, qvales homines volunt, sed tales, qvales partim. 1. Deus in genere, sub lege decori, ordinis, & ædificationis, dictat. 1. Cor. 26. 40. 2. ipsa rerum sacratum natura, desiderat: ut publica verbi prædicationis natura desiderat, ut fideles habeant locum publicũ, in qvo, & certam horam, qvâ conveniant: ut unus loqvatur, alii taceant: docens eminentem sedem habeat, discentes humilem, 3. circumstantiæ illæ; qvæ ex occasione Ecclesiæ se offerunt svadent. Tales circumstantiæ svadent, ut fideles ad Deum colendum tempore pacato in templo, mane, & vesperi, turbato verò tempore in plateis, domibus, &c. vel nocturna aliqva hora conveniant. Errant ergò Pontificii, & alii, qvi circumstantias externas cultus Dei arbitrarias putant esse, adeóqve tales excogitarunt, & finxerunt, qvales voluerunt, qvo cultum Dei non decorum, & ordinatum, sed indecorum, & inordinatum reddunt, qvæ ædificant, seu augent fidem, & pietatem eorum, qvi Deum colunt, sed minuunt. Pontificii enim ordinis, & decori causâ tales circũstantias externas cultûs ordinant, ut cultores Dei necesse conveniant, ingressuri in templum, inter illud circumeant, pectora percutiant, mussitent, indesinenter procumbant, & surgant, oculos aperiant, & claudant, coram imaginibus se incurvent, sacrificulo peccata sua confiteantur, &c. 2. ut sacrificuli sacras vel potiùs histrionicas vestes induant, & auditores suos aqvâ lustrent, edant, bibant, altaria circumeant, se se auditoribus nunc obvertant, nunc ab iis se se avertant, nunc mussitent, nunc loqvantur. 3.

703147

ut tempore cultûs, campanæ, tympana, cytharæ, fistulæ, organa, tibicines sonent. 4. ut templa auro, argento, statuis, imaginibus, &c. ornentur. 5. ut baptizandi exorcizentur, aquæ baptismi, oleum, sal, sputum misceantur, sit eucharistiæ vinum dilutum, panis azymus, &c.

XXVI. Circumstantiæ externæ qvæ cultum Dei, decorum & ordinatum reddunt nõ ab arbitraria hominum institutione pendent; sed partim à generalibus Dei præceptis, ut dictum. th. 25. ratione. 1. partim ab ipsa rerũ sacrarum natura, ut dictum. th. 25 ratione 2. partim à circumstantiis, qvæ ex occasione se offerunt: 1. qvia si circumstantiæ externæ ad decorum, & ordinem cultus Dei pertinentes ab arbitraria, & libera hominum institutione penderent, tùm illas externas circumstantias cultus Dei, qvas homines non instituerunt, non deberemus observare: At multas circumstãtias externas, qvas homines non instituerunt debemus observare, (has enim circumstantias externas cultus Dei, n. in templo, ne unus in alteri' sinu sedeat, in alterius faciem spuat: nemo collisis manib' plausũ faciat: nemo Pastorẽ alloqvatur: ne unus cum alio colloqvatur: qvivis ab sc̃reatu, vomitu, crepitu ventris, &c, abstineat: qvivis mundus, & honestè indutus compareat, &c. homines non instituerunt; sed tamen observare debemus) Ergò circumstantiæ externæ, qvæ cultum Dei decorum, & ordinatum reddunt non ab arbitraria hominum institutione pendent; sed partim à generalibus Dei præceptis, partim ab ipsa rerum sacrarum natura, partim à circumstantiis, qvæ ex occasione

one se se offerunt. 2. qvia si circumstantiæ externæ, qvæ ad cultus Dei ordinem, & decorum pertinent, à libera hominum institutione penderent, homines sine peccato prohibere eas possent: At multæ sunt circumstantiæ externæ, ad decorum, & ordinem cultus DEI pertinentes, qvas homines sine peccato prohibere non possunt, magnum enim peccatum esset, si homines prohiberent, ne in templo homines in suis locis sederent, tacerent, honestè vestiti comparerent, &c. Ergò circumstantiæ externæ ad ordinem, & decorum cultus DEI pertinentes, non à libera hominum institutione pendent; sed partim à generalibus DEI præceptis, partim, &c.

XXVII. Constitutiones, seu canones Ecclesiarum, quibus multæ externæ circumstantiæ ad decorum, & ordinem cultus Dei pertinentes, (ut locus, tempus, &c) determinari solent, rectè vocanturne ab optimis Theologis partim divinæ, partim humanæ?

Rectè: qvia nituntur partim voluntate Dei, qvoad summam, & primariam earum rationem, & partim ex humana prudentia pendent, qvoad particularem observationem earum, qvæ Dei volantati conveniunt. V. g. hæc nostræ Ecclesiæ constitutio, n. unus qvisqve fidelium ad Deum qvotidie colendum in majori templo, hora 6. matutina, & 2. meridiana compa-

703147

comparere teneatur, est partim divina, partim humana: qvia Deus jussit in genere. 1. Cor. 14. 26. 40. ut fideles ad eum colendum in idoneo loco, & conveniente hora compareant, sed in specie homines jubent, ut fideles ad Deum qvotidie colendum in hoc loco, n. in majori templo, his horis, n. 6. matutina, & meridiana. 2. conveniant. Rectè (inqvam) constitutiones tales obdictam rationem vocant optimi Theologi partim divinas, partim humanas; sed non simpliciter: nam si nullus sit error in tali constitutione, constitutio talis vocanda est qvasi simpliciter divina. Ut enim illa hora diei conveniat Ecclesia ad Dei cultum, qvæ omnibus circumstantiis consideratis est maximè conveniens, est Dei voluntas. Si igitur nullus sit error in circumstantiarum observatione, hora illa qvæ ex earum consideratione justa conventui assignatur, agnosci debet, qvasi à Deo constituta. Dicitur, multæ: qvia non omnes circumstantiæ ad decorum & ordinem cultus Dei pertinentes, solent aliqva constitutione, seu lege, & canone ab hominibus determinari, ut dictum. th. 26.

XXVIII. *Quid est specialis modus Deum colendi?*

Cum una qvæqve actio religiosa (ut auditio verbi, precatio,) &c. ita peragitur, prout specialis ejus natura postulat. Vidimus supra modum Deum colendi omnibus actionibus religiosis, (ut auditioni verbi, precationi &c.) communem: nunc videre debemus modum uniciqve actioni religiosæ proprium.

XXIX. *Qui ergo specialiter audiendum, & prædicandum verbum Dei, Deus invocandus, Sacramenta participanda, disciplina Ecclesiastica exercenda jurandum, sors ducenda?*

Specialiter. 1. verbum Dei auribus percipere, & facere debemus. Esai. 66. 5. Ezech. 33. 31. seu ita audiendum est verbum DEI, prout vidimus supra c. 8. 2. verbum Dei prædicandum est, ita, prout diximus. Med. l. 1. c. 35. 2. Deus invocandus & orandus est ita, prout supra c. 9 docuimus. 3. Sacramenta. 1. participanda sunt dignè. 1. Cor. 11. v. 27. seu ita prout Med. l. 1. c. 36. ad th. 27. 2. administranda ita, prout ibidem, & præcipuè ad th. 30. explicuimus. 3. Disciplina Ecclesiastica exercenda est ita, prout. Med. l. 1. c. 37. diximus. 4. Jurandum, & sors, mittenda est ita, prout supra capite. 10. & 11. & præcipuè c. 10. th. 2. explicuimus. Huc pertinet formula baptizandi, Cœnam Domicam administrandi, pœnitentes absolvendi, personas conjugium ineuntes copulandi, qvam inter alios, Eximius Theologiæ Doctor, Cl. D. G. C. C. Zalosiss. mus Ecclesiæ Debrecinæ Pastor, scripsit.

XXX. *Quare juramentum multi, ut Vollebius, Maresius, &c. ad tertium præceptum, quod modum cultus divini præscribit referre solent?*

703147

Qvia in tertio præcepto reverentia nominis Dei præcipuè nobis commendatur, & nomen Dei singulari qvadam ratione assumitur in juramentis. Ames. Sciagr. dom. 36. 37. doc. 2. Qvare ergò Amesius juramentum ad primum præceptum retulit, Vendelinus verò ad nonum? Qvia juramentum. 1. ratione modi jurandi, qvatenus frustra jurandum non est, ad tertium præceptum pertinet. Lev. 19. 12. ubi profanatio nominis Dei prohibetur. Sic. Matth. 5. 34. ubi etiam juramenti vanitas prohibetur. 2. qvatenus est actus religionis, & Deum respicit, ad primum præceptum pertinet. 2. Chron. 36. 13. 3 qvatenus est adjunctum testimonii humani, & proximum respicit, ad nonum præceptum pertinere potest. infra. c. 21 th. 34. Observa ergo. Præcipuè juramentum debemus ita usurpare, prout Dei majestati convenit. Patet. 1. an ita sit ex tertio præcepto, ubi prohibetur præcipuè abusus nominis DEI, qvod in juramento invocamus. 2. cur ita sit. 1 Qvia in juramento est invocatio qvædam nominis Dei. 2. Qvia Deus hic invocatur non simpliciter; sed tanqvam testis, Iudex, & vindex. 3. qvia in juramento obligamus nos ipsos DEO, & subjicimus animas nostras ipsius iræ, & vindictæ, si fallamus. 4. Qvia Dei nomen facimus hic nostrum vadimonium, qvæ omnia, & singula ex sua natura postulant singularem & religiosam curã. Condemnatio adversus illos, qvi dediti sunt juramentis temerariis, superstitiosis, aut blasphemis, & profanis.

XXXI.

XXXI. Ille colit Deum rectè, id est, majestati divinæ convenienter, qui rebus sacris cum desiderio, præparatione, reverentia devotione, recordatione, conatu, earum finem obtinendi, ordine, & decenter utitur: contra verò ille non rectè, seu majestati divinæ inconvenienter colit Deum, qui res sacras cum acedia, pigritia, contemptu, torpore, temeritate, oblivione, confusione tractat, Quæ ergo adversantur rectò jam dicto modo Deum colendi?

1. Acedia, 1. Qvid est acedia? Est peccatum, cum qvis res divinas, aut spirituales, ut verbum Dei, Sacramenta, preces, &c. non desiderat, sed fastidit. Acedia hæc damnatur. 2. Tim. 4. 3. Thomas 2. 2. q. 35. art. 1. negat acediã esse peccatum: Ergò non est peccatum. Resp. Conseq. negatur. 2. cui virtuti adversatur acedia? Desiderio illi, qvo res sacras appetere debemus, de qvo supra. th. 11. desiderium hoc commendatur. 1. Petr. 2. 2. Observa ergò. Acedia, seu rerum sacrarum fastidium est fugiendum. Patet 1. an ita sit ex. 3. mandato: Ne assumas, &c. id est, ne nomẽ Dei profanes, id est, ne modo inconveniente utere rebus sacris, qvod ita fit si cum fastidio iis usus fueris. 2. cur ita sit. 1. Qvia acedia repugnat rectò modo Deum colendi, qvia repugnat

703147

desiderio rerum sactarum, qvo Deum rectè colimus. 2. Qvia acedia est peccatum, qvia damnatur. 2. Tim. 4. 3. 3. Qvia acedia apostasiam efficit. Ibidem. 4. Qvia non dimittet Deus impunitum, qvi nomen ejus in vanum assumpserit, seu qvi res sactas fastidiverit. 5. Qvia Israelitæ damnantur ob fastidium mannæ. Num. 11. 6. & 21. 5. 6. Qvia res sacræ non sunt res malæ. Dehortatio. Fugiamus ergò acediam. 2. Tim. 4. 3. Exhortatio. Desideramus ergo res sactas. 1. Petr. 2. 2.

XXXII. 2. Pigritia. 1. Qvid est pigritia hæc? Est peccatum cum qvis alacritatem, & laborem ad res sacras reqvisitum refugit, seu cū qvis pigratur se ad cultum Dei, ut auditionem verbi, præparare. Pigritia hæc damnatur. Rom. 12. 11. 2. cui virtuti adversatur hæc pigritia? Animi excitationi, seu diligentiæ, cum qvis diligenter, alacriter, fervidè se ad cultum Dei præparat, de qva supra th. 11. Hæc excitatio, vel diligentia animi nostri commendatur. Rom. 12. 11. & Psal. 57. 8. 9. Observa ergo. Pigritia, seu pigratio præparationis ad cultum Dei, seu ad res sactas tractandas reqvisitæ, est fugienda. Patet. 1. an ita sit. 1. ex tertio mādato: Ne assumas, &c. hoc est, ne profanes nomen Dei, hoc est, ne colas Deum ita, prout non convenit Dei majestati, qvod ita sit, si præparationem ad res sacras tractandas pigratus fueris. 2. ex Davidis exemplo. Psal. 57. 89. 2. cur ita sit. 1. Qvia pigritia hæc repugnat recto modo Deum colendi, qvia repugnat animi excitationi, seu præparationi, qvâ rectè Deum colimus. 2. Qvia pigritia hæc est peccatum,

catum, qvia ab ea Apostolus nos dehortatur, Rom. 12. 11. 3. Qvia etiam pigratio præparationis ad actionem profanam necessario fugiēda est, qvia est damnosa. 4. Qvia non dimittet Deus impunitum, qvi nomen ejus in vanum assumpserit, id est, ad cultum se se non præparaverit. Dehortatio. Ergò ne pigreris te ad cultum Dei præparare. Exhortatio. Ergò ad cultum Dei diligenter nos præparemus.

XXXIII. 3. Contemptus rerum sactarū, & earum abusus. Qvid contemptus? Cum qvis contemnit, seu res sactas parvi in animo æstimat, ut Gadareni Christum, Iudæi templū. Qvid abusus? Cum qvis rebus sacris ad res turpes, ludicras, leves abutitur. Abutitur qvis rebus sacris. 1. ad res turpes, cum per nomē Dei pejerat, mentitur, imprecatur, verbo, & oratione incantat, &c. 2. Ad res ludicras, cum qvis Sacræ Scripturæ sententiis, ludit, dicens: durus est hic sermo, &c. & cum baptismo jocatur, &c. 3. Ad res leves, cum qvis in communibus colloqviis Dei titulos proprietates, usurpat. Irreverentia hæc damnatur in Iudæis domum precationis convententibus in spelunca latronum. Luc. 19. 46. 2. cui virtuti opponitur irreverentia hæc? Reverentiæ, qvâ 1. res sacras magni facimus. 2. iis abuti timemus: de qva supra. th. 16. Reverentia hæc præcipitur. Luc. 19. 46. ubi, prohibitâ irreverentiâ, præcipitur reverentia rerum sactarum. Observa ergo. Contemptus rerum sactarum, & earum abusus ad res turpes, ludicras, & leves, est damnandus. Patet. 1. an ita sit. Ne assumas, id est, nomen Dei ne profanes, hoc

703147

est, ne colas Deum ita, prout ejus majestati nō convenit, qvod ita fit, si res sacras contempseris, iisqve abusus fueris. 2. Cur ita fit. 1. qvia repugnat rectò modo Deum colendi, qvia repugnat reverentiæ rerum sacratum, qvâ Deum rectè colimus. 2. qvia damnatur in Gadarenis Christum porcis postponentibus, & in Judæis templum, emptionis, & venditionis locū facientibus. Luc. 19. 46. in Davide spernente verbum Iehovæ. 2. Sam. 12. 9. 3. qvia contemnentes res sacras, & iis abutentes dicuntur porci, & canes. Matth. 7. 6. 4. qvia licet privatio rerum sacratum non damnet, contemptus tamen damnat. Non dimittet Deus impunitum, qvi nomen ejus in vanum assumpserit, id est, cōtēpserit. &c. Hebr. 10. 28. 29. 5. qvia sacræ res sunt media vitæ æternæ. 6. qvia contemnere congregationem fidelium, & bona congregationis, seu domus Dei, proprium est apostatarum. Hebr. 10. 25. Correctio. Damnandi ergo sunt. 1. qvi res sacras contemnunt, qvi rebus sacris ad res turpes, ludicras, & leves abutuntur. Tales sunt. 1. qvi rebus sactis utuntur: 1. in re turpi: ut qvi per nomē Dei pejerant, mentiuntur, imprecantur, verbo Dei, & oratione incantant. 2. in re ludicra, ut qvi phrases qvasdam scripturæ (ut bonum est nos hic esse: opus est Domino: durus est hic sermo: habetis potestatem solvendi, & ligandi, &c.) in ludo usurpant, & cum sacramētis, præsertim baptismo jocantur, ut cum veteres opifices, qvæstores, novitios baptizare solēt. 3. in re levi, ut qui in communibus colloqviis titulos, & proprietates Dei usurpant, interjecto nomine Dei asserunt, negant, promittūt, exclamant, tident, &c. 2. qvi templa lotio, & stercore conspurcant. 3. qvi panem, & vinum post communionem relictum alicui contumeliæ exponunt. 4. qvi res sacras ad nauseam dispensant. 5. qvi verbum Dei proponunt, & audiunt, ut exiles fabulas. 6. qvi rebus sacris, ex vilipendio non utuntur. Exhortatio. Ergò res sacras reverenter tractemus, ut supra dictum.

XXXIV. 4. Torpor, & evagatio mentis. 1. Qvid est hic torpor? Est peccatum cum qvis segniter, adeóqve animo invito, non prompto, tristante, non gaudente rebus sacris utitur. Evagatio mentis qvid? Est peccatum cum qvis animo absente, corpore, præsente, rebus sacris utitur, adeóqve sine ulla promptitudine, & delectatione. Torpor hic damnatur. Heb. 5. 11. & evagatio mentis. Ezech. 33. 31. 2. cui virtuti opponitur hic torpor, & mentis evagatio? Devotioni, qvæ est virtus, qva rebus sacris prompta voluntate, & cum delectatione utimur. Hæc devotio laudatur in Cornelio. Act. 10. 2. Observa ergo. Torpor, & evagatio mētis, in cultu Dei, ut in auditione verbi, oratione, &c. est damnanda. Patet. 1. an ita fit. Ne assumas, hoc est, nomen Dei ne profanes, hoc est, ne eo modo colas: qvi Dei majestati non convenit, qvod ita fit, si Deum cum torpore, seu segnitie, & evagatione mentis colas. 2. Cur ita fit. 1. qvia repugnat recto modo Deū colendi, qvia repugnat devotioni, qva Deum rectè colimus. 2. qvia segnities seu torpor damnatur in Judæis. Hebr. 5. 11. & evagatio mentis

703147

mentis in Israele. Ezech 33. 31. 3. qvia ignavia etiam extra cultum Dei damnatur. Eccl. 11. 4. Exemplis in Israelitis. Ios. 18. 3. in servo malo. Matth. 25. 26. in Cretensibus Tit. 1. 12. 4. qvia torpor, & evagatio mentis in cultu Dei graviter punitur: Non dimittet impunitum, qvi nomen ejus in vanum usurpaverit, seu ipsum cum torpore, & evagatione mentis colnerit. Exhortatio. Fugiamus ergo in cultu Dei segnitiem, dormitationem, & mentis evagationem. Exhortatio. Ergò Deum colamus devotè, adeóqve promptè, diligenter, zelosè, fervidè, violenter: 1. Qvia violenti, Dei cultores rapiunt regnum cœlorum. Matth. 11. 12. Luc. 16. 16. tales enim vielentos amat Christus, & tales fuerunt ii, qvi perfosso tabulato ad Christum demiserunt grabbatum paralytici, Chananæa, offerentes Christo puerulos, Bartimæus cæcus, 2. Qvia rapere bonum semen ex corde illius, qvi sermonem Dei auribus audit, sed mente non attendit, dicitur Diabolus. Matth 13. 19. qvatenus, scil. Diabolus efficit, ut auditor ex sermone Dei, qvi annunciatur, nullum gustum percipiat, estqve metaphora ab avibus famelicis, qvæ sationis tempore præsto sunt, ut semen, qvod projectum fuerit in terram statim rapiant, & devorent.

XXXV. 5. Temeritas, seu vanitas, 1. Qvid? Temeritas, seu vanitas illa est peccatum, cum qvis rebus sacris, ut verbo Dei, &c. utitur: 1. non ad justum finem, 2. gloriam Dei, & propriam suam salutem; sed ad fines injustos, ut cum qvis verbo, vel nomine DEI circa collum suspenso, morbos, curat, Diabolum

lum fugat, pane eucharistiæ febrim pellit, sacro ministerio, simoniam exercet: qvales sunt qvi missam celebrant, concionantur, sacramenta administrant, pro pecunia. 2. leviter, tanqvam re non magni momenti, seu non eo modo, qvi requiritur ad finem earum justum, n. gloriam Dei, & propriam suam salutem. 3. sine serio conatu fructum ex illis percipiendi, ut vidimus, supra th. 6. & vides Sciagr. dom. 36. 37. doc. 1. tes. 3. Hæc temeritas damnatur. Ier. 32. 34. ubi populus Iudaicus damnatur, qvod prophetiam Dei leviter tractaverit, tanqvam rem non magni momenti, vocando eam onerosam. Damnatur & Pilatus qvod sacrificium DEO oblatum leviter tractaverit tanqvam rem parvi momenti, Galilæorum sanguinem cum ipsorum sacrificiis miscendo. Luc. 13. 1. 2. Cui vitiuti adversatur hæc vanitas, seu temeritas, & levitas? Qvoad primum membrum adversatur sinceræ intentioni, in qva primò præparatio consistit, ut dictum, qvoad secundum reverentiæ, qvoad tertium serio conatui finem rerum sacrarum obtinendi, ut vides in Sciagr. citato loco. Serius conatus finē, usum, & fructum rerum sactarum obtinendi, laudatur. 1. Cor. 11. 17. ubi Apostolus Corinthios damnat, qvod sine ullo emolumento Deum colant, & contra laudat eos, qvi cum emolumento conveniunt ad Deum colendum. Observa ergo. Temeritas, seu temeraria, & vana sacratū rerū usurpatio est damnanda. Patet. 2. an ita fit: Ne assimas, &c. hoc est nomen Dei ne profanes, hoc est, rebus sacris ne utere eo modo, qvi non convenit majestati divinæ,

qvod

703147

qvod sit si iis usus fueris temerè, in vanum, frustra. 2. Cur ita fit. 1. Qvia temeritas hæc repugnat recto modo Deum colendi, qvia repugnat rectæ intentioni, reverentiæ, serio conatui finem rerum sacratum obtinendi, qvibus Deum rectè colimus. 2. Qvia hæc temeritas damnatur in Iudæis, Ier. 13. 34. & in Pilato, Luc. 18. 1. 3. Qvia Deus non dimittet impunitum, qvi nomen ejus in vanum assumpserit, seu temerè usurpaverit. 4. Qvia nec actio profana debet suscipi temerè, id est, sine justo fine, conveniente modo tractandi, serio conatu finem ejus assequendi. Dehortatio. Ergò res sacras (ut titulos, proprietates, verba Dei, orationem, sacramenta, &c.) ne usurpemus temerè, id est, 1. sine intentione justi finis. 2. leviter. 3. sine conatu serio fructum, seu finem earum assequendi. Exhortatio. Ergò res sacras usurpemus, propter justum finem, reverenter, & cum serio conatu earum finem obtinēdi, ut dictum supra.

XXXVI. 6. Oblivio. 1. Qvid? Est peccatum, cum qvis cultûs Dei, n. auditionis verbi, &c. obliviscitur, adeóqve fructum ejus, n. fidem, obedientiam, non percipit, & in fructu percepto, n. fide, & obedientia, non permanet. Oblivio hæc damnatur, Iac. 1. 24. 25. 2. Cui virtuti advertatur hæc oblivio? Recordationi, seu retentioni cultûs Dei in animis nostris, & consequenter perceptioni fructûs, n. fidei, & obedientiæ, qvæ religionis actus, n. auditionem verbi, sacramentorum participationē, &c. seqvi debent, de qvibus supra. th. 19. Recordatio cultûs Dei, n. auditionis verbi, &c. cō-

mendatur ibidem. Observa ergò. Oblivio cultûs usurpati, n. auditionis verbi, orationis, &c. est fugienda. Patet. 1. an ita fit: Ne assumas, id est, ne profanes nomen Dei, hoc est, rebus sacris ne utere eo modo, qvi majestati divinæ non convenit, qvod ita fit si usurpatarū rerum sacratum, ut auditionis verbi, orationis, obliviscaris, adeóqve fructum earum non percipias, cúmqve retineas. 2. Cur ita fit. 1. qvia oblivio hæc repugnat recto modo Deum colēdi, qvia repugnat retentioni cultûs Dei in mēte nostra, qva Deum rectè colimus. 2. qvia oblivio hæc damnatur. Iac. 1. 24. 25. 3. qvia Deus puniet, qvi nomen ejus in vanum assumit, seu qvi cultum Dei non retinet, ejusqve fructum non ferit. 4. qvia etiam oblivio cæremoniarum, qvibus homines coluntur, est damnanda. Dehortatio. Ergò cultus DEI, ut auditionis verbi, perceptionis sacramentorum ne obliviscamur; sed eum in animo retineamus, fructum ejus feramus, cúmqve perpetuò retineamus.

XXXVII. 7. Confusio. 1. Qvid? Est peccatum, cum qvis confusè in cultu Dei, ut in auditione verbi versatur, qvod ita fit, si qvis non colat Deum conveniente loco, tempore, &c. Confusio hæc damnatur. 1. Cor. 14. 40. 2. Cui virtuti oponitur? Decoro, & ordini, de qvibus supra. th. 20. ordo, & decorum commendantur ibidem. Observa ergò. Confusio in cultu Dei, ut in auditione verbi, orationē, est vitanda. Patet. 1. an ita sit: Ne assumas, id est, ne profanes nomen Dei, id est, ne eo modo colas Deum, qvi ejus majestati non convenit,

703147

venit, qvod ita fit, si Deum colas confusè, id est, sine decoro, & ordine. 2. Cur ita fit: 1. qvia confusio hæc repugnat recto modo Deum colendi, qvia repugnat decoro, & ordini, qvo Deus rectè colitur. 2. qvia confusio hæc damnatur. 1. Cor. 14. 40. Comendatur hic decorum, & ordo cultus Dei: Ergò ejus indecorum, & confusio damnatur: omne enim præceptum Dei explicandum est, (ut & alias dixi) per arsin, & thesin, seu negativè, & affirmativè. 3. qvia punit Deus eum, qvi nomen ejus frustra assumit. seu in rebus, qvibus Deus colitur, confusè versatur. 4. qvia confusio in omnibus nostris actionibus damnatur: qvia impedit ædificationem. 1. Cor. 14. 26. cum seqq. Dehortatio. Ergò Deum colamus, ut verbum ejus audiamus, eum invocemus, non confusè, id est, relictis, vel inversis illis, in qvibus supra decorum, & ordinem Ecclesiæ consistere diximus. Ergò. 1. ne prædicemus verbum Dei: 1. in loco inconvenienti, ut nuper in emporio, Sutorum, Græcorum. 2. horâ inconveniente, ut nuper in festo Nativitatis Christi hora nocturna. 3. in vestitu inconveniente, ut in brevi, lacero, rubro, &c. 2. sacramenta ne celebremus in loco inconveniente, ut in domibus privatis propriis, vel alienis. Exhortatio. Colamus ergò Deum decenter, & ordine, ut supra monuimus.

CAPUT. XV.

De Tempore cultus.

ANA-

ANALYSIS.

TEmpus cultus explicatur. I. A designatione temporis cultus maximè solennis. th. 1. II. A nomine ibidem, cujus nominis ratio redditur. th. 2. III. A moralitate temporis alicujus cultui divino tribuendi. th. 3. cujus temporis præceptum notatur. th. 4. IV. A moralitate certi alicujus diei solenniori Dei cultui destinandi. th. 5. V. A moralitate institutionis unius diei è septem ad solenniorem Dei cultum. th. 6. qvæ. 1. confirmatur tùm per arsin th. 7—8. qvæ. 2. thesis ab objectionibus vindicatur. th. 9—10. tùm per thesin. th. 11. 2. ab objectionibus liberatur. th. 12—25. VI. Ab Authore observationis diei septimi hebdomadæ. th. 26. VII. Ab Authore mutationis diei ultimi hebdomadæ in primum, qvi est Christus. th. 27. qvi. 1. ab objectionibus defenditur. th. 28. 29 30. ibique asseritur immediatum Authorem fuisse illius mutationis: qvod ab objectionibus vindicatur. th. 31—35. VIII. A tempore, qvo diei Dominicæ initium incipit. th. 36. IX. A partibus rectæ observationis diei Dominicæ. th. 37. qvarū prima est qvies, qvæ. 1. explicatur à definitione: est enim cessatio 1 ab operibus servilibus th. 38. qvæ non notant. 1. peccata. 2. bona opera mercenaria. th. 39. sed 3. notant illa opera, ad qvæ peragenda servi solent adhiberi. th. 40. 2. ab operibus nostris, ubi. 1. probatur. 1. an cessandum sit ab operibus nostris: ibid. & th. 41. 2. opera nostra qvæ sint indicatur. th. 42. & confirmatur.

703147

th. 43. 2. cur cessandum sit ab operibus nostris ibid. 3. non ab operibus. 1. communis honestatis. 2. veræ necessitatis. 3. religionis, seu pietatis. th. 44. 2. ab objectione liberatur. th. 45. secunda est sanctificatio quietis, qvæ definitur esse cultus Dei th. 46. isq; inprimis publicus, & bis in uno die celebrandus. th. 47. qvod ab objectione liberatur. th. 48—49. X. Ab oppositis, qvæ sunt. 1. omnes dies festi, ab hominibus instituti, ita ut habeantur pro diebus sanctis, sicut dies D. debet haberi. th. 50. qvod. 1. confirmatur. th. 51. 2. ab objectionibus libratur. th. 52—54. 2. omnes negotiationes, exercitia, convivia, &c. th. 55.

EXPLICATIO.

Qvotum præceptum imperat tempus cultus maximè solennis? Qvartum, ut dictum. c. 14. th. 1. Qvartum præceptum tantum tempus cultus Dei solennis præcipitne? Sic. Obj. Qvartum præceptum præcipit etiam ipsum cultum Dei externum, ut Valæus dicit de Sabb. c. 6. Ergò non tantum tempus cultus præcipit. Resp. Antecedens negatur: nam ut dictum cultum Dei externum secundum præceptum imperat. Qvæ est differentia inter observationem DIEI Dominicæ, & eorum temporum qvæ in aliis diebus, cultui publico destinantur? Resp. 1. Alia tempora sunt ab hominibus designata: sed dies Dominica ab ipso Domino. 2. Alia tempora non tàm sunt instituta, qvam prudenti consilio electa secundum singulatem Ecclesiarum commoditatem: sed dies Dominica institutionis rationem habet accuratam. 3. Alia tempora personalis tantum sunt obligationis juxta cujusqve opportunitatem: sed dies Dominica est obligationis generalis, ita ut cæteræ occupationes cedere debeant ejus observationi: de qva qvæst. dictum c. præced. th. 22. etiam. Qvartum præceptum cujus cultus tempus imperat? Publicæ verbi prædicationis, & auscultationis, &c, de qvibus supra c. 13.

I. *Quodnam est in N. 7, tempus cultus Dei maximè solennis?*

Tempus cultus Dei maximè solennis, jam est cujusqve septimanæ dies primus. Additur. v. maximè solennis: qvia tempus cultus minùs solennis potest esse cujusqve septimanæ, & alius qvivis dies, ut apud nos, cujusqve septimanæ etiam alii sex dies. & præsertim dies Mercurii, & Veneris. 2. jam: qvia in V. T. usqve ad Christi resurrectionem, non primus dies, sed septimus fuit tempus cultus maximè solennis. Patet. 1, en ita fit. 1. Cor. 16. 2. ubi Corinthii primò die cujusqve septimanæ tenebãtur in Ecclesiæ gazophylacium peccuniam suam conjicere: Ergò primò die cujusqve septimanæ tenebantur ad maxime solennem Dei cultum convenire. Sic. Act. 2. v. 7. ubidiscipuli die primó cujusqve septimanæ solebant convenire ad frangendum panem: Ergò primò cujusqve septimanæ die solebant ad cultum Dei maximè solennem, seu publicum convenire. 2. Cur ita fit: qvia Christus cujusqve septimanæ septimum diem, qvi in V. T. erat tempus cultus maximè solennis, mutavit in primum, ut infra di-

703147

cetur th. 27. & seqq. Refutatio. Ergò. 1. Non septimus cujusqve septimanæ dies est in N. T. tempus cultus Dei maximè solennis, ut Iudæi, & judaizantes volunt. 2. Non cujusqve septimanæ Festum huic, vel illi sancto dicatū est cultus Dei maximè solennis tempus, ut Pontificii volunt.

II. *Qui vocatur dies primus cujusque septimanæ?*

Dies Dominica. Patet. 1. an ita sit. Apoc. 1. 10. 2. Cur ita sit: 1. qvia dies primus à Domino nostro Iesu Christo fuit institutus ad cultum Dei maximè solennem. 2. qvia dies primus propter gloriam Domini nostri IESU Christi est institutus ad cultum Dei maximè solennem. Ratio consequentiæ, qvia sacra eucharistiæ Cœna ob has rationes vocatur Cœna Dominica. Exhortatio. Ergò diem primum cujusqve septimanæ sanctificemus obdictas rationes, & hanc, qvia dies ab hominibus ad cultum Dei publicū institutas observamus, ut multa festa.

III. *Estne morale tempus aliqvod cultui divino destinare?*

Ut tempus aliqvod divino cultui tribuatur est juris naturalis, moralis, seu perpetui. Patet 1. an ita sit. 1. Ex secundo præcepto, ubi enim Deus res sacras instituit, ibi etiam tempus eas exercendi præcipit. 2. Ex præcepto qvarto. 3. Ex. Eccl. 3. 1. 4. Ex 1. Cor. 14. 40, omnia decenter, & ordine fiant, id est, convenient loco, & tempore. 2. Cur ita sit. 1. qvia

qvia tempore indiget homo ad omnes suas actiones, præsertim externas, neqve potest convenienter vacare divino cultui, nisi ab aliis operibus pro illo tempore vacet. 2. qvia ab initio omnes gentes tempus aliqvod divino cultui destinarunt. Exhortatio. Ergò tempus aliqvod divino cultui libenter destinemus: destinatum retineamus: retentum sanctificemus.

IV. *Ubi præcipitur tempus aliqvod divino cultui destinandum esse?*

Ibi, ubi cultus Dei præcipitur, sicut enim qvùm Deus mundum universum creavit, tempus etiam dicitur simul concreasse; sic etiam, qvum actiones religiosas præcepit, & instituit, earum etiam tempus aliqvod, aut circumstantiam necessariam simul præcepit, & instituit. At cultus Dei partim primo præcepto, partim secundo præcipitur: Ergò etiam tēpus aliqvod divino cultui destinandum esse præcipitur partim primo partim secundo præcepto.

V. *Estne morale, certum aliquem diem solenniori Dei cultui destinare?*

Qvod certus aliqvis dies solenniori Dei cultui sit destinandus, hoc etiam est juris naturalis, moralis, seu perpetui. An ita sit patet. Exod. 20. 8. Sabbathum, id est, certum aliqvem diem sanctifices: præceptum autem illud est morale, seu perpetuum. Sic. Eccl. 3. 1. omnia tempus scil. certum habent. 1. Cor. 14. 40. omnia decenter, & ordine, id est, certo loco, & tempore fiant. Cur certum tempus

703147

destinandum sit cultui solenni divino. Patet. 1. Qvia illa cuta nobis incumbit, ut Deum ordine, & decenter colamus, qvod fieri non potest sine temporis istiusmodi designatione. 2. Qvia vanitas, vagatio, & oblivio nostra circa officia spiritualia exigit à nobis auxilium hujusmodi ordinationis. 3. Qvia tempora ista constituta avocant nos à multis peccatis, dum in cogitationibus nostris vel ad hæc exercitia nos præparamus, vel eorum recentem memoriam, & efficaciam conservamus. Cur id perpetui juris sit patet: qvia id Ethnicis non est ignotum, qvi dies festos, statos, & solennes in omnibus seculis habuerunt: At si id non esset perpetui juris, ignotum Ethnicis esset, & fuisset. Redargutio, adversus negligentiam eorum, qvi qvamvis profiteantur se Dei cultores esse, vix tamen ullum tempus possunt invenire ad cultum debitum Deo deferendum.

VI. *Estne morale unum tantum diem in septimana cultui Dei solennio-ri destinare?*

Est morale qvidem; sed est morale disciplinæ, non naturæ. Morale disciplinæ est, qvod Deus arbitrariè qvidem instituit; sed ita ut necessario à nobis observetur: seu qvod ex revelatione Dei cognoscimus esse faciendum, vel fugiendum. Morale verò naturæ est, qvod & Deus necessariò instituit, & à nobis necessariò observatur: seu qvod ex ratione naturali, seu lumine rationis intelligimus faciendum, vel fugiendum esse. Amesius hic & de origine Sabbathi pag. 58. Valæus de Sabbatho c. 4. th. 3. Vendel. l. 2. c. 4. th. 6. expli. 4. Dicit Author institutionem unius diei in septimana ad solennem Dei cultum positivi seu arbitrarii juris esse hic, & Med. l. 1. c. 10. th. 28. l. 5. cas. c. 1. q. 8. resp. 1. Ergò ne dicas juris moralis seu necessarii esse. Resp. Consequentiam negatur: qvia positivi juris est qvatenus Deus liberè hoc instituit, & poterat aut non aut aliter instituere; sed est juris moralis, qvatenus ita hoc Deus instituit, ut mutari neqveat, seu ut à nobis necessariò observetur: Differentiam juris positivi, seu arbitrarii, & moralis, seu naturalis, & necessarii vides fusius in Maresii system. loc. 7. th. 23. & in Authore nostro l. 5. cas. c. 1. th. 4. 5. Nota: Aliqvi docent præceptum 4. de Sabbatho fuisse mere ceremoniale, seu typicum, adeóqve mutabile, & abrogatum, ut Anabaptistæ, Sociniani, & reformati, p. m. Gomarus, & ex ipso Coccejus: alii verò ferè omnes docent præceptum de Sabbatho, seu Sabbathum, vel institutionem Sabbathi, seu unius diei in septimana ad solenniorem DEI cultum fuisse partim ceremonialem, partim moralem, ut Perkins. Valæus, Vendelinus, Volebius, Maresius, &c. Author autem noster (hîc, & de origine Sabb. pag. 68.) asserit præceptũ 4. vel Sabbathum, seu institutionem unius diei ad solenniorem Dei cultum fuisse merè moralẽ, seu immutabilem, & nunqvam abrogandam, non partim ceremonialem, seu typicum, id est, Christum in aliqvo præfigurantem.

VII. Observa ergò. 1. Institutionem diei unius in septimana ad cultum Dei solenniorem non esse ceremonialis, seu typica, seu Christum

703147

adumbrans, adeóqve mutabilis, & usqve ad Christi adventum durans. Petet. 1. an ita sit. Exod. 20. 8. ubi institutio hæc non numeratur inter institutiones ceremoniales. Sic. Colos. 2. 17. Exod. 31. 16. 2. Cur ita sit. 1. Quia institutio ceremonialis, seu typica Christum venturum adumbrans propria fuit Iudæorum. Rom. 3. 2. Psal. 147. 19. 20. & temporis legis ceremonialis, qvod fuit tempus, qvo Israelitæ ex AEgypto educti fuerunt: At institutio unius diei in septimana ad solenniorem Dei cultum non fuit propria Iudæorum, & illius temporis, qvo ceremoniales leges datæ sunt, qvia qvod ratio naturalis dictavit, id fuit omnium hominum, & omnium temporum, institutionē autem unius diei in septimana ad solenniorem DEI cultum ratio naturalis saltem dictare potuit, qvia licet nostra ratio naturalis non dictet institutionem unius diei in septimana ad cultum Dei soleniorem, ut necessariam, dictat tamen ut convenientem, qvia ratio nostra naturalis conveniens esse judicat, & dictat, ut frequenter colamus Deum solenniter, ergò etiam conveniens esse judicat, & dictat, ut uno die in septimana eum colamus, secùs enim frequēter Deum solenniter colere non possumus: Ergò institutio unius diei in septimana ad solenniorem Dei cultum non fuit ceremonialis, seu typica Christum venturum prfiguransAdditur, saltem: qvia institutio illa actu ab arbitrio Dei pependit, ut dictum ad. th. 6.

VIII. 3. Qvia qvod ante lapsum ab initio creationis, in ipso paradiso institutum est, id ceremoniale, ac typicum esse non potuit, typi

enim omnes Christum redemptorem respexerunt, ante lapsum autem (ut inter reformatos constat) Christo Redemptore nondum opus fuit: At ante lapsum ab initio creationis in ipso Paradiso unus dies è septem ad solennem Dei cultum fuit institutus. Gen. 2. 2. ubi Deus dicitur ab initio creationis sanctificasse, id est, ordinasse diem septimum, seu unum è septem ad solennem suum cultum, & jussisse Adamo, & ejus posteris, ut eum sanctificarent: Ergò institutio diei septimi, seu unius diei è septem ad solennem Dei cultum non fuit ceremonialis, seu typica, adeóqve mutabilis.

IX. *Quia multi assumptionem illam negant, & ad ejus probationem excipiunt, ut res clarior evadat, Quærumus: An septimus dies, vel unus è septem cultui Dei ab initio creationis fuerit consecratus, & observatus?*

Sic: qvod patet. 1. ex, Gen. 2. 2. Quum autem perfecisset Deus die septimo opus suum qvod fecerat; qvievit ipso die septimo ab omni opere suo qvod fecerat. Ubi Deus dicitur septimum diem benedixisse, sanctificasse, id est, consecrasse, ab initio creationis ad solēnem suum cultum, & mandasse hominibus, ut eum sancte servarent. Excipit D. Gomarus in Invest. orig. Sabb. c. 4. th. 5. In hoc loco (inqvit) dicitur Deus sanctificasse, seu ordinasse diem septimum ad cultum suum solennē

pos-

703147

per prolepsin, seu anticipationem: Nempe qvia 1. absoluta creatione cogitavit qvidem Deus se septimum diem ordinaturum ad cultū suum solennem, sed actu eum ordinavit non tunc, qvando creationem absolvit, & ab ea cessavit; sed qvando Israelitis manna dedit. Exod. 16. & per Mosen legem tulit: Exod. 20. nempe, ut citati loci sensus sit, Deus qvievit die septimo ab operibus suis, sed bis mille postea annis demum ei benedixit per donationē mannæ; qvia (inqvit) latio legis, & donatio mannæ antecessit scriptionem libri Geneseos. 2. Deus qvando à creatione cessavit, non jussit Adamo, & ejus posteris, ut Sabbatizent, seu septimum diem sanctificent, & observent; sed tantum rationem dixit ob qvam olim Israelitæ Sabbathizent, seu septimum diem solenni Dei cultui consecrent, qvia scilicet ipse qvando sex diebus mundum creavit, septimò die qvievit à creationis labore: Ergò ab initio creationis Sabbathum non fuit institutum, seu unus dies è septem cultui Dei solenni non fuit destinatus, & observatus. Resp. Antecedens negatur. 1. Qvia anticipationem illam tantum illi finxerunt, qvi unum diem è septem cultui Dei destinare, adeóqve diem Dominicum observare, morale, seu necessarium esse negant, ex qvibus fuit C. Gomarus, & post ipsum C. Coccejus. Ratio. 1. qvia Iudæi veteres de illa D. Gomari anticipatione nunqvam somniarunt, illi enim Sabbathum omnium gentium & ab initio mūdi fuisse crediderunt, & scripserunt: Phil. de mundo. 2. qvia in N. T. nihil habetur de illa anticipatione. 3. qvia anticipationis illius

Autho-

Authores probabile esse concedunt, aliqvam observationem diei septimi ab initio creationis incepisse: Svarez. de dieb. fest. 4. qvia interpretes optimi (nim. Lutherus, Calvinus, &c.) ut vides in Valæo pag. 282. diem septimū ab initio mundi fuisse sanctificatum, simpliciter, & candide agnoscunt. Obj. præcc: Lutherus, Calvinus ideo hoc faciunt, qvia diei Dominicæ nimio plus tribuerunt: Ergò eorum testimonium contra anticipationem illam recipiendum nō est. Resp. Antecedens negatur: illi enim unius diei ad cultum Dei publicum destinationem non dicunt esse moralē, seu necessariam, sed arbitrariam, ut vides Inst. l. 2. c. 8. paragr. 32. 2. Qvia, hujusmodi anticipationis, seu prolepseos nullum exemplū dari potest in tota Sacra Scriptura. Instantia præcc: In scriptura loca qvædam prolepticè sic appellantur, ut. Gen. 12. 8. ubi Abrahamus Lvz vocat Bethelem, qvia post multos annos ita vocaturus erat Iacob. sic. Gen. 4. 16. & alibi, ut vides in Ravanello dictione anticipatio: Ergò anticipationis exemplum invenitur in scriptura. Resp. Conseq. negatur: qvia licet locorum aliqvorum appellatio proleptica in scriptura reperiatur; tamen institutio talis, qvalis observationis Sabbathi institutio dicitur esse, nulla in scriptura reperitur. Instantia, D. Gomari in invest. orig. Sabbat. parag. 7. 8. Iosephus utitur tali prolepsi, seu anticipatione; & scriptura. Exod. 16. 23. Ergò non est verum qvod talis prolepsis non reperiatur in scriptura, qvalis est in Sabbathi institutione. Resp. Antecedens negatur: Iosephum qvod

attinet,

703147

attinet, ille nihil tale dicit; sed tantum dicit, Deum sex diebus universum mundum condidisse, septima autem qvievisse, & ab operibus cessasse. Qvamobrem etiam nos vacationem à laboribus per hunc diem celebramus, appellantes eum Sabbathum, &c. Sed nihil hoc est: simile verbis Mosis, qvia non narrativè hæc ponit Iosephus, sed applicativè, seu per modum conclusionis. Qvemadmodum si qvis dicat, Christus die Dominica resurrexit à mortuis, atqve ideò nos Christiani diem Dominicum celebramus: per hoc non indicatur, jam demum Christianos nostro tempore celebrare; sed potius contra semper propter eam causam celebrasse. Alterum exemplum, qvod profertur ex. Exod. 16. v. 33. etiam huic simile non est. Nam ibi Deus præcipit, ut urnam mannæ asservandam, deponant ante conspectum Iehovæ, in memoriam accepti beneficii; qvod ab Aharone factum esse legitur. Sed non video ullã similitudinem: nam hoc mandatum dabatur à Deo, qvando manna primum data est, & erat implendum simul ac Tabernaculum constructum fuit; nam mandat, ut illam urnam deponant ante conspectum suum: & potuit hoc impleri etiam statim, ut datum est illud mandatum; qvia semper fuit locus aliqvis in qvo ante conspectum Domini comparebant, in qvo sacrificabant, &c. Sed esto, paulò post extructo Tabernaculo hoc fuit demum impletum, qvod non longè post factum est: qvæ similitudo inter mandatum implendum post paucos annos, & post 2000 annos? Deinde aliqvid simile haberet hoc exemplum, si in verbis

bis Mosis, Gen. 2. diceretur, Deus præcepit, ut sanctificaretur Sabbathum, & Israelitæ illud postea impleverunt: Qvemadmodum de mãna dicitur; sed nihil tale est in textu, verum continua serie narratur, qvid Deus de die illo fecerit. III. Qvia ita sanctificavit, seu ordinavit Deus ad publicum suum cultum septimũ diem, sicut benedixit homini, & aliis animalibus: At Deus homini, & aliis animalibus sine anticipatione benedixit, id est, benedixit iis statim atqve creavit, non longè post. Gen. 1. 22. 27. 28. Ergò etiam benedixit, sanctificavit, seu ordinavit diem septimum ad cultum suum publicum, sine anticipatione, id est, tunc, qvando qvievit, non tunc qvando Israelitis mãna dedit. IV. Qvia, si Deus absoluta creatione diem septimum sanctificavit, seu ordinavit ad cultum suum publicum per anticipationem, nempe qvod voluerit olim ad cultum suum publicum sanctificare, seu ordinare, & qvod fundamentalem rationem posuerit, ob qvam olim Israelitæ eum sanctificent, tùm dici potuisset Deus, qvando promissionem dedit de conterendo capite serpentis per semen mulieris. Gen. 3. 15. aqvam, panem, vinum sanctificasse, seu ordinasse in Sacramenta novi fœderis, tunc enim Deus proposuit, voluit, intẽdit fœdus illud gratiæ aqvâ, pane, vino obsignare, cujus obsignationis tunc etiam fundamentum aliqvod posuit, tunc enim & novum fœdus promisit, & aqvam, panem, vinum creavit: At falsum consequens: Ergò & antecedens. V. Qvia si hoc fundamentum, in creatione positum, n. maritus, & uxor erunt in car-

703147

nem unam (Gen. 2. 24.) ut lex semper obligavit maritum ad uxorem sine justa causa nō deserendam, tùm etiam hoc fundamentum in creatione positum, n. Deus die septimo requievit ab omni opere suo, (Gen. 2. 2.) ut lex semper obligavit ad unum diem in septimana sanctificandum: At verum priùs, ut Malachias testatur c. 2. 15. Nonne unum effecit? hoc est, Deus in prima creatione ita instituit, ut Maritus & Uxor sint una caro; ergò, ut nulli unqvam, sic vobis Iudæi non licet uxorem vestram repudiare, sine justa scil. causa: Ergò & posterius. VI. Qvia Apostolus etiam. Hebr. 4. 3. & seqq. sic argumentatur: Deus qvievit die septima à creatione: Ergò qvies septimi diei incepit à creatione mundi: adeóqve Deus credentibus per Davidem. Psal. 95. non promisit qvietem septimi diei, qvia illa fuit ab initio mundi, neqve qvietem terræ Chanaan, qvia illam jam Israelitæ habebant; sed qvietem vitæ æternæ in cœlo, qvam Israelitæ tunc nondum habebant. Et sic, ex his rationibus clarissimè patet institutionem Sabbathi non esse prolepticam, & locum. Gen. 2. 3. nō esse prolepticè intelligendum, ut D. Gomarus vult. D. Gomarus suam prolepsin (ut supra dixi) sic probat: latio legis, & donatio manna antecesserit scriptionem libri Geneseos: Ergò die septimum sanctificavit Deus, non qvando cessavit ab operibus suis, sed qvando manna dedit. Sed D. Valæus respondet. 1. Hoc non constat, & ut constet hoc, illud nihil ad rem facit; qvia Moses. Gen. 2. non narrat qvid Deus fecerit qvum Moses librum Geneseos scriberet, sed

sed qvid fecerit qvum à mundi creatione qvievit, nempe die septimo, qvum absolvisset opera sua. Moses enim non dicit, Deus requievit die septimo qvando creavit mundum, ab omnibus operibus suis, & benedixit ei, ac sanctificavit jam eum nostro tempore. Nullū vestigium, aut signum ejusmodi exceptionis est in illis verbis; sed hæc continua series, tanqvā tùm facta, qvemadmodum & omnia seqventia, referuntur, de creatione, lapsu, propagatione hominis, &c. Nisi qvis dicat, hæc omnia, vel aliqva ex iis, etiam ad posteriora tempora posse referri. 2. Qvod ergo dicunt Deum benedixisse ei diei, & sanctificasse, qvia post duas Chiliadas annorum eum erat ad sanctos usus consecraturus; perinde est, ac si dicant, Deū benedixisse, & sanctificasse montem Moriah, qvum eum crearet, qvia eum aliqvando ad tēpli sui ædificationem erat consecraturus; aut Deum in ipsa dierum creatione benedixisse diei Paschæ, aut Pentecostes, aut jejuniorum, &c. qvia eos aliqvando ad eos usus erat adhibiturus. Scriptura de rerum tàm longè futurarum benedictione, ac sanctificatione tali, tanqvam de repræsenti loqvi non solet. Patet 2. unum diem ab initio creationis cultui DEI destinatum esse ex. Exod. 16. 24. ubi Sabbathum non ut res nova instituitur, sed ut res diù instituta, sed neglecta, restituitur: qvod patet. 1. qvia dicitur: cras Sabbathum est Iehovæ. 2. qvia dicitur versu 30. Dedit Iehovæ vobis Sabbathum. 3. qvia versu 6. mentio fit sex dierum ante institutionem Sabbathi, illud enim adversarii versu 24. dicunt institutum esse.

703147

3. ex. Gen. 8. 10. & seqq. ubi Noah septimo die emisit columbam ex Arca: Ergò ab initio creationis observatum fuit Sabbathum, ut dicunt Valæus de Sabb. p. 280. & Ames. de orig. Sab. p. 14. 4. ex consensu Ecclesiæ reformatæ, qvem vides in Valæo. p. 282. 283. Patet hoc etiam ex rationibus. 1. qvia Patriarchæ habuerunt stata tempora Deum colendi: Ergò ab initio creationis Sabbathum institutum & observatum fuit. Ratio consequentiæ, qvia stata illa tempora fuerunt Sabbatha hebdomadaria, qvia Sabbathi hujus ante legē mentio fit. Gen. 2. &. Exod. 16. Sed ante legem nullius alterius diei fit mentio. 2. qvia sine observatione septimi diei, vulgus hominū commodè creati mundi recordari neqviviſſet, ut Valæus dicit p. 281. Refutatio. Ergò errant D. Gom. Coec. docentes, Sabbathum institum fuisse non à creatione mundi, sed à donatione mannæ.

X. Obj. præoec. Non testatur historia Geneseos ante legem, & donationem mannæ primos Patriarchas, n. Adamum, Schetum, Enoschum, Chanocum, Noachum, Abrahamum, Isachum, Iacobum septimum diem observasse; sed historia Exodi post legem, & donationem mannæ testatur posteriores Patriarchas, n. Filios Iacobi, septimum diem observasse: Ergò institutio Sabbathi, seu unius diei è septem ad publicum Dei cultum, non fuit ante legem, & ab initio creationis; sed à latione legis, & donatione mannæ. Gomarus de invest. Sabbathi. c. 4. parag. 11. Resp. Conseq. negatur. 1. Qvia non seqvitur historia Geneseos non notat homi-

homines ante legem servasse Sabbathum: Ergò nec institutum ante legem fuit, nec observatum, qvia brevis illa historia omnia in particulari, qvæ ab hominibus ante legem per bis mille, & qvingentos annos gesta sunt, nec potuit, nec debuit notasse. Nec liber judicum, & alii qvidam libri historici notant post legem Israelitas Sabbathum servasse, non seqvitur tamen post legem Sabbathum nec institutū nec servatum fuisse. Non testatur historia Geneseos sanctos homines ante legem habuisse stata tempora Deum publicè colendi, credere debemus tamen eos habuisse stata tempora publice Deum colendi (non fuerunt enim sine publico cultu. Gen. 4. 26. Ergò nec sine stato tempore, qvo ad Deum publicè colendū convenirent) qvæ distincta fuisse à septimo die, conjicere nemo potest, qvia homines illi benè scivetunt, qvod Deus septimum diem sanctificaverit, & ad se publicè colendum ordinaverit. Gomarus oppugnat hoc argumentum citato loco pag. 11. sed Amesius defendit citato loco pag. 12. & seq. 2. Qvia sicut non seqvitur: Homines ante legem plures uxores habuerunt: Ergò Deus ante legem ab initio creationis non instituit, conjugium ex uno Viro, & Fœmina constare debere; Sic etiam non seqvitur: neglecta fuit ante legem observatio septimi diei: Ergò ab initio creationis institutio diei septimi ad publicum DEI cultum non fuit. 3. Qvia, observatio Sabbathi imperata fuit Iudæis non ut res nova, & ignota. sed ut res antiqva, & benè nota (Exod. 16. 24. Sabbathum est Sabbathum Iehovæ: & vers. 29. Iehova dedit vobis

703147

Sabbathum) & qvidem imperata fuit ante promulgationem legis in monte Sinai : Ergò institutio Sabbathi fuit ante legem, & ab initio creationis, non à Latione legis, & donatione manna. 1. Exod. 20. Sabbathum sanctum est Iehovæ cras. Est : Ergò fuit Sabbathū institum ante legem à creatione mundi. Excipit D. Gomarus in investig. Sabb. c. 4. parag. 17. In textu debet esse supplementum erit, nō est ; crastinum enim ac futurum non est, sed erit : Ergò Israelitis imperatur observatio Sabbathi, ut res nova, non olim instituta. Resp. 1. Omnes probatæ versiones habent supplementum est, ut Iunii, vulgata, Græca, &c. ut Valæus de Sabbatho dicit pag. 280. 2. Scriptura sæpè de futuris loqvitur in præterito : ergò multo magis in præsenti, ut Matth. 26. 2. Amef. de orig. Sabb. th. 5. 2. Exod. 16. 30. Iehova dedit vobis ipsum Sabbathum. Dedit, non dabit : Ergò Sabbathum fuit ante legem ab initio mundi institutum. 3. Observatio Sabbathi imperata fuit Iudæis ante promulgationem legis, observatio enim Sabbathi imperata fuit. Exod. 16. 24. Legis autem promulgatio facta est demum. Exod. 20. Ergò non fuit demum instituta, qvando lex data fuit. Obj. præcc. Sicut non seqvitur : Moses imperavit Iudæis multas ceremonias, non ut res novas, & ignotas ; sed ut antiquas, & antea benè notas : Ergò ceremoniæ multæ institutæ fuerunt ab initio creationis ; Sic etiam non seqvitur : Deus imperavit Iudæis Sabbathum, non ut rem novam, & ignotam ; sed ut antiquam, & antea diu benè notam ; Ergò fuit in-

stitutum ab initio creationis. Resp. Et illud, & hoc seqvitur ; sed tamen magis seqvitur hoc, ut indicat verbum præteritum Deus vobis Sabbathum dedit, scil. septimo creationis die, qvando qvievit. 4. Apud Ethnicos fuit semper aliqva Sabbathi observatio : Ergò Patriarchæ primi observarunt Sabbathum. Ratio consequentiæ, qvia Ethnici acceperant observationem Sabbathi à Patriarchis, qvia illi horum posteri fuerunt. Patet apud Ethnicos semper fuisse aliqvam Sabbathi observationem. 1. ex Iosepho, qvi lib. postr. contra Appionem, negat urbem ullam aut Græcorum, aut barbarorū posse reperiri, qvæ cessationem diei septimi ab opere in suos mores non recepisset. 2. ex Clemente Alexandrino, qvi, stromat. lib. 5. dicit septimum diem sacrum, non solum sciverūt Hebræi ; verum etiam Græci. 3. ex Eusebio, qvi de præparatione Evangelica libr. 13. affirmat septimum diem, non Hebræos tantum, sed omnes ferè tàm Philosophos, qvàm Poëtas, sacratiorem esse, cognovisse. 4. ex Lampridio, qvi in Alexandro Severo, narrat eum septimo die, qvum in urbe esset, ascendisse capitolium, & templa frequentasse. 5. ex Luciano, qvi septimo die, pueris, festas concedi solitas affirmat. 6. ex Svetonio, qvi lib. 3. scribit Doctores Ethnicos in Sabbathis tantum disputasse. 7. ex Hesiodo, qvi dicit septimum esse sacrum diem. 8. ex Lino, qvi sic scribit :

Septima, qvâ fuit omnis res perfecta creata.
Lux bona, natalisq; fuit, lux septima cūctis.

D. Gomarus negat ex his testimoniis seqvi institutionem Sabbathi ab initio mundi fuisse, &

703147

Patriarchas Sabbathizasse. De invest. orig. Sab. c. 4. paragr 23. & seqq. Resp. verũ, sed defensionẽ horũ vides in Riveti dissertatione de orig. Sabbathi c. 5. pag. mihi 63. & seqq. & in Amesii nostri sententia de Sabbatho pag. 6. & seqq. 5. Non sequitur: homines ante legem neglexerunt observationem Sabbathi. Ergò Sabbathum ab initio creationis non fuit institutum: qvia Deus voce hortatoria qvarti præcepti, recordare, homines, qvi fuerunt ante legem descriptam, tacitè culpat propter oblivionem Sabbathi. Recordare Sabbathi, id est, Israel ne obliviscere observare Sabbathum, ut homines qvi vixerunt ante te; sed illud sanctificare memento. Objicit porro D. Gomarus in orig. Sabb. 1. Deus Israelitis dedit Sabbathum. Exod. 16. 29. Ergò ab initio creationis non fuit. Resp. Antecedens negatur. Israelitis Deus Sabbathum dedit, id est, restituit. 2. Deut. 5 2. Deus pepigit fœdus in Choreb non cum Patribus nostris, scil. Adamo, Abrahamo, &c. Ergò Sabbathum ab initio creationis institutum & observatum non fuit. Resp. Conseq. negatur: qvia Deus pepigit fœdus in Choreb non cum Patribus nostris scilicet tantum, ut Calvinus explicat. Deinde DEUS pepigit fœdus cum Israelitis in Choreb non cum Patribus nostris soli. tàm clare, qvam nobiscum, ut Amesius dicit de orig. Sabb. pag. 34. & seqq. Vide reliqvas D. Gomari objectiones citato loco, & earum refutationes in Valæo p. 282. & seq. & in Amesii orig. Sabb.

XII. 3. Qvia institutio unius diei in septimana

mana ad publicum DEI cultum in Decalogo continetur. Iam, qvod in Decalogo continetur est morale, id est, perpetuò durans. 1. Qvia Decalogus, propter suam moralem, seu perpetuam, & immutabilem durationem, fuit coram toto Israele, voce ipsius Dei, ex monte Sinai, proclamatus, postea qvasi digito Dei scriptus, & fractâ tabulâ rescriptus, idqve in lapidæis tabulis, sicut leges ceremoniales, & forenses propter suam temporalem, & mutabilem durationem, Deus per Mosen dedit Israeli, Moses scripsit, idqve in pergameno. 2. Qvia Christus etiam propter perpetuam durationem dicit Decalogi nullum jota, aut apicem perituru. Matth. 5. 18. At unius diei in septimana ad publicum Dei cultum institutio in Decalogo continetur: Ergò institutio unius diei è septiè ad publicum Dei cultũ non fuit ceremonialis, seu ad tempus durans, sed moralis, perpetuò durans. Institutionem Sabbathi non ceremonialem, seu temporalem, sed moralem, seu perpetuum esse probant etiam aliæ rationes, qvas vides in Praxi Pietatis pag. mihi 454. & seqq. in Ames. Sciagr. Dom. 38. Doc. 2. Has Authoris rationes refutat C. Valæus de Sabb. c. 4. Ergò ex his rationibus non sequitur præceptum qvartum de mere morale esse. Resp. Conseq. negatur: qvia noster defendit se in orig. Sabb. p. 40. & seqq. Refutatio. Ergò errant qvi institutionem unius diei in septimana ad publicum Dei cultum dicunt, vel mere, vel partim ceremonialem fuisse.

XII. Obj. præocc. Si institutio unius diei in septimana ad publicum Dei cultum sit mora-

703147

moralis, seu immutabilis, & perpetuò durans: tùm tàm morale erit, qvod in 4. præcepto imperatur, qvam alia in aliis Decalogi præceptis imperata. Resp. Conseq. negatur: qvia moralitas eorum, qvæ in Decalogo imperantur admittit gradus, qvædã enim magis, qvædã minus moralia sunt. Sic cessare à laboribus una die in septimana, & in illo die res sacras qvibus Deus colitur, tractare minus est morale, qvam alia officia in aliis Decalogi præceptis mandata; qvia illud ratione qvidem nostri est morale, seu necessarium, & prorsus immutabile; sed ratione Dei positivum, seu arbitrarii, & mutabile, ut dictum etiam ad th. 6. Monẽt nonnulli Theologi præcepta Decalogi moralia esse duplicis generis: Alia enim pendere absolutè à Dei natura, & talia præcipere, qvæ libertimè qvidem, attamen necessario Deus vult, adeò, ut eorum contraria eum velle, aut præcipere, fit impossibile: qvia contrarium mandando, aut dispensando à natura sua discederet: cujus generis sunt. 1. 2. 3. 7. 9. Alia verò non sic fluere à Dei natura, sed à libertima voluntate, ita ut, qvæ iis præcipiuntur, ideò sint justa, & recta: contraria verò à creaturis admissa sint suo genere peccata: ita tamen ut præcipiendo Deus, peccati rationem possit auferre; adeóqve, jubente Deo, fieri possit, & fiant etiam, sine peccato: cujus generis sunt 4. 5. 6. 8. 10. unde locum in iis habet exceptio: Nisi Deus diversum jusserit. Vide Maccov. in Volum. th. part. 1. disp. 10. th. 8. Qværes. 1. Qvare ptiora tria præcepta fuerunt negativè tãtum proposita, n. Non habebis Deos alienos, ne sculpas simulachrum, ne assumas nomen Dei invanum, qvartum autem primò affirmativè, n. sanctifices Sabbathum, postea negativè, n. ne facito ullum opus die Sabbathi? Qvia qvartum præceptum est positivi juris, adeóqve faciliùs oblivioni tradi potest; sed tria illa priora præcepta sunt moralis, seu naturalis juris, adeóqve difficiliùs oblivioni tradi possunt. 2. Qvare præfigitur qvarto præcepto admonitio, Recordare diei Sabbathi, seu memento observare diem Sabbathi, ut explicatur. Deut. 5. 18. reliqvis verò præceptis non item? Ex parte propter eandem rationem, qvia scil. officium qvarto præcepto imperatum magis in oblivionem abire posset, qvam officia in aliis præceptis imperata, qvia illud est positivi juris, & minus naturalis, hæc verò juris moralis, & magis naturalis. Naturalium non tàm facilè oblivisci mur, qvam non naturalium. Additur ex parte: qvia admonitio illa Recordare, seu memento etiam aliam ob rationem præfigitur præcepto qvarto, ut dictum ad. th. 10.

XIII. Obj. præcc: Præceptum qvarti non est literaliter intelligendum de cessatione ab operibus, n. aratione, messe, &c. sed allegoricè seu spiritualiter de cessatione à peccatis, n. furto, adulterio, &c. Ergò cessare uno die in septimana à laboribus, adeóqve qvartum præceptum, non est morale, seu perpetuò durans. Resp. Antecedens negatur: Qvi præceptum qvartum allegoricè intelligunt de cessatione à peccatis, à molestiis hujus vitæ, à mercenariis, bonis operibus, & inde Sabbathum qvadruplex vel etiam qvintuplex fingunt, n. unam (fortè) litera-

703147

literale de cessatione ab operibus, alterum spirituale, idqve primum de cessatione à peccatis, secundum de cessatione à molestiis hujus vitæ, tertium de cessatione à bonis operibus meritoriis; ii tribuunt qvarto præcepto significationem cessationis à peccato, qvæ magis convenit multis ceremonis Iudaicis, qvæ jam prorsùs sunt abrogatæ, qvam Sabbatho; oblationes enim dona, & observationes mundities præ se ferentes (ut vid. Med. l. 1. c. 38. th. 34.) magis significabant cessationem à peccatis, qvam Sabbathum: At non id debet tribui qvarto præcepto, qvod ceremoniis Iudaicis, qvia qvartum præceptum est morale, morale autem præceptum non significat cessandum, & abstinendum esse à peccatis, ut ceremoniæ dictæ Iudaicæ ad tempus significabant, sed perpetuò imperat cessandum esse à peccatis. Allegoria est cum aliud verbis, aliud sensu ostenditur. Nascitur autem ex continuata perpetuáqve metaphora. Ejusmodi est illa apud Verg. Eccl. 3. Claudite jam rivos pueri, sat prata biberunt, id est, desinite jam plura canere, qvia sat audivimus.

XIV. Obj. Pontif. Luth. præcc: Præceptum qvartum fuit ceremoniale, qvale fuit etiam secundum (ut refert Vendelinus Theol. lib. 2. c. 4. th. 11. expl. 7. objectione 6.) Ergò institutio unius diei in septimana ad publicum Dei cultum non est moralis. Thom. 1. 2. q. 100. art. 3. Luth. in Catech. major: in 4. præc. Resp. Antecedens falsum: qvia scriptura testatur decem esse in Decalogo moralia præcepta. Exod. 34. 28. At si qvartum, & secundum præceptum ceremonialia essent, tantò octo

octo fierent Decalogi moralia præcepta. Probavimus supra aliis etiã rationibus qvartũ præceptũ esse morale. Obj. Anab. Socin. Abrogatum est Sabbathum. Rom. 14. 5. Gal. 4. 10. Colos. 2. 16. Ergò fuit merè ceremoniale. Resp. Antecedens falsum: ad loca illa respondebimus infra ad th. 32. Et respondit Praxis Pietatis pag. 494. & seqq.

XV. Obj. Cl. Gomari, Cocceji, &c. præcc: In qvarto præcepto tantum, hoc est, morale, seu perpetuò durans, ut certi qvidam dies cultui divino assignentur: Ergò institutio unius diei in septimana ad publicum Dei cultum non est moralis, seu perpetuò durans. Resp. Anteced. negatur. 1. Qvia si tantũ hoc esset morale in qvarto præcepto, ut certa liqvi dies cultui DEI assignarentur, tùm non magis seqveretur ex qvarto præcepto tempus publico Dei cultui assignandum esse, qvam ex exstructione tabernaculi, & templi Iudaici seqvitur locum aliqvem publico Dei cultui destinandum esse, qvia etiam tabernaculum, & templum Iudaicum docent nos commodum aliqvem locum cultui Dei consecrandum esse; adeóqve non magis daretur morale præceptum de aliqvo tempore cultûs divini, qvam de loco; adeóqve ne illud qvidem, n. observabis dies festos, id est, certos dies ex libertate Christiana cultui divino destinatos (qvod solũ nominati Anthores in qvarto præcepto morale esse dicunt) magis debuit in Decalogo poni, qvam templa, seu locum cultui divino destinatum, frequentabis: At hæc sunt absurda: Ergò & illud.

703147

XVI. 2. Qvia si tantum hoc esset morale in qvarto præcepto, ut certi aliqvi dies, cultui divino destinentur, tùm qvartum præceptum non plus traderet, de tempore cultus divini, qvam V. T. festi dies anniversarii mere ceremoniales, qvia isti etiam docent nos, ut cultui divino certos aliqvos dies assignemus: At hoc falsum: Ergò & illud. 3. Qvia, si qvartum præceptum tantum hoc immediatè mandat, ut certos aliqvos dies ad cultum divinum instituamus; tùm qvartum præceptum nihil mandaret. 1. privatis hominibus; sed tantum publicis, n. Magistratibus, & Ministris, qvia tantum hi habent potestatem hos aut illos dies ad publicum Dei cultum instituendi. 2. Magistratibus in specie de certò aliqvo die, n. septimo, vel primò in septimana; sed tantum in genere, ut pro sua prudentia tot dies instituant ad cultum Dei, qvot volunt, ita ut non violent præceptum qvartum, sive duos dies ex septem, sive unum diem ex viginti, vel triginta, instituant ad publicum Dei cultum: At hæc sunt absurda: Ergò & illud.

XVII. Obj. Perkinsii, Polani, Volebii, & cæterorū. præcc: In Sabbatho septimi diei qvædam fuerunt moralia, seu perpetua: nempe, ut dies aliqvis reqviei sacer esset. 2. ut dies hic cultui divino sanctificaretur. 3. ut dies septimus, id est, unus in septimana cultui divino consecretur: qvædam vero fuerunt ceremonialia, seu temporalia: ut in Sabbatho) ut vides in Perkinso) 1. qvies præcisè septimi diei fuit typus Christi septimo die in sepulchro qviescentis. 2. rigida qvies à laboribus typus fuit rigidissimæ qvietis ab omni peccato. 3. Sabbathum signum fuit. 1. sanctificationis & qvietis cœlestis filiorum Dei 2. Christi venturi, ut Cl. Iac. Alting. vult. 3. qvietis à peccato per Christum in N. T. partæ, ut Cl. Coccejus vult. Ergò Sabbathum septimi diei non est merè morale, sed partim morale, partim ceremoniale. Resp. 1. Conseq. negatur: hoc est, si aliqva ceremonia aliqvando fuerit in septimi diei Sabbatho, illa Sabbathum illud non reddidit ceremoniale, qvia ad Sabbathum illud longè post præter ejus essentiam, & primam institutionem accessit. Sic in qvinto præcepto, ceremonia fuit authoritas primogenitorum, adumbrabat enim Christi primogenituram; sed tamen qvintum præceptum non reddidit ceremoniale, qvia ad qvintum præceptum longè post præter ejus essentiam accessit. Sic conjugium in Paradiso sanctum, & longè post ceremoniale factum, adumbrat enim unionem, qvæ est inter fideles, & Christum; sed tamen conjugium est morale, seu perpetuum, non ceremoniale, seu temporarium, & mutabile, qvia longè post accessit ad conjugium ista ceremonia præter conjugii naturam, & primam ejus institutionem. Vide qvæso hanc responsionem fusius in Praxi piet. pag. mihi 450. & seqq.

XVIII. 2. Anteced. negatur, hoc est, certò non apparet ex scripturis ullam unqvam fuisse ceremoniam propriè dictam in Sabbatho septimi diei. Instantia præcc: Sabbathum septimi diei ceremonia, & typus fuit Sabbathismi spiritualis & cœlestis: Heb. 4. 3. & seqq.

703147

Ergò in Sabbatho septimi diei fuit aliqva propriè dicta ceremonia. Resp. Anteced. neg: nam citato loco Sabbathismi, seu qvietis spiritualis, & cœlestis, qvies terræ Chanaan dicitur typus; sed qvies septimi diei dicitur tantum similis, qvia, ut septimo die Deus à suis laboribus qvievit, & homines à suis operibus qvieſcunt, sic fideles in Regno Dei reqvieſcunt ab omnibus suis laboribus. Apoc. 14. 13. non typus, qvia qvies septimi diei nunqvam fuit sub qvietis æternæ, qvia qvies septimi diei instituta est ante lapsum, qvando nemo qvietem cœlestem, per Iesum, & fidem exspectabat. Amesius de orig. Sabb. pag. 47. Obj. Illa etiam propriæ ceremoniæ fuerunt in Sabbatho, qvæ ad th. 17. recensuisti: Ergò in Sabbatho fuerunt aliqvæ propriè dictæ ceremoniæ. Resp. Antecedens negatur: illa enim gratis dicuntur ceremoniæ fuisse in Sabbatho septimi diei, ut Author dicit.

XIX. Obj. Valæi, Perkinsii, & aliorum, præoccupatur. Sabbathum dicitur signum, qvod Deus sanctificaturus sit populum Iudaicum. Exod. 31. 13. 17. Ezech. 20. 23. Ergò Sabbathum septimi diei est partim ceremoniale, seu typicum, seu futuræ alicujus Dei gratiæ repræsentatio. Resp. Conseq. negatur. 1. Qvia hoc loco signum notat argumentum, seu documentum, testimonium, & indicium: qvod patet. 1. ex consensu doctissimorum interpretum, qvi locum Exod. 31. 13. sic explicant: Observatio Sabbathorum est signum, hoc est, documentum, seu testimonium, & indicium, qvod ego sanctifico vos. 2. ex enstasi, nam charitas

charitas nostra mutua. Ioh. 13. 35. dicitur esse signum, id est, documentum, seu testimonium, & indicium, qvod simus discipuli Christi; sed non typus. Omnis qvidem typus est signum; sed non omne signum est typus. 2. Qvia typus est signum rei futuræ; sed Sabbathum in istis locis non dicitur signum rei futuræ, sed præsentis, sicut adjunctum omne visibile concomitans, ut fumus, est signum subjecti præsentis, ut ignis. Patet Sabbathi observationem signum esse rei præsentis, qvia in observatione Sabbathi est communis, & publica professio communionis illius qvæ est inter Deum, & nos, in Sabbatho enim publicus Dei cultus exercetur, ut dicetur thesi seqventi, in qva publica professio communionis nostræ cum Deo continetur, ut dictum supra. c. 8. th. 1. & seqq. professio autem illa est signum rei præsentis, n. communionis illius, non rei futuræ. Exceptio. Valæus de Sabb. pag. 285. & seqq. dicit Sabbathum sumi citatis locis etiam, non tantum pro simplici documento, seu signo indicativo gratiæ præsentis; sed etiam pro typo, seu Sacramento, & signo obsignativo gratiæ futuræ: Ergò. Resp. Author nostet se defendit in orig. Sabbathi. pag. 41. & seqq.

XX. *Cur in V. T. Sabbathi observatio tantopere urgetur & ejus violatio tàm severè punitur?*

Máximè propriè ideò, qvia in Sabbatho (ut dictum) fuit publica professio communionis inter Deum, & homines: qvia in Sabbatho fuit publica professio totius religionis, seu cul-

703147

tus Dei, n. fidei, spei, charitatis, auditionis verbi, orationis, &c. Qvia mandatum de observando Sabbatho totum cultum Dei complectitur: 1. Qvia ad omnia ejus exercitia tempus imperat. 2. Qvia est clausula primæ tabulæ Decalogi. Sicut ultimum Decalogi mandatum omnia officia secundæ tabulæ in se continet: Sic ultimum præceptū primæ tabulæ. Esai. 56. 2. Beatus dicitur observans Sabbathum: Ergò observatio Sabbathi totum cultum DEI in se complectitur. Ratio consqventiæ, qvia ille verè beatus est, qvi totum cultum Dei observat. Summa Summatum, ideò urget Deus tantopere observationem Sabbathi, qvia Sabbathum rectè observans totum cultum Dei observat, id est, in Deum credit, sperat, Deum diligit, verbum Dei audit, Deum adorat, invocat, per Deum jurat, & sortem ducit, res sacras usurpat, & qvidem legitimè: contra, violatores Sabbathi ideò Deus tàm severè punit, qvia Sabbathum violans totum Dei cultum violat, id est, in Deum non credit, non sperat, Deum non diligit, verbum Dei non audit, Deum non invocat, &c. Qvam severè puniantur Sabbathi violatores vides in praxi pietatis. pag. 434.

XXI. Obj. Eorundem præoccup: Circa Sabbathi observationem multæ ceremoniæ erant institutæ, ut patet ex. Num. 28. v. 9 & 10. Ergò observatio Sabbathi fuit partim ceremonialis. Resp. Conseq. negatur: qvia observatio Sabbathi non reddebatur partim civilis, seu Politica propter Politicas illas leges, qvibus cautū fuit, ut cum omni religione celebraretur. Exod. 31, 14. Ergò nec multæ ceremoniæ circa observationem Sabbathi institutæ, reddebant observationem Sabbathi partim ceremonialem.

XXII. Obj. Eorundem præocc: Observare Sabbathum septimo die à creatione fuit Iudæis proprium, hoc enim iam abrogatum est, ut dicetur. th. 30. Ergò observatio Sabbathi fuit partim ceremonialis. Resp. Conseq. negat: qvia sicut promissio hæc Iudæis propria, ut longævus sis in terra, qvam Dominus Deus tuus daturus est, non reddit officium honoris ceremoniale; & præfatio illa Iudæis propria, Ego sum Dominus Deus tuus, qvi eduxi te ex terra Aegypti, officia omnium præceptorum non reddit ceremonialia: Sic nec observatio septimi diei à creatione, Iudæis propria, reddit Sabbathi observationem ceremonialem.

XXIII. Obj. eorum præocc. Arctior Sabbathi observatio Iudæis imperata (qvæ cōstituitur in interdictis, præparandorum ciborum, accendendi ignis, operandi sub pœna mortis, proficiscendi aliqvo, onera portandi) hodie non obtinet: Ergò observatio Sabbathi fuit partim ceremonialis. Resp. 1. Conseq. negatur: qvia arctior Sabbathi observatio Iudæis mandata, qvæ Pædagogiæ, & servitutis temporis fuit accomodata, & qvæ hodie non obtinet, non impedit, qvin observatio Sabbathi sit merè moralis, seu perpetua.

XXIV. 2. Anteced. negatur, qvia omne illud, qvod unqvam circa arctam observationem Sabbathi Iudæis imperatum fuit, pertinet

703147

etiam hodie ad omnes Christianos. Instantia. Interdicta præparandorum ciborum, accendendi ignis, &c. non pertinent hodie ad Christianos: Ergò fuit Iudæis circa rigidam Sabbathi observationem aliqvid mandatum, qvod hodie ad Christianos non pertinet.

Resp. 1. Iudæis licuit cibos præparare die septimo, ut etiam hodie Christianis: qvod patet. 1. ex. Exod. 12. 16. In primo azymorũ nempe die, convocatio Sancta vobis esto, & similiter die septimo convocatio sancta esto vobis; nullum opus fiat in eis; verũtamen qvod comedendum erit unicuiqve animæ, illud solum parabitur vobis. 2. ex Paschate, qvotiescunqve enim incidebat in diem Sabbathi, Agnus Paschalis die Sabbathi fuit assandus, qvæ coctionis species est. Nam Pascha pellebat Sabbathum, & Paschalia munia, certò dici anni affixa, ipso qvoqve Sabbatho fuerunt exercenda. 3. ex exemplo Salomonis, & Nehemiæ. De illo narratur. 1. Reg. 4. v. 22. 23. Cibarium Salomonis in diem unum erat, triceni Cori similæ, & sexageni Cori farinæ, Deni boves pingves; & viceni boves Pascuales, & centenæ pecudes, præter cervos, & capreas, & damas, deniqve lectissima qvæqve alilla. De hoc verò. Nehem. 5. v. 18. Qvod parabatur uno qvoqve die fuit bos unus, pecudes senæ selectæ cum avibus. Qvis verò credat omnem illum apparatum pridiè peractum fuisse? 4. ex. Luc. 14. 1. ubi Christus invitatus à Iudæis ad convivia qvæ habebant die Sabbathi, non detractavit adesse. 5. ex. Matth. 12. v. 2. &. Luc. 6. v. 1. ubi discipu-

li Iesu esurientes cum die Sabbathi per Sata transirent vulserunt spicas, & comederunt, cõfricantes manibus. 1. Obj. Prohibetur, ne Iudæi cibos die Sabbathi præparent. Exod. 16. 23. Ergò non licuit Iudæis die Sabbathi cibos præparare. Resp. Anteced. negatur: qvia textus sic habet: Sabbathismus, Sabbathum sanctitatis est cras, qvod coctum estis coqvite, & qvod elixaturi estis, elixate & omne qvod redundat, relinqvite vobis in custodiam, usqve in crastinum. Cum die septimo nulla manna daretur, sexto autẽ dupla mensura, in usum etiam septimi, redũdans sexti fuit asservãdũ in usum septimi. Asservandum autem non coctũ; nihil hujus mandatum est, nec mandari conveniebat, ne crederent nonnisi coctionis beneficio in crastinum servari posse; sed etudum: & qvod eousqve asservabatur non magis etudũ tunc fuit comedendum, qvam diebus aliis, sed illo qvoq; die æqvè ac aliis operâ culinariâ gratius sapidiusqve reddere fas fuit. 2. Obj. Amesius etiam dicit non licuisse Iudæis cibos die septimo præparare: Ergò tu verum non dicis. Resp. Conseq. negatur: nam licet durante mannæ pluitione illicitam dicat ciborum præparationem, tamen cessante pluitione mannæ licitam fuisse dicit, nam subjicit, Christum approbasse præparationem cibi accensio. ne ignis factam, die ipsa Sabbathi; invitatus enim à Iudæis ad convivia, qvæ habebant die Sabbathi nõ retractavit adesse. Luc. 14. 1.

2. Iudæis licuit die Sabbathi ignem accendere, ut etiam hodie nobis: qvod evincit. 1. Coctura ciborum ordinaria, qvæ citra ignem fieri

703147

fieri neqvit, qvam tamen permissam fuisse modò ostensum est. 2. ignis sanctuarii, in altari jugiter servandus, atqve ad repetenda diversis temporibus sacrificia appositis lignis fovendus; qva de causâ Servator ait, Sabbathis Sacerdotes in templo Sabbathum profanare, & inculpabiles esse. Matth. 12. v. 5. 3. Agnus Paschalis, qvem non licuit mage coctum aqvâ, qvam crudum comedere, igne fuit assandus, postqvam inter duas vesperas mactatus erat, & assatus illa nocte comedendus. Debuit ergò ignis accendi, & nutriri in privatis Israëlitarū ædibus, ubicunq; sodalitium convenerat, (cum domo efferre agnum non liceret,) eopse tempore, qvo assari oportuit, adeóqve ipso qvoqve Sabbatho, siqvidem Paschalis solennitas, qvæ mobilis erat qvod ad hebdomadis dies, in Sabbathum incidisset. 1. Object. Prohibetur, ne Iudæi die Sabbathi igne accēdant. Exod. 35. 3. Ergò Iudæis die Sabbathi nō licuit igne accēdere. Resp. Cōseq. neg: qvia etsi Iudæis extruendi tabernaculi causâ die Sabbathi ne igne qvidem ullibi accendere licuit; tamen ciborum coqvendorum, & aliorum agendorum gratiâ licuit illis ignem accendere. Sic etiam hodie templi ædificandi causâ fabris die Dominico ne ignem qvidem accendere licet, ut eum paratum die seqventi inveniant ad metalla colliqvanda; sed tamen licet aliorum agendorum gratiâ. Vide Cl. Altingii disputationem de Sabbatho p. p. th. 17. 18.

3. Sicut Iudæi morte plectebantur ob superbam Sabbathi violationem. Exod. 31. 14. 15. & 35. 2. &, Num. 15. 30. 31. 32. ubi in die Sabba-

Sabbathi tabernaculi extruendi causâ ligna ex superbia contra interdictum DEI colligens lapidatur: Sic hodie etiam Christiani Sabbathum superbè aratione, messione, vel alio aliqvo servili opere, etiam ædificandi templi causâ suscepto, lapidandi sunt. 2. Obj. Nec Prophetæ unqvam violatoribus Sabbathi supplicium capitale infligendum monuerunt, nec religiosissimi Magistratus illud statuerunt, licet nec illorum de profanatoribus Sabbathi qverelæ, ac contra eos minæ gravissimæ, nec istorum severa edicta desint, nec Iudæi Christum propter violationem Sabbathi ad necem postularunt: Ergò violatio Sabbathi qvoqvo modo facta non est morte punienda, Resp. Conseq. negatur.

4. Sicut non licuit die Sabbathi aliqvo proficisci negotii privati expediendi causâ. Exod. 16. 29. 30. sic hodie Christianis non licet. 5. Ut Iudæis nō licuit in die Sabbathi onera portare. Ier. 17. 21. Neh. 13. 15. 17. sic hodie nec Christianis licet.

XXV. Obj. eorundem præoce: Iudæis Sabbathum observandum fuit in memoriam liberationis suæ ex AEgypto: Ergò observatio Sabbathi fuit partim ceremonialis. Resp. 1. Conseq. negatur: qvia aliqvo modo omnia præcepta observare debuerunt Iudæi in memoriam liberationis suæ ex AEgypto, ut apparet ex præfatione Decalogi, Ego sum Dominus Deus tuus, qvi eduxi te ex AEgypto; sed tamen nemo dixerit omnia præcepta esse ceremonialia. 2. Anteced. negatur: qvia Deus in qvarto præcepto non ideò facit liberationis ex AEgy-

703147

ex AEgypto mentionem, ut Iudæi Sabbathum observent in memoriam liberationis suæ ex AEgypto; sed ideò, ut meminerint se servos fuisse in AEgypto, & servis suis libenter tempus cessationis à laboribus servilibus concedant. Institutio unius diei è septem non fuit ceremonialis seu temporaria, sed moralis seu perpetua, ut probavimus à th. 6. ad 11. & defendimus à th. 12. ad 25. Ergò hodie etiam unum diem è septem necessariò observare tenemur. 1. qvia Christus in numero septenario dierum remansit. 2. qvia 4. præceptum, qvod morale, seu perpetuò obligans est, hoc exigit, alias observatio unius diei in septimana non esset religiosa, ut Valæus dicit p. 299. At Cl. Coccejus negat Christianis incumbere præceptum directum, cessandi die aliqvo ex septem: Ergò 4. mandatum non postulat hoc, ut unum diem è septem cultui divino consecremus. Resp. Conseq. negatur. Ita qvidem Cl. Coccejus de Sabb. p. 96. & seqq. qvia qvartum præceptum, ut ceremoniam, abrogatum esse docet; sed cum unus è septem, seu primus dies sine præcepto Dei ex Christianorum arbitrio observandus esse docetur, traditio, & superstitio, inter reformatos erigitur. Nihil placet Deo in cultu, qvod ipse non præcepit. 3. qvia si unum diem è septem non servaremus, juxta qvarti mandati postulatum, nō possemus sex diebus operari; sed vel 5. vel 10. vel 100, sicqve tota ratio præcepti inverteretur, & aboleretur. 3. qvia si ex vi 4. mandati non rectè colligatur unum diem è septem cultui divino destinandum esse, tùm nullus certus dierum numerus ex ullo præcepto divino limitari potest, qvia nullius alterius numeri ullibi in ullo alio præcepto fit mentio; ac proinde vel vicesimum, vel qvinqvagesimum, vel centesimum, vel etiam millesimum licebit eligere sine ulla præcepti divini violatione: At hoc esse absurdum primo statim intuitu omnes Christiani agnoscunt: Ergò evidenter coneluditur, 4. mandatum nos ad hunc dierum numerum astrinxit. Dices. 1. In una septimana divino cultui consecretur non unus dies; sed plures, n. duo, vel tres. Resp. Non licet à præcepto Dei discedere. 2. In omnibus vitæ nostræ diebus serviamus Domino. Resp. 1. Dum hic sumus semper DEO vacare non possumus, qvia vocationi, & societati serviendum est. 2. Semper serviendum est Domino privatim, & publicè minus solenniter, & sine cessatione à laboribus, qvibus victum, & amictum qværimus; sed semel in septimana maximè solenniter, & cum cessatione à laboribus nostris. 4. Qvia Apostoli, & Ecclesiæ Apostolicæ unum diem in septimana observarunt: Ergò nobis etiam hodiè unus dies è septem observandus est. 5. Qvia sic veteres, & recentiores sentiunt, ut vides in Valæo p. 295. & seqq. Cl. Gomarus de otig. Sab. c. 5. & Cl. Coccejus citato loco allegant contrarias authoritates, & rationes; sed ad illas respondet Cl. Valæus de Sabb. p. 297. & seqq.

XXVI. *Quis destinaverat diem septimum, seu ultimum septimanæ ad publicum Dei cultum?*

703147

Deus. Patet. 1. an ita fit. Gen. 2. 3. sanctificavit Deus diem septimum, id est, ad cultum suum ordinavit. 2. Cur ita fit: qvia Deus septimo die qvieverat ab opere creationis. Qvando destinavit Deus septimum diem ad publicum cultum suum? Tempore creationis primæ, ut dictum, th. 8, contra Gomarum. Informatio. Ergò homines ab Adamo usqve ad lationem legis etiam observarunt, & observare debuerunt Sabbathum, vel si non fecerunt, peccarunt.

XXVII. Quis mutavit ergo septimum, seu ultimum diem septimanæ in primum, seu quis fecit, ut jam non die septimo, sed die primo septimanæ Deus publicè colatur?

Non homo, sed Deus, id est, Christus. Patet. 1. an ita fit. Act. 1. 3. ad qvem locum vide praxin pietatis, p. 122. & seqq. 2. cur ita fit. 1. Qvia ille solus potuit mutare diem Sabbathi, qvi est Dominus Sabbathi: At solus Christus est Dominus Sabbathi (licet Cl. Cocejo aliud placeat) Ergò. 2. Qvia dies prima, qvæ Sabbatho septimi diei succesit vocatur propriè Dominica, qvia à Domino nostro Iesu Christo fuit instituta, ut dictum supra ad th. 2. Additur propriè: qvia secundariò vocatur etiam Dominica, qvia scil. propter Dominum est instituta, ut dictum ibidem. Gomarus, Valæus, Coccejus negant qvidem diem primū vocari Dominicū idcò, qvod à Domino institut' sit, ut Gomarus de Sabbath. p. 200. Valæus de Sabbath. pag. 313. Coccejus de Sabb. pag. 32. 33. sed Amesius defendit hoc de orig. Sabb. p. 77. & 88. & seqq. Reliqvæ rationes habentur sequenti. th. 30. Refutatio. Ergò errat qvi dicit diem septimum translatum esse in primū. 1. Ab Apostolis, ut Valæus de Sabb. pag. 314. 2. Nec à Christo, nec ab Apostolis; sed ab hominibus meris, ut Ecclesia primitiva, & Imperatoribus Christianis, ut Thomas. 2. 2. q. 122. Gomarus de Sabb. p. 175. & seqq. Coccejus de Sabb. p. 32. & seqq. qvam sententiā refutat Valæus de Sabb. p. 113. & Amesius de orig. Sabb. p. 71. & seqq. & 93. 3. Errant etiam Iudæi, & Sabbatharii, qvi hodie etiam diē septimum, seu ultimum septimanæ observandum esse credunt, & docent, qvia (ut vides) Christus ultimum diem septimanæ ob certas causas mutavit in primum, ut vides in praxi pietatis pag. 430. cum pag. 427. & seqq. Nonne ob illas rationes non servandus est dies septimus, seu ultimus septimanæ hodie à nobis, ob qvas Cl. Coccejus, non observandū, de Sabb. pag. 39. & seqq. dicit? Minimè: qvia illæ omnes rationes, qvantum præceptum Decalogi oppugnant, & annihilant. 4. Errabāt etiam Ebionitæ, qvi diem Sabbathi & diem Dominicum, id est, septimum & primum diem septimanæ observabāt. Institutio. Ergò hodie primus dies septimanæ necessariò est cultui divino destinandus, contra illos qvi hodie tantū certum aliqvem diem putant cultui Dei conseerandum esse, sive ille sit qvintus, sive decimus, & sic deinceps.

XXVIII. Obj. Apostoli mutarunt diem

703147

septimum in primum septimanæ diem, ut docet Valæus pag. 314. Ergò non Christus. Respon: 1. Antec. negatur, ut probavimus. 2. Conseq. negatur, qvia, si Apostoli hoc fecerũt, Christus ipse fecit, qvia illi Christi Spiritu dirigebãtur, ut in ipsa doctrina Evangelii, vel verbo, vel scriptis proponenda; sic in sancta hac institutione: qvi enim aliqvid per alios facit, per se facere intelligitur.

XXIX. Obj. Gomaristarum præcc. Si concedatur Apostolos mutasse septimum diem in primum, seqvitur observationem dici primi posse esse mutabilem, & variabilem. Resp. Conseq. negatur: qvia ordinationes Apostolicæ, qvæ dogmata fidei, aut præcepta morum per se non spectant; sed solos ritus, aut circumstantias divini cultûs, & qvæ proinde suo modo qvoqve liberæ censentur, tàm in ortu, qvam in usu ipsarum, reperiuntur duorum generum in Scripturis Sanctis, variabiles nempe, & ad tempus tantum institutæ; ut Actorum. 15. de non edendo sangvine, & suffocato, item. 1. Cor. 11. de capite fœminarum tegendo, virorum contra aperiendo, qvando prophetant; vel invariabiles, & ad ordinem perpetuum in tota Ecclesia constanter retinendum; qvalis est manuum impositio in electione Ministrorum, item distinctio muneris Diaconatus à munere pastorali. Actorum. 6. Iam autem dici Dominicæ institutio ad posterius genus ordinationum Apostolicarum referenda est: qvia nulla causa, aut occasio singularis, qvæ eam mutabilem reddat, hic cogitari potest; cõtra qvam de sangvine, & suffocato non edendo, lex.

do, lex ad tempus lata est, propter scandalum infirmorum Iudæorum; lex item de apertione capitis fœminei, & apertione capitis virilis; propterea qvod apertio capitis tùm signum erat libertatis, & Dominii; apertio verò subjectionis, & servitutis; contra qvam hodierno die in plerisqve locis obtinet: atqve ideò pro consvetudinum varietate hæ leges vel ubiqve, vel saltem in nonnullis locis, ubi causa mutata est, etiam mutatæ sunt. Confirmat hanc primam qvoqve rationem ipsa omnium seculorũ experientia, qvum Ecclesia Christiana in nullis conciliis aut synodis hoc unqvam tentaverit, aut unqvam futurum sit, ut mutationem hujus diei sine maximo Christianorum scandalo tẽtet. Gomarus negat diem Dominicum ab Apostolis in locum Sabbathi, ad cultum Dei institutum esse, de invest. orig. Sabb. p. 164. & seqq. Ergò non potest concedi diem Dominicam Apostolicæ institutionis fuisse. Resp. Cõseq. negat: Amesius enim refutat de orig. Sabb. p. 78. & seqq. & Valæus de Sabb. pag. 314. & seqq.

XXX. Obj. præcc: Si concedatur septimum diem in primum mutasse Apostolos per Spiritum Christi, ut dictum. th. 28. seqvitur Christum ipsum non in sua propria persona hoc fecisse: At falsum hoc: Ergò & illud. Resp. Potuit Christus hoc fecisse per Apostolos, ut & alia multa fecit; sed tamen viri similius est Christum ipsum non mediantibus Apostolis, sed immediatè per semetipsum mutasse septimum cultus Dei diem in primum: Qvod patet. 1. Moses omnia necessaria in-

703147

stituit in Ecclesia Dei: Ergò & Christus diem primum, ut Ecclesiis necessarium instituit. Ratio consequentiæ, quia secùs Moses fidelior fuisset Christo in domo DEI. Hebr. 3. 2. 6. 7. Christus post resurrectionem discipulis suis in unum locum congregatis die primo septimanæ sæpiùs apparuit: Ioh. 20. 19. 26. Ergò Christus instituit primũ septimanæ diem ad cultum Dei. Ratio consequentiæ, alias enim die hoc non fecissent; nec Apostoli illo die congregati fuissent. 3. Christus Spiritum Sanctum super Apostolos effudit die primo septimanæ. Act. 2. Ergò hunc diem ipse ordinavit ad cultum Dei. Ratio consequentiæ, alias diem illum sic non honorasset. 4. Tempore Apostolorum observatus fuit dies primus non ut nuper ab Apostolis institutus; sed ut diù à Christo institutus, & diù ab omnibus Christi discipulis receptus. Actor. 20. 7. 1. Cor. 16. 2. Ergò dies primus ab ipso Christo diù scil. à momẽto resurrectionis, non nuper scil. longè post Christi resurrectionem, & ascensionem in cœlum institutus fuit. 5. Apostoli in omnibus rebus illa tradiderunt Ecclesiis quæ acceperãt à Christo. 1. Cor. 11. 23. Ergò diem primum Christus instituit. Ratio consequentiæ, quia diem primum Apostoli commendarunt Ecclesiis, tanquam Christi mandatarii. 6. In Christi morte abrogatum fuit Sabbathum Iudaicũ, seu septimi diei observatio: Ergò Christus post mortem suam statim surrogare debuit diem primum. Ratio consequentiæ, quia lex de uno die in septimana sanctificando perpetui juris est, ut dictum supra. th. 9. & seqq. Instantia

stantia præocc: Apostoli post Christi mortem sanctificarunt Sabbathum, seu septimum diem, quia interfuerunt cœtibus Iudæorum. Act. 13. 14. & 17. 2. & 18. 4. Ergò Sabbathum Iudæorum non fuit abrogatum in morte Christi. Resp. Conseq. negatur: quia fecerunt hoc Apostoli, non septimi diei sanctificandi, sed captandi occasionem Iudæos docendi causâ, ut apparet ex Act. 20. 16. ubi etiam die Pẽtecostes Apostolus ob hanc causam maximè cupiebat adesse. 7. Si primum diem Apostoli instituissent ferè per qvadriennium unus dies in septimana non fuisset observatus: Ratio, qvia in morte Christi dies septimus fuit abrogatus: Apostoli autem non potuerunt primũ diem surrogare septimo diei donec se separarent à Iudæis, septimum diem servare asseritis: separarunt autem Apostoli se à Iudæis ferè post qvadriennium à morte Christi, ut qvidam volunt. 8. Ille instituit primum diem ad cultum Dei, qvi in illo die resurrexit; qvia sicut Deus ideò ordinavit septimum diem ad cultũ suum, qvia in illo die qvievit à laboribus creationis; sic Christus ideò instituit primum diẽ ad cultum Dei, qvia in illo die qvievit à laboribus recreationis, seu redemptionis, juxta. Psal. 118. 24. ubi postulat Christus, ut Christiani diẽ illum, in qvo à mortuis ipse resurgeret, & opus redẽptionis perficeret, celebrate vellent: ibi enim agitur de resurrectione Christi, ut ipsemet Christus interpretatur. Matth. 21. 42. 9. In N. T. Christus instituit cultum, & ab ipso debet exspectari in omni cultu benedictio & gratia: Ergò diem Sabbathi Chri-

703147

stus Dominus transtulit in diem primum, seu Dominicum, ut Athanasius dixit. Obj. Septimus dies mutatus fuit in primum: Ergò fuit vel merè, vel partim ceremonialis. Resp. Cóseq. negatur: Nam licet omne ceremoniale fit mutabile, non tamen omne mutabile est ceremoniale, multa enim sunt positiva mutabilia, qvæ non sunt ceremoniæ, hujus generis sunt leges judiciales. Exod. 21. qvæ cum fuerunt mutabiles, à ceremoniis tamen (qvæ decreta & instituta appellantur) in sacris literis sunt distinctæ. Deut. 4. 5. & 45. & c. 5. 1. & c. 12. 1. Sic etiam totus Decalogus mutabilis fuit, ut diserte Apostolus exprimit. Gal. 3. 13. & 4. 30. qvoad execrationem, sed tamen totam legem ceremonialem esse, nemo potest dicere. His rationes refutat Cl. Valæus de Sabb. pag. 112 & 113. Ergò non probant probandum. Resp. Conseq. negatur: qvia Author nostes defendit se in origine Sabb. p. 74. & seqq.

XXXI. Obj. præcc: Thomæ, Gomari, Cocceji, &c. Observatio diei primi in Ecclesia perdurat ex Ecclesiæ traditione, & conservatione, ut supra diximus, non ex scriptura, qvia de institutione diei primi nec Christus, nec Apostoli ex instituto Christi mandatum ullum reliqverunt: Ergò non possumus dicere Christum diem primum instituisse. Resp. 1. Antecedens falsum: 1. Qvia res tanti momenti, qvanti est dies Dominica, consensu omnium Christianorum pendere debet non ex traditione, sed ex scriptura. 2. Qvia, si institutio diei primi pendet ex traditione, non ex scriptura, tum traditiones introductæ statuminantur, introducendis verò janua aperitur. 3. Qvia, multi Pontificii fatentur institutionem diei Dominicæ pendere ex scriptura. Alexander. 3. Pontifex Rom. in jure ipso canonico, de feriis affirmat, tùm veteris tùm novi testamenti paginas septimam diem ad humanam qvietem specialiter deputasse, id est, (interprete Suarez: de dieb. fest. cap. 1.) utrumqve testamentum approbavit morem deputandi ad qvietem humanam septimum qvemqve diem hebdomadæ: qvod est formaliter deputare septimum diem, licet materialiter non idem dies fuerit semper deputatus: & hoc modo verum est septimum illum diem in lege veteri esse Sabbathum, in nova verò esse Dominicam diem. 4. Qvia omnes nostri Doctores institutionem primi diei, pædobaptismum, & institutiones alias, qvæ sunt ejusdem utilitatis & necessitatis, ex scriptura pendere probaverunt olim contra Pontificios, traditionum non-scriptarum fautores. Probatio etiam antecedentis falsa, ut ostendit Amesius de orig. Sabb. p. 71. & seqq. Addi, potest. 5. Qvia, si olim Ecclesia mutasset diē septimum in primum, & primum posset in aliū qvemvis diem mutare: At non est liberum Ecclesiæ diem primum mutare, ut Perkinsius de Sabb. q. 1. probat: Ergò olim non Ecclesia mutavit diem septimum in primum.

XXXII. Obj. Gomari, Cocceji, præcc: Discrimen dierum Apostolus damnat. Rom. 14. 5. Alius æstimat diem præ die. Gal. 4. 10. Dies observatis. Coloss. 2. 16. Ne qvis vos damnet, respectu Sabbathorum: Ergò nō Christus instituit diem Dominicum, seu unum è septem.

703147

è septem ad cultum Dei. Ratio conſeqventiæ, qvia Apoſtolus Chriſti inſtitutum non damnaret. Reſp. Conſeq. negatur: 1. Qvia in illis locis non damnat Apoſtolus diſcrimẽ dierum reſpectu cultus, ſeu religionis; ſed reſpectu ciborum & ceremoniarũ, ſeu typorũ, qvi umbræ erant rerum futurarũm, ut vides in Valæo de Sabb. p. 299. Si in iſtis locis damnet Apoſtolus diſcrimen dierum qvoad uſum cultus, ſeu religionis; tùm damnaret etiam diſcrimen ciborum qvoad uſum religionis, qvia in iſtis locis etiam diſcrimen ciborum damnat Apoſtolus: At falſum hoc, alias non liceret panem & vinum in Cœna Domiuica ad uſum religionis, ſeu cultus Dei eligere: Ergò & illud. 2. Qvia, Apoſtolus, Rom. 14. 5. damnat illam æſtimationem dierum, qvæ tunc Chriſtianos offendebat, qvalis fuit æſtimatio dierum typicorum & certis cibis edendis deſtinatorum: At obſervatio diei Dominicæ tunc Chriſtianos non offendebat, qvia illa tũc obtinuit in omnibus Eccleſiis, ut docet ipſemet Apoſtolus. 1. Cor. 16. 1. 2. 3. Qvia Apoſtolus. Rom. 14. 5. damnat ſelectionem dierum non ad Deum colendum; ſed ad certos cibos comedendos, aut rejiciendos, gentiles enim habebant dies albos, & atros, mundos, & immundos, ut hodie etiam Pontificii, ut Valæus loqvitur de Sabb. 298. Patet Apoſtolum ſelectionem dierum ad certos cibos comedendos, vel rejiciendos damnare, qvæſtio enim illius diſputationis proponitur v. 2. de cibis tantum: verſ. autem 5. & 6. adjungitur æſtimatio diei, tanqvam eodem ſpectans, & poſtea

poſtea per totum caput reliqvum, de cibis tantum agitur, dierum nulla mentione facta. 4. Qvia Apoſtolus. Gal. 4. 10. non damnat obſervationem diei Dominicæ, ſed obſervationẽ, dierum, menſium, annorum ceremonialium, ſeu typicorum, ut patet ex verſ. 9. 5. Qvia Apoſtolus. Coloſ. 2. 16. damnat non Sabbathum in Decalogo imperatum, & noſtrum diem Dominicum; ſed Sabbatha ceremonialia, & typica, qvalia fuerunt. 1. Feſta Iudæorum. Lev. 23. 32. 2. Primus & ultimus dies feſtorum. Lev. 25. 39. 3. Annus ſeptimus. Lev. 25. 2. & ſeqq. 4. Annus Iubilæus. Lev. 25. 8. & ſeqq. ut vides in Valæo de Sabb. c. 1. Addo, ſi in his locis Paulus Apoſtolus omnem dierum diſcrimen damnet, nec ab Apoſtolis potuit dies primus inſtitui, nec certos dies ad cultum Dei Chriſtiani eligere poſſunt: At hoc non placet Cl. Gomaro, Corcejo: Ergò nec illud placere debet: vide Ameſ. de orig. Sabbath. pag. 71. & ſeqq. & iſtius præfationem.

XXXIV. Obj. Gom. Val. Cocc. præcæ. Si diem primum Chriſtus inſtituit, non ex libertate eum obſervare debemus; ſed ex neceſſitate, qvod enim Chriſtus ipſe determinavit, ſub libertatem Chriſtianam amplius non cadit; adeòqve obſervatio primi diei libertatem Chriſtianam tollit. Val. de Sabb. pag. 312. Reſp. Conſeq. negatur: 1. Qvia non eſt libertas, ſed licentia non Chriſtiana, ſi qvi liberari ſe putent ab obſervatione diei primi, qvam qvantum præceptum Decalogi imperat. 2. Qvia experientia teſte licentia, & non curantia rerum ſacrarum, ut auditionis verbi, orationis,

703147

nis, &c. magis, magisqve invalescit, ubi dies primus, seu Dominicus diligenter, & strictè non observatur. Et ut praxis pietatis habet, sublata observatione diei Dominicæ, brevi tolleretur totus Dei cultus, adeóqve relapsus fieret ad Ethnicismum, qvia ut Catechesis habet observatio diei primi instituta est, ut ministerium, Scholæ, cultus Dei media conserventur.

XXXV. 3. Qvia Adamum non privavit libertate observatio septimi diei : Ergò nec Christianos privabit sua libertate observatio diei primi. Deinde, Christiana libertas non in eo consistit, ut illa, qvæ sine mandato Dei nobis commendantur libere faciamus, qvia sic superstitionibus variis fenestra aperiretur, ficqz frustra laboraremus, qvia non placet Deo, qvod ex fide non fit, at non fit ex fide illud, de qvo nullum verbum Dei exstat, qvia fides est ex auditu verbi ; verum in hoc Christiana nostra libertas consistit, ut illud qvod Deus nobis mandat libentèr faciamus.

XXXVI. *Quando incipit dies Dominica, & quando desinit ?*

Incipit illius mane, & desinit altero mane. Patet. 1. an ita sit, 1. ex exemplo Pauli, qvi primi diei mane incepit docere Ecclesiam, & finivit mane seqventis diei. Act. 20. 6. 7. 11. 2. ex testimonio Davidis, qvi. Psal. 92. 2. noctem seqventem Sabbathi partem constituit. 2. Cur ita fit: qvia, Christus primi diei mane resurrexit. Marc. 16. 9. Ioh. 20. 1. Ergò dies Dominica incipit à primi diei mane : Ratio consequentiæ, qvia dies Dominica in memoriam

riam resurrectionis Christi observatur : adeóqve cessat seqventis diei mane : qvia ut vespera vesperæ, sic diluculum diluculo respondet. Refutatio. Ergò errant, qvi diem Dominicum à vespere ad vesperam porrigunt. Obj. At Sabbathum V. T. porrigebatur à vespera ad vesperam : Ergò & dies Dominica : qvia hæc surrogata est illi. Resp. Conseq. negatur : Diversos enim ob fines observatur Sabbathum V. T. & Sabbathum N. T. illud enim observatur in memoriam creationis, & cessationis à creatione, hoc verò (ut dictum) in memoriam resurrectionis Christi : At à vespera incipit & creatio (qvia Deus massam communem creavit ante lucem, ut vid. Med. l. 1. c. 8. th. 50.) & cessatio à creatione, resurrectio verò à mane : Ergò Sabbathum V. T. meritò à vespere, ad vesperam porrigitur, dies verò Dominica à mane, ad alterum mane, Perkins. de Sabb. q. 3. Correctio. Ergò peccant, qvi nocte diem Dominicum seqvente laborant, ut nostri homines.

XXXVII. *Quæ sunt partes rectæ observationis diei Dominicæ ?*

Qvies, & qvietis illius sanctificatio. Observa ergò. Dies Dominicus necessario observandus est, id est, die Dominico necessario cessandum est ab operibus, & Deus colendus est. Patet. 1. an ita sit, ex. 4. præcepto. 2. cur ita sit. 1. ut nos admoneat hunc primum diem esse qvo Deus lucem è tenebris splendescere jussit, non tantum, ut illa mundum illustraret, & dies efficeret, sed ut signum esset lucis notitiæ glo-

703147

tiæ gloriæ Dei in facie Iesu Christi. 2 Cor. 4. 6. Col. 1. 12. 2. ut perpetuo revocet nobis in memoriam Dominicæ resurrectionis beneficium. 3. ut credentes intelligerent se à servitute legis, peccati & mundi liberatos esse. 4. ut discrimen sit inter nos Christianos, & Iudæos maledictioni legis etiam nunc addictos, ideò, qvod in Christum à mortuis primo die resurgentem, non credant. 5 qvia morale est unũ diem in septimana cultui Dei tribuere. 6. qvia ratio observationis diei Dominicæ, nimirũ memoria resurrectionis Christi est perpetua. Refutatio. Ergò errant: 1. qvi diem Dominicum observandum esse credunt non ex necessitate, sed ex libertate, ut Cl. Gom: Coccejus. Obj. 1. Nullum præceptum dedit Christus de die D. observando: Ergò dies D. non ex necessitate observandus est. Resp. Antecedens negatur: Nam 4. præceptum dedit de eo observando. Inst. præceptum 4. typicum fuit, adeóqve abrogatum. Resp. Si hoc abrogatum fuit, etiam reliqva Decalogi mandata abrogata sunt: At hoc falsum: Ergò & illud. Matth. 5. 17. 19. Obj. 2. Discrimen dierum est sublatum: Ergò dies D. necessario semper observandus non est. Resp. Antecedens simpliciter verum non est, ut dictum ad th. 32. Exhortatio. Nos ergo Christiani diem primũ, seu Dominicum celebrare ne ægrè feramus. Moveat nos pœna non observantiæ Sabbathum. Num. 15. 32. Et illa plagæ qvas Praxis piet. recenset. pag. 454. & seqq. Qværes, qvi observandus dies Dominicus? Qvoad primam partem ita prout Praxis piet. docet pag. 497.

506. qvoad secundum vero partem ita, ut eadem docet pag. 507—552.

XXXVIII. *Quid est quies diei Dominicæ?*

Est cessatio ab omnibus operibus, qvæ cultum Dei, n. auditionem verbi, precationem, sacramentorum celebrationem, &c. impedisit. Tenentur autem cessare ab illis operibus die Dominico non tantum homines superiores & liberi; sed etiam inferiores & servi, ut patet clarè ex 4. mandato. Additur impediunt, qvia opera, qvæ cultum Dei non impediunt, licet die Dominica facere: licet ergo ignem accendere, cibos præparare, domum purgare, &c. Aqvibus ergo operibus cessandum, & abstinendum die Dominica? Qvæ aliis diebus sunt licita. Ergò: 1. Abstinendum est die Dominico ab operibus servilibus: qvod patet. 1. an ita sit. Exod. 20. 10. 2. Cur ita sit. 1. qvia in V. T. non licebat opus servile in aliis festis solennibus facere: Levi. 23. 7. 8. 25. 23. 26. Num. 28. 25. Ergò die Dominico multò minus licet. 2. qvia opera servilia impediunt cultum Dei publicum. Correctio. Peccant ergò, qvi die Dominico à servilibus, operibus n. aratione, messione, &c. non qviescunt, vel alios qviescere non permittunt: qvales sunt avari Domini.

XXXIX. *Quid intelligis per opera servilia?*

Non intelligo. 1. peccata: qvod patet: 1. Qvia peccata non tantum die Dominico sunt

703147

illicita ; sed omnibus vitæ nostræ diebus. 2. Qvia qvantum præceptum non prohibet omnia peccata (aliàs præcepta alia frustranea essent) sed tantum profanationem Sabbathi. Obj. præcc: Graviora sunt omnia peccata, si die Dominico fiant, qvia sanctus ille dies sanctis operibus efficiendis destinatus est. sicut etiam graviora sunt peccata facta die jejunii, qvia dies ille relinqvendis, & deflendis peccatis destinatus est. Esai. 58. 4. Ergò qvantum præceptum per opera servilia intelligit peccata. Resp. Conseq. negatur, ob dictas rationes. Obj. Cl. Coccejus, & alii cessationem a operibus nostris dicunt significare cessationem à peccatis: Ergò qvantum præceptum per cessationem à laboribus nostris intelligit cessationē à peccatis. Resp. Conseq. negatur : qvia tales Theologi allegoriâ novam, & monstrosam Theologiam parturiente, ludunt, ut ait. Vend. Theol. prolog. c. 3. th. 6. expl. 6. 2. opera bona mercenaria, seu propter mercedem facta, qvalis est eleemosyna propter meritum præstita, & evitatio papismi, propter solum mortis æternæ metum facta : qvod patet : qvia opera bona mercenaria respectu illius modi, id est, qvatenus mercenaria, qvatenus fiunt vel propter metum, vel propter mercedem, similia sunt aliis peccatis, qvæ alibi, non hic prohibētur. Additur, respectu illius modi, seu qvatenus, qvia opera illa mercenaria per se non sunt similia aliis peccatis, per se enim bona est eleemosynæ præstatio, licet per accidens mala fiat, qvatenus propter meritum fit.

XL. Sect. 3. per servilia opera intelligo illa

illa opera, ad qvæ peragenda servi, vel serviles homines adhiberi solent : qvalia sunt artificia mechanica, qvibus victum & amictum qværimus, qvalia sunt opera opificum, n. fabrorū, sartorum, &c. & opera rusticorum, n. aratorū, messorum, &c. ad qvæ præstanda magnus corporis labor reqviritur.

2. Abstinendum est die Dominico ab operibus nostris. Patet. 1. an ita sit. 1. Ex illis præcepti verbis : sex diebus facies omne opus tuum : Ergò & opus servile, qvod facis per servum, & tuum, qvod facis per temetipsum.

XLI. 2. Ex illis præcepti verbis : die Sabbathi ne facias ullum opus : Ergò nec servile, nec liberale, seu tuum, aut nostrum.

XLII. *Quæ sunt opera liberalia, seu tua, aut nostra?*

Qvæ non sunt mechanicorum, seu opificū, & rusticorum, & qvæ possumus sine servis, & sine magno corporis labore facere, qvæ pertinent ad hujus scil. corporalis vitæ usus, id est, qvæ in rebus naturalibus, & civilibus versantur, & propriè ad lucrum, & commodum nostrum spectant : qvalia sunt artes liberales, n, Grammaticam Rhetoricam repetere, profani aliqvid scribere, legere, emere, vendere, pecuniam numerare, debitum exigere, regestum lustrare, itinera facere, ad negotia vulgaria confidenda, vel ad oblectationem, operosè convivati, nundinas frequentare, causas civiles tractare, rebus judiciis rectear, &c.

XLIII. Patet illa esse opera nostra, qvæ ad nostrum lucrum & commodum spectant ex.

703147

Esa. 58. 3. 13. ubi Esaias per labores vestros, & vias tuas intelligit opera nostra, qvæ ad nostrũ lucrum, & commodum pertinent : ibi enim damnat Esaias Iudæos, qvod in die jejunii, vel Sabbathi, non illa egerint, qvæ ad gloriam Dei, & proximi ædificationem pertinuerint ; sed qvæ ad suum lucrum & commodum. Potestne colligi ex citato loco qvodlibet verbum, aut cogitationem res humanas spectantem die Dominico usurpatam, esse pro peccato habendum ? Sic volunt qvidam Theologi ; sed errare videntur : 1. Qvia Esaias citato capite agit præcipuè de operibus omnibus diebus illicitis, ut patet ex versu 9. at qvodlibet verbum, vel cogitatio humanas res spectans non est omnibus diebus illicita : Ergò hoc colligi ex Esaia non potest. 2. Qvia non omnia dicta, facta, & cogitata humana die Dominica, seu jejunii, citato loco aliena judicantur, & ideò qvia humana sunt, simpliciter damnantur ; sed illa tantum, qvæ spectant lucrum, & commodum nostrum, vel simpliciter illicitum, vel cultui Dei repugnans, ut apparet ex versibus. 3. 9. 2. cui cessandum est ab operibus nostris patet : qvia, si qvartum præceptem die septimo prohibet opera servilia, & in aratione, & messe, id est, in temporibus, qvæ humanæ vitæ sunt maximè opportuna, & qvasi necessaria, ita ut non liceat die Dominico metere, triturare, etsi maximum periculũ ex dilatione metuamus. Exod. 44. 21. Ames. l. 4. cas. c. 33. q. 3 r. 2. & in iis, qvæ mediatè, & remotè spectant res sacras, qvalis fuit exstructio tabernaculi, ita ut non liceret die septimo pro ea iguem accendere, asseres dolare,

dolare, ligna fabricare, metalla colliqvare, &c. licet hæc opera servilia mediante tabernaculo ad cultum Dei pertinuerint. Exod. 31. 13. Ergò qvartum præceptum die Dominico multò magis prohibet opera nostra, qvæ ad lucrum, & commodum nostrum spectant, ex qvibus est, ut dictum, vulgaris itineris ingressio. Exod. 16. mercatuum, & nundinarum frequentatio. Additur, vulgaris : qvia religiosa itineris ingressio, qvæ fit cultûs Dei causâ, non prohibetur die Dominico, ita ut die illo concionis audiendæ causâ liceat de pago in pagum transire.

XLIV. Obj. præcc : Lex Dei strictè requirit, ut die Dominico ab omnibus operibus servilibus, & liberalibus abstineamus : Ergò nulla servilia, vel liberalia opera possumus die Dominico facere : At hoc falsum : Ergò & illud. Resp. Conseq. negatur, lex enim Dei excipit qvædam opera. Non est ergo die Dominico abstinendum. 1. Ab operibus communis honestatis, qvibus ordinaria, & modesta vitæ lætitia fovetur, & pietatis exercitia non impediuntur : qvalia sunt domum purgare, lectum sternere, caput pexere, vestes purgare, cibos coqvere, &c. Ratio cur hæc officia liceat die Sabbathi facere, qvia ut semper, sic die Dominico honestè, & decore debemus nos gerere : Et instituta diei (ex qvibus est observatio diei Dominicæ) qvæ faciunt ad vitam spiritualem promovendam, non adversantur vitæ corporali. Non licet tamen cibos die Dominico ita coqvere, ut operosa convivia instituantur, & servi, & coqvi Sabbathum violent.

703147

l. 4. cas. c. 33. q. 3. r. 7. Perkins. tom. 1. p. 1565. 2. Ab operibus necessariis, qvalia sunt. 1. opera charitatis (Ames. l. 4. cas. c. 33. q. 3. r. 8.) qvæ sine magno, præsenti, & evidenti periculo differri neqveunt: qvalia sunt defendere urbem, & castra contra hostes oppugnantes, incendia extingvere, lethales morbos curare, parturientes juvare, famelicos, qvi alioqvin defecturi essent cibare molito coctóqve frumento, & mactatis pecoribus. Matth. 12. 1. & seqq. periclitantem in aqva, & igne liberare, bovem ex puteo extrahere. Luc. 14. 5. obstruere aggerem contra inundationem aqvarũ, & earum ex piscinis effluxũ, publici boni causâ cursorem agere, navigationem continuare, &c. Ratio cur die Sabbathi liceat hæc opera facere, qvia in hoc casu Deus misericordiam vult non sacrificium. Matth. 12. 7. Et Sabbathum propter hominem factum est, non homo propter Sabbathum. Marc. 2. 27. Obj. præocc: sæpè aratio, & messio sine præsenti, & evidenti periculo non potest differri: Ergò licet die Dominico arare, metere. Resp. Anteced. negatur, in dilatione arationis, messis, periculum nec præsens, nec evidens est, sed futurum, & ex incerta conjectura conceptum, Ames. l. 4. cas. c. 32. q. 3. r. 2. 2. opera charitatis, qvæ aliqvandiù differre sine præsenti, & evidenti periculo possent: qvalia sunt ægrotos curare: sic Christus sæpè sanavit Sabbatho, qvos postridie potuisset sanasse. Luc. 6, v. 6. & seq. & 13. 10. & seq. & 14. 12. & seq. Ioh. 5. 8. 9. & 9. 14. ægrotorum curandorum causâ iter facere, ægrotos, lugentes, qvi ad conventus

ventus publicos neqveunt venire, visitare, & solari, ægroti grabbatum portare. Ioh. 5. 9. seq. Lactare, & curare infantes, pecudes aqvare. Luc. 13. 15. militaria opera in obeundis vigiliis, & oppugnandis hostibus. Ios. 6. in defendendis magistratibus. 2. Reg. 11. v. 4. seq. imò etiam ad dignitatem illorum & gloriam. 1. Reg. 10. v. 16. c. 14. v. 26. in custodia sacra ad prohibendam Sabbathi profanationem. Neh. 13. v. 19. 22. Itinerum longiorum, qvæ ante Sabbathum absolvere non licuit, continuatio, tùm maritimorum. Act. 20. v. 6. 8. c. 27. v. 7. seqq. (& nautica tunc qvoqve licent ministeria v. 31.) tùm terrestrium. Ios. 6. Num. 13. v. 25. 1. Reg. 19. v. 8. Hospitum peregre venientium receptio: & qvæ ejusdem sunt ordinis. Ratio cur die Dominico liceat hæc opera facere, qvia hæc, officia Sabbathica non impediunt, sed simul præstari possunt, ut dictum supra. c. 4. th. 15. 3. Ab operibus illis omnibus, qvæ directè spectant cultum, & gloriam Dei: sic licuit olim Sacerdotibus pecudes sacrificandas mactare, lavare. Matth. 12. 5. & sanato grabbatum tollere. Ioh. 5. 8. 9. licet hodie Pastoribus concionem scribere, & sudare: Diaconis eleemosynam colligere. 1. Cor. 16. 2. Deum colendi causa huc vel illuc proficisci. Act. 1. 12. & 16. 13. 2. Reg. 4. 23. clangere, vel pulsare, ut populus ad Deum colendum conveniat. Ratio cur die Sabbathi liceat hæc opera facere, qvia in hoc casu, qvæ sua natura sunt servilia, transeunt in naturam operum sacrorum, neqve propriè sunt opera nostra, sed Dei.

Obser-

703147

Observa ergò. Die Dominica cessare debemus ab omnibus operibus nostris. Patet, 1. an ita sit. Exod. 20. 9. Sex diebus facies omne opus tuum, septimo non facies ullum opus, id est, ullum qvod tuum est. Illud autem opus dicitur nostrum, qvod nec honestatis, nec necessitatis opus est, nec est opus ad cultum Dei pertinens; sed eligitur à nobis ad finem aliqvem humanum & mundanum: qvalia sunt. 1. omnia (ut dictum) opera servilia. 2. opera omnia liberalia, qvæ avocant animum ab intentione illa, qvæ reqvirntur ad cultum Dei. 2. patet cur cessandum sit, ut scil. commodè possimus vocare cultui Dei: negotia enim illa mundana, n. servilia, & liberalia varia ratione solenniori huic cultui repugnant. 1. Qvia opera illa externa non possunt simul consistere cum cultu DEI solenni. 2. Qvia animus à mundanis illis negotiis distractus non potest se statim tàm facile componere ad cultum DEI, ut oportet. 3. Qvia negotia ista mundana minuunt cultus Dei efficaciam, gustum & saporem. Refutatio. Die Dominico cessandum est ab operibus nostris: Ergò non est cessandum ab operibus. 1. communis honestatis. 2. necessitatis. 3. ad cultum DEI pertinentibus, ob rationes datas. Institutio. Ergò die Dominico cessandum est ab operibus nostris. Cessandum ergò est à dictis operibus. 1. servilibus: cessare debent ergò opifices, & rustici ab aratione, messione, portatione onerum, &c. 2. liberalibus: cessare debent ergò homines à mercatuum & nundinarum frequentatione, librorum profanorum lectione, &c. ut vides

ut vides in Praxi pietatis pag. 497. & seqq.

XLV. Obj. præcc: Observatio diei Dominicæ est pars cultus Dei: At qvies non est pars cultus Dei, alias ociosi optimi Dei cultores essent; Ergò qvies non est pars observationis Sabbathi contra. th. 37. Resp. assump. negatur, qvamvis enim qvies in se absolutè considerata non sit pars cultus Dei; prout tamen à Deo imperatur, tanqvam necessarium qvid ad cultum Dei, & ad cultum etiam DEI refertur, est pars cultus Dei. Valæus de Sabb. c. 1. parag. 1.

XLVI. *Quid est sanctificare qvietem, & diem Dominicum?*

Est applicare, &c. hoc est, sanctificare qvietem, & diem Dominicum est die Dominico non otiari; sed Deum colere. Ut enim die Dominico omnes homines tùm liberi, tùm servi tenentur qviescere à laboribus servilibus, & liberalibus; Sic omnes homines tùm liberi, tùm servi in illo die tenentur Deum colere publicè primario, secundario autem privatim. Observa ergò. 1. Diem Dominicum cultu DEI, nimirum prædicatione verbi, sacramentorum celebratione, precatione, &c. sanctificare tenemur. Patet. 1. an ita sit. Ex. Gen. 2. 3. ubi Deus qvievit ab operibus sex dierum, & illam qvietem sanctificavit, qvia non est otiatus, qvia illum diem cultui suo destinavit: primos parentes erudivit de creatione mundi, de creationis fine, de vera sui agnitione, & cultu exercendo publicè, & ad posteros transmittendo. Obj. Deus diem septimum

703147

ptimum sanctificavit, id est, illum diem typum Christi venturi fecit, & illo die Christum redimendo mundo destinavit, ut dicit Cl. Iac. Alting. disp. 2. de Sabb. th. 14, 15. Ergò non benè explicas illum locum. Resp. Consequentia negatur. Nova est illa sententia. Et subordinata non pugnant. 2. Ex. Exod. 16. 24. ubi Sabbathum, seu qvies dicitur Iehovæ, qvia in illo die Iehova est colendus. 3. Ex. Exod. 20. 8. Sabbathum sanctifices, id est, die septimo media cultus Dei, & publicam verbi prædicationem, &c. exerceas. 2. Cur ita sit. 1. Qvia in istis officiis professionem facimus religionis, & honoris D E O debiti, qvod est Deo honorificum, & acceptum. 2. Qvia hac ratione ædificamus nos ipsos, & promovemus communionem illam qvam habemus cũ Deo: cum enim occupationibus mundanis per sex dies animus noster aliqvo modo deprimitur versus terram, sapientissimo Dei consilio fait institutum, ut die septimo saltem elevetur denuò versus cœlum, & omnibus istis mediis erigatur & in gradum suum restituatur. Cũ etiam sordes qvasdam contrahimus ex illis occupationibus mundanis, deteguntur illa & nos mundamur illis exercitiis sanctificationis. Cum multæ occasiones incidunt aliis diebus, qvæ suas difficultates, & tentationes secum ferunt, hoc die adversus illas omnes instruimur, & munimur, ita ut sit qvasi dies lustrationis nostræ qvoad arma nostra spiritualia: dies purgationis qvoad sordes deponendas: & dies ascensionis nostræ in cœlum, qvatenùs fides, & charitas cum cæteris donis cœlestibus in cor-

dibus nostris accenduntur. 3. Qvia hac ratione ædificamus etiam alii alios in praxi religionis, ita ut qvi audit prædicationem verbi, qvamvis nihil discat, aliqvid tamen docetur audit, docet enim alios, Deum esse colendum, & verbum ejus cum reverentia audiendum, Admonitio. Caveamus nobis à neglectu horum officiorum, qvi non potest consistere cum vigore aliqvo, vel religionis erga Deum, vel studii, & curæ nostræ propriæ salutis: vel deniq; affectus Christiani erga Ecclesiam, & proximos nostros. Directio. Ut secundum hanc regulam judicemus de officiis illis, qvæ hoc die præstamus circa Dei cultum. In communi enim debent assurgere ad sanctificationem hujus diei: & hæc sanctificatio hujus diei pendet ex sanctificatione nominis divini, & ex promotione nostræ propriæ sanctificationis. Nisi igitur sentiamus istiusmodi fructus in conscientiis nostris, habemus in eo justam causam singularis humiliationis: Si verò sentiamus in aliqvo gradu, habemus pro qvo Deo magnas gratias agamus. 2. Superiores, ut Parentes, Magistratus, Domini, Mariti tenentur efficere, ut eorum inferiores, ut filii, subditi, servi, uxores diem Dominicum sanctificent, seu die Dominico Deum colant. Patet. 1. an ita sit, ex Exod. 20. Ne facito ullum opus tu, aut filius tuus, &c. 2. cur ita sit. 1. Qvia opera illa servilia, qvæ isto die prohibentur, maxima ex parte à parentibus per suos filios, & à Dominis per suos servos procurantur; ita ut qvamvis per alios præstentur, opera tamen ipsa sunt ipsorum à qvibus procurantur. 2. Qvia sanctificatio

703147

huius diei fuit institura in gratiam, & usum filiorum, & servorum, æqvè ac parentum, & dominorum. §. Qvia superiorum omnium officium est, salutem eorum qvos habent sibi subditos, qvantum possunt, promovere; & honorem illum, qvi Deo ab ipsis, & per ipsos debetur procurare. Correctio. Adversus incuriam illam indignissimam hominum, qvi sicut ipsimet non satis diligentes sunt in suo officio procurando & præstando hac in parte, sic etiam circa suos liberos, & famulos putant se ab omni cura esse immunes. Directio. Erga inferiores, qvi sunt in aliorum potestate, ut hac in parte libenter obseqvantur suis superioribus, qvando vocant ipsos ad Deum colendum. 2. Ut grati sint etiam erga ipsos hoc nomine. §. Ut qvi libertatem illam habent, eligant se talibus superioribus subjicere, à qvibus possint hoc auxilium sperare. §. Diem Dominicum sanctificare, seu in illo die media Deum colendi, n. prædicationem verbi, &c. usurpare cum singulari recordatione tenemur. Patet. 1. an ita sit ex. Exod. 20. 8. Recordare diei Sabbathi, ut sanctifices illum. 2. Cur ita sit. 1. Qvia hoc præceptum non adeò est insitum cordibus nostris à natura atqve cætera ferè omnia; sed fuit singulare Dei institutum. 2. Qvia non est omnium dierum, & horarum, sed singularis cujusdam temporis, cujus facilius possumus oblivisci. §. Qvia multitudo occupationum huius vitæ facilè avertit animos nostros ab hoc officio, nisi cura, & studio in contrarium nitamur. 4. Qvia ut rectè, & commodè sanctificemus istum diē,

necesse

necesse est, ut de eodem antea cogitemus, & disponamus nostra negotia vulgaria, ne illo die sint nobis impedimento, atqve etiam ita versemur in ipsis aliis diebus, ut possimus esse paratiad solennem Dei cultum libero, & alacri animo obeundum. Increpatio. Adversus oscitantiam multorum, qvi tantum absunt à pia recordatione hujus diei, ut recordentur ejus potius in illum finem, ut possint eundem impēdere suis voluptatibus, aut aliis negotiis, qvibus per occupationes non possint eundem suis negotiis, aut voluptatibus impendere. Si enim excurrendum sit illis, & iter aliqvod levius faciendum, vel convivium aliqvod operosum celebrandum, præ exteris omnibus eligunt istum diem, qvasi alias ipsis periret supervacaneè, & otiosè in cultu Dei collocatus: alii etiam sunt qvi non recordantur diei Dominicæ, nisi sonitu campanæ admoneantur.

XLVII. 1. *Qvali cultu sanctificandus est dies Dominicus, seu qvali cultu debemus Deum die Dominico colere?*

Inprimis publico, qvalis est publica verbi prædicatio, & auscultatio, Sacramentorum celebratio, precatio, &c. qvod patet. 1. an ita sit. Lev. 23. §. ubi Sabbathum vocatur convocatio sancta, qvia sanctificatio Sabbathi in publico Dei cultu consistit. Sic. Act. 13. 14. ubi Apostoli die Sabbathi ideò ingressi sunt in Synagogam. Lev. 19. 30. ideò conjungitur Sabbathum cum Sanctuario. Additur inprimis:

703147

qvia sanctificatio Sabbathi consistit etiam in privato Dei cultu, de qvo. th. 49. 2. Cur ita fit: qvia dies Dominica est tempus cultui Dei maximè solennis. Correctio. Ergò peccant, qvi sufficere putant, si diem Sabbathi domi privatim sanctificaverint. 2. Die Dominico qvoties debet populus convocari ad Deum publicè colendum? Bis: mane, & vesperi: qvod patet. 1. an ita fit. Num. 28. 9. ubi holocaustum, qvod fuit Sabbatho proprium, offerebatur Deo die Sabbathi bis, n. mane, & vesperi. 2. Cur ita fit. 1. Qvia diei Dominicæ pars matutina non est sanctior, & melior vespertina. 2. Qvia observatio Sabbathi ad mane seqventis diei porrigitur. 3. Qvia dies Dominicus totus qvies Iehovæ dicitur esse. Correctio. Peccant ergo, qvi diei Dominici cultum vespertinum minoris faciunt.

XLVIII. Obj. præocc: Si in die Dominico tantum mane, & vesperi convocandus est populus ad Deum publicè colendum, tùm reliqva istius diei pars potest aliis negotiis impendi, vel in otio transigi. Resp. Conseq. negatur. 1. Qvia in aliis diei istius partibus procedat cultus qvotidianus: Ut enim in V. T. holocaustum, qvod fuit Sabbatho proprium, mane, & vesperi maximè solenniter offerebatur, sed sacrificium juge seu qvotidianum in aliis istius diei partibus minùs solenniter. Num. 28. 10. sic in N. T. cultus qvi est diei Dominico proprius mane, & vesperi, debet maximè solenniter celebrari, sed in aliis istius diei partibus minùs solenniter cultus qvotidianus. Qværes, qvis est cultus diei Dominico proprius, qvis qvotidianus? Cultus diei Dominico proprius est. 1. Conventus sacri, & horum freqventatio. Lev. 23. v. 3. Die septimo Sabbathum cessationis religiosæ, convocatio sancta est; cap. 19. v. 30. Sabbatha mea observatote, & sanctuarium meum reveremini. 2. Prædicatio verbi, seu concio sacra. Luc. 4. v. 16. seq. Iesus die Sabbathi in Synagogâ Nazarethanâ legit publicè ex Esaia periocham, eámqve interpretatus est: & Paulus post lectionem legis, & Prophetarum concionem habuit Antiochiæ in Sabbatho. Act. 13. v. 15. & Troade die Dominico disseruit. cap. 20. v. 7. 3. Sacramentorum administratio, & perceptio. Ioh. 7. 22. 23. Circumcisio fiebat Sabbatho, non solutâ lege: Pascha item pellebat Sabbathum, cum illud à decimo qvarto Nisan removeri non posset. Act. 16. v. 13. seq. Sabbatho baptizata Lydia cum suis, & cap. 20. v. 7. 11. die Dominico Sacra Cœna administrata fuit. 4. Publica fidei professio. Esa. 58. v. 13. Vocabis Sabbathum oblectationem propter sanctum Domini glorificatum, & honorabis illud, loqvendo verbum. Vocare hic non est simpliciter loqvi, sed publicare, proclamare, ut qvo loco Sabbathum tibi sit, & cujus gratiâ tanti fiat, etiam aliis qveat innotescere. 4. Invocatio Dei, gratiarum actio, & celebratio. Psal. 92. v. 1. seq. Psalmus canticum, propter diem Sabbathi. Bonum est laudare Dominum, &c. Act. 16. v. 13. Sabbatho habebatur precatio. 6. Eleemosynarum collectio. 1. Cor. 16. v. 1. 2. Primo die septimanæ collectæ in usum Ecclesiarum egenarum fieri jubentur. Cultus

703147

verò qvotidianus est. 1. Lectio Bibliorum, Deut. 31. 11. Neh. 8. 2. & seqq. cum. Act. 13. 17. & 15. 21. & 17. 2. 2. Catechizatio. Debet autē qvotidie fieri lectio Bibliorū, Catechizatio, qvia sciendis Bibliis, locis communibus, non sufficit dies Dominicus. Obj. Cultus, qvos diei Dominico proprios dicis, aliis etiam diebus celebrari leguntur, ut conventus, & frequentatio ejus. 1. Cor. 14. 26. Circumcisio, qvando octavus dies circumcisionis non incidebat in Sabbathum, Cœna Dominica, Act. 2. 46. Aliis etiam diebus concionabatur Christus. Matth. 25. 55. Et qvotidie orabant, & canebant Levitæ. 1. Chron. 23. 30. Ergò isti cultus non sunt diei Dominico proprii. Resp. Consequ. negatur, qvia isti cultus aliis diebus celebrabantur olim extra ordinem, & minùs solenniter, qvomodo hodie etiam possunt, modo dies Dominicus proprio suo cultu ne privetur, & aliis diebus æqvetur. Meo judicio in Ecclesia jam benè constituta, & libertate sua fruente, majus esset cultus divini æstimium, si cultus diei Dominico proprii tantum in illo die celebrarentur: &, maior esset Ecclesiarum profectus, si aliis diebus tantum Bibliorum lectio, & catechizatio procederent. Interim, hic litem aliqvam serere, non est mihi animus.

XLIX. 2. Qvia die Dominico, qvando publicus cultus cessat, privatus incipit: privatus autem cultus die Dominico exercendus est. 1. Præparatio ad Sabbathum; ut dum operæ alia qvotidianæ vocationis seponuntur è manibus, simul etiam emoveantur ex animo, & cogitationibus, contra qvam factum. Ezech. 33. v. 30. 31. Amos. 8. v. 5. anxiâ, & avarâ sollicitudine sub pectore etiam tunc fixa. Etenim pes custodiendus ingressuro domum Dei, & aures parandæ ad audiendum. Eccl. 5. v. 1. & similis custodia circa Sabbathum requiritur. Deut. 5. v. 12. 2. Exercitium resipiscentiæ & fidei. Elai. 56. v. 2. Beatus ille vir, qvi Sabbathum observat ne illud profanet, & qvi observat manum suam, ne qvicqvam mali faciat. v. 4. qvi observaverint Sabbatha mea, & elegerint in qvo delector, & apprehenderint fœdus meum. Sic qvoqve v. 6. item cap. 58. v. 13. Fœderis apprehensio, nec non professio de oblectamento Sabbathico ob sanctum Domini glorificatum, & dei actiones sunt, cæteræ ad resipiscentiam pertinent. 3. Domestica exercitia precum, cantus, lectionis, ac meditationis scripturæ, ac repetitionis eorum qvæ audita sunt: Qvum enim singulæ domus fidelium sint Ecclesiæ, Rom. 16. 5. Philem. v. 2. utique Ecclesiasticarum actionum simulachra istic vigere debēt. 1. Cor. 16. v. 2. 4. Meditatio de operibus Dei, creationis, providentiæ, redemptionis, gubernationis Ecclesiæ, piorum impiorumqve dispari conditione hîc & deinceps; qvod argumentum Psalmi Sabbathici, nonagesimi secundi. Colloqvia item ad pietatem religiosam, civilemqve honestatem excitantia, qvales fuerunt sermones Christi. Luc. 14. v. 3. seqq similiaqve alia.

L. Quæ repugnant institutioni diei Dominicæ?

703147

Omnes dies festi ab hominibus instituti, &c. Observa ergo. In N. T. omnes dies festi ab hominibus instituti, ita ut habeantur pro diebus sanctis, sicut dies Dominica debet haberi, damnandi sunt. Additur, ita ut habeantur pro diebus sanctis, sicut dies Dominica debet haberi: qvia Ecclesia potest instituere qvosdam alios dies præter primum hebdomadis diem, seu Dominicam, qvi cultui divino, & insignis alicujus beneficii Dei celebrationi, ac commemorationi sacri sint, modò hæ cautiones observentur (qvæ apud Pontificios minimè observantur) 1. ne dies festi Angelis, & sanctis defunctis consecrentur, sed soli Deo, qvippe cui soli omnia V. T. festa consecrata fuerunt, cui soli etiam diem Dominicum consecrarunt Apostoli, qvos non legimus festum consecrasse, aut Stephano Protomartyri, aut Iacobo Iohannis fratri, qvem Herodes ultimo supplicio affecerat. Act. c. 7. 13. 2. ne supramodum multiplicentur dies festi, qvod repugnaret libertati Christianæ, præsertim, cum pauca festa Deus instituerit sub V. T. qvo tamen tempore Ecclesia multiplicium ceremoniarum jugo premebatur, à qvo liberata est sub Evangelio. 3. ne dies festi naturâ, & per se diebus aliis sanctiores censeantur, qvasi opera qvæ in illis fiunt meliora sint, & acceptiora DEO, qvam si aliis diebus fiant, aut gratia Dei tunc copiosior sit, & magis obvia, qvam alio tempore, hoc enim existimare superstitiosum esset. 4. ne dies festi ita instituantur, ut obligent conscientiam: nam etsi observationi rei ejusmodi, qvæ neqve sacri, neqve bonis moribus contraria est, non debeant

debeant pii præfractè, & pertinaciter repugnare, sed illi potius se se libenter subjicere (Esth. 9. v. 23. 27. 31.) manet tamen semper libera festorum observatio, adeò ut fas sit in illis etiam operari, postulante necessitate, secundum mandatum qvartum, sex diebus operaberis, & liceat Ecclesiæ eos mutare, cum adsunt justæ causæ, aut eos transferre in alios aptiores dies. Dixi damnandos esse omnes dies festos ab hominibus institutos, ita ut habeantur pro diebus sanctis, sicut dies Dominica debet haberi: qvod patet. 1. an ita sit. Exod. 20. 8. ubi in septimana unus dies tantum destinatur cultui divino, omnes verò alii laboribus nostris. 2. cur ita sit. 1. Qvia in N. T. omnibus festis, ita ab hominibus institutis, ut æqvè sancta sint, ac dies Dominica sancta est, repugnat institutio diei Dominicæ. Ratio:

LI. Qvia sic Christus primitus instituit (ut dictum supra) ut in septimana unus tantū dies sanctificetur: Et, etiam Apostolorum scripta, & praxis hoc restantur, ut etiam supra vidimus. 2. Qvia festa Iudaica erant pars legis ceremonialis, ac proinde abrogata fuerunt in N. T. adeò ut non liceat nobis ea celebrare. Gal. 4. 8. 9. 10. Colos. 1. 16. 17. 3. Qvia festa Iudaica à Deo instituta, non abrogata sunt, ut homines iis similia instituant, & Ecclesiis obtrudant. Gal. 5. v. 1. Refutatio. 1. Pōtificioīū qvi festa Iudaica, & iis homogenea infinita instituunt, & qvidem ita, ut magis sancta sint, qvam dies Dominica. 2. Reformatorum, qvi festa anniversaria tàm sancta putant esse, qvam diem Dominicum, vel eo sanctiora multò.

703147

LII. Obj. Pontif. præocc: Iudæi præter septimum diem ritè observarunt nonnulla festa: Ergò in N. T. etiam nonnulla festa præter diem primum observanda sunt. Resp. Conseq. negatur, qvia Iudæis Deus imperaverat, ut præter diem septimum observent etiam alia aliqva festa; sed Deus nobis non jussit, ut præter diem primum alia aliqva festa observemus. Iudæi autem qvæ festa præter Sabbathum septimi diei observarunt, hodiè ut tempora ceremonialia, & typica abrogata sunt, ut vides in Pol. Syn. Theol. l. 9 c. 3. 5. & in Ravanello de festis.

LIII. Obj. Pontif. præocc: In N. T. festa ab hominibus instituta, ita ut tàm sancta sint, qvam dies Dominica, repugnant institutioni diei Dominicæ: Ergò in N. T. non possunt homines qvotannis diem Christi Nativitatis, mortis, resurrectionis, ascensionis, missionis Spiritus Sancti; vel hebdomadatim, diē vel Mercurii, vel Veneris, &c. cultui divino destinare. Resp. Conseq. negatur, hoc est, 1. Qvia licet homines dies sanctos, qvalis est dies Dominica, non possint instituere; possunt tamen qvalescunqve dies cultui divino destinare, idq; nō ex sua libertate, qvia. Matth. 15. 9. Frustra me colunt docentes doctrinas qvæ sunt mandata hominum; sed ex vi tùm præcepti qvatti, ut Catechesis explicat, tùm illius. Num. 28. 3.

LIV. 2. Qvia homines in N. T. non tàtum possunt aliqvos dies cultui divino destinare, sed aliqvando etiam hoc facere tenentur: tenentur enim Magistratus tempore famis, pestis, &c. aliqvos dies jejunio, adcóqve cultui divino

divino destinare, qvi dies habendæ videntur qvasi pro Sabbathis extraordinariis. In N. T. Sabbatha ordinaria sunt dies primi cujúsqve septimanæ: qvasi Sabbatha extraordinaria verò sunt dies jejunii: qvi ideò qvasi Sabbatha extraordinaria vocantur, qvia ita ferè observare illos dies tenemur, sicut ordinaria nostra Sabbatha, qvia ut observationem ordinariorum Sabbathorum, sic observationem Sabbathorum extraordinariorum, seu dierum jejunii, Deus imperat nobis tùm factō, cum judiciis suis extraordinariis ad observationem eorum vocat; tùm verbis. Esai. 22. 12—14. Obj. Scarpius Surs. Theol. t. 1. p. 661. negat simpliciter ullos dies festos Ecclesiæ Christianæ observandos esse: Ergò dies festi simpliciter ab Ecclesiis Christianis observandi non sunt. Resp. Conseq. negatur.

LV. Quæ repugnāt observationi diei Dominicæ?

Omnia opera servilia, & liberalia: nominātim autem negotiationes, seu mercatuum frequentationes, exercitia artium, & armorum, convivia nuptiarum, & aliarum rerum, venationes, ludi, piscationes, aucupia, comedix, tripudia, compotationes &c. ut habet Synod. nationalis Dordrechtana. Observa ergò. Die Dominico nō licet nūdinas frequētare, artes, & arma exercere, cōvivia nuptialia instituere, pilâ, & globis ludere, &c. Patet. 1. an ita sit. Esai. 58. 13. Non præstando id, qvo delectaris. 2. Cur ita sit. 1. Qvia illa impediunt cultum Dei. 2. Qvia die Dominico opera qvotidiana exer-

703147

na exercere non licet: Ergò multò minùs illa. Ratio consequentiæ, quia illo die potiùs esset seria agere, quam ludicra tractare. 3. Quia in diebus jejunii qui sunt Sabbatha hominum, non licet illa facere: Ergò multò minùs in Sabbathis Dei. Correctio. Peccant ergò qui die Dominico talia faciunt. Obj. 1. Servis recreatio est concedenda: Ergò licet illa facere die Dominico. Resp. Aliis diebus qui tui sunt concedenda est illis recreatio. 2. Dies Dominicus est festus dies: Ergò lætitiam, & gaudium in illo debemus habere. Resp. Verùm, sed spirituale, ut Judæi. Nehem. 8. 12. 3. Amesius dicit hæc repugnare observationi diei Dominicæ non simpliciter; sed quatenus cultum Dei illo die impediunt, ut patet ex l. 4. cas. 9. 33. q. 2. Ergò non sunt simpliciter hæc damnanda die Dominico. Resp. Anteced. negatur: Author enim citato loco non loquitur de istis rebus, de quibus hic loquitur. 4. Valæus de Sabb. pag 307. Praxis pietatis p. 500. & seqq. Iac. Alting de Sabbb. part. post. th. 33. contradicunt tibi: Ergò hæc simpliciter non sunt damnanda. Resp. Anteced. negatur: quia illi non tales recreationes dicunt die Dominico esse licitas, sed deambulationes aliquas, colloquia sancta, convivia honesta, hilaria, & sobria.

CAPUT. XVI.

De justitia & charitate erga proximum.

ANA-

ANALYSIS.

JUstitia erga proximum explicatur. I. A definitione, th. 1. II. Ab homonymia, th. 2. III. Ab objecto, quod est. 1. homo, & Angelus. th. 3. unde consectarium infertur. th. 4. 2. nosmetipsi. th. 5. IV. A synonymo, n. charitate erga proximum. th. 6. quæ explicatur. 1. A partibus, th. 7. 2. Ab efficiente, n. religione erga Deum. th. 8. unde quatuor consectaria colliguntur. th. 9—12. 3. Ab ordine: ubi indicatur Deum diligendum esse primò, postea nosmetipsos, deinde alios: adeóque indicatur: 1. Deum magis diligendum esse, quàm nos. 2. nos ipsos magis esse diligendos, quàm alios homines, quoad vitam æternam. th. 13. unde duo consectaria fluunt, th. 14—15. 3. omnes alios homines esse diligendos. th. 16. 4. inter alios homines unũ magis diligendum esse, quàm alium. th. 17. unde consectarium colligitur. th. 18. quod ab objectione liberatur. th. 19. 5. causa alios homines æqualiter diligendi, quæ est æqualis conjunctio ad Deum, & ad nos. th. 20. 6. causa alios homines inæqualiter diligẽdi, quæ est inæqualis conjunctio ad Deum, vel ad nos. th. 21. quæ. 1. ab objectione liberatur. th. 22. 2. aliqvot consectariis, & exemplis illustratur. th. 23—29. 4. Ab actibus. th. 30. qui sunt. 1. precatio pro bono proximi: cujus indicatur. 1. homonymia. th. 31. 2. objectum. th. 32. 3. partes. th. 33. 4. oppositũ. th. 34. 2. operatio boni proximi: cujus notatur. 1. definitio. th. 35. 2. Synonymum. Ibidem. 3. distinctio

703147

à precatione~. th. 36. qvæ distinctio ab objectione vindicatur. Ibidem, qvæ vindicatio ab instantia liberatur. th. 37. 4. modi. th. 38. ubi. 1. de svasione, qvæ explicatur. 1. à descriptione~, th. 39. 2. à modis. th. 40. qvi sunt. 1. admonitio, cujus indicatur. 1. acceptio, th. 41. 2. contentum inde illatum. th. 42. ubi occurrentis correctionis reqvisita notantur, vel tempus. th. 43. 3. oppositum, n. consensus, seu communio eum aliis in eorum peccatis. th. 44. cujus in dicticho novem modi enumerantur, & explicantur, th. 45. 2. exemplum bonum: cujus notatur. 1. definitio. th. 46. 2. oppositum, n. scandalum. th. 47. cujus notatur. 1. descriptio. th. 48. 2. subjecta, qvæ. 1. enumerantur: sunt enim. 1. malum opus aliis innotescens. th. 49. 2. opus per se licitum, seu res adiaphora, qvæ aliis non expedit. th. 50. qvæ, qvando non expediat indicatur. th. 51. 2. natura eorum notatur. th. 52. 3. distinctio qvæ. 1. indicatur. Scandalum enim distingvitur. 1. in datum~. th. 53. 2. in acceptum. th. 54. & illius evitabilitas, hujus verò inevitabilitas indicatur. th. 55. 2. ab objectione vindicatur. th. 56. 2. de reali effectione, qvæ definitur. th. 57. V. A distinctione actuum justitiæ in eos, in qvibus justitia magis, vel in eos, in qvibus charitas magis elucet. th. 58. ubi: 1. distinctio hæc notatur causa esse distinctionis officiorum in officia justitiæ strictè sumptæ, vel in officia charitatis. th. 59. 2. justitiæ actus describuntur. th. 60. 3. charitatis actus describuntur. th. 61. 4. justitiæ officia impatia dicuntur esse officiis

ciis charitatis in obligatione~. th. 62. cujus impatitatis consectarium exemplum ejus continens notatur. th. 63. VI. A distinctione justitiæ in justitiam strictè sumptam; vel in æqvitatem. th. 64. VII. A pattibus, qvarum prima est justitia distributa, qvæ explicatur. 1. à descriptione. th. 65. 2. à reqvisitis eam rectè exercendi. th. 66. 3. ab oppositio, n. personarum acceptione. th. 67. qvæ definitur. Ibidem. Secunda justitia emendativa, qvæ explicatur. 1. à definitione. th. 65. 2. à distinctione in commutativam, vel correctivam. th. 68. qvarum~, illa describitur. th. 69. hæc verò describitur, & distingvitur in civilem~, vel criminalem. th. 70. qvarum illa describitur. th. 71. hæc verò explicatur. 1. à descriptione. th. 72. 2. ab actibus, n. vindicta & restitutione. th. 73. qvorum ille explicatur. 1. à descriptione. th. 74. 2. à finibus. th. 75. hic verò describitur. th. 76. unde consectarium infertur de actione obligante ad restitutionem, n. injustâ acceptione~, justitiæ strictè sumptæ, & charitati contraria. th. 77. VIII. Ab oppositio tùm justitiæ, n. injuriâ. th. 78. tùm~ charitatis synonymi justitiæ, n. malevolentiâ. th. 79. cvique adjuncto, n. discordiâ injustâ. th. 80. cujus synonymū est schisma. Ibidem.

EXPLICATIO.

Qvæ est transitio hujus capitis. Hactenus, &c. hoc est, à c. 4. ad hoc caput egimus de~ officiis in prima Tabula Decalogi præceptis, qvæ generali nomine religio vocabantur: jam agemus ab hoc cap. ad finem~, de officiis in

703147

secunda tabula Decalogi imperatis, qvæ generali nomine justitia vocantur.

I. *Quid est justitia?*

Est virtus, &c. ubi. 1. definitum, n. justitia, qvæ continet in se omnia officia secundæ tabulæ Decalogi, n. honorem, humanitatem, castitatem justitiam commutativam, veracitatē, cōtentationem, adeoq; : 1. Sicut ille est religiosus qvi in Deum credit, speratq; Deum diligit, &c. sic ille est justus, qvi est alios honorans, humanus, castus, justè bona acqvirens, & iis utens, verax, sua sorte contentus. 2. Qvicqvid prædicas de justitia, id prædices etiam de honore proximi, humanitate, &c. 2. definitio: ubi est. 1. genus, n. virtus. 2. Obj. Supra. cap. 4. Observantia distributa est in religionem, & justitiam: Ergò genus justitiæ est observantia, non virtus. Resp. Conseq. negatur, qvia subordinata non pugnant. 2. Obj. Virtus est voluntaria: At justitia est necessaria, necesse debemus enim suum cuiqve tribuere. Ergò justitia non est virtus. Resp. Voluntarium excludit necessitatem coactionis, sed non item necessitatem præcepti, qvo modo justitia est necessaria. Thom. 2. 2. q. 57. art. 3. 2. differentia: qva inclinamur, &c. hoc est, justitia consistit in præstatione officiorum proximo debitorum, qvæ sunt honor, humanitas, castitas, justitia commutativa, veracitas, contentatio. Patet. 1. an ita sit. Eph. 6. 1. ubi officium liberorum erga suos Parentes dicitur justum esse, id est, justitia. Sic Coloss. 4. 1. ubi Dominorum officium erga suos servos vocatur jus, & æqvum, id est, justitia. Tit. 2. 12. ubi omnia illa, qvæ proximis debemus justè vivendo præstantur. 2. cur ita sit. 1. Qvia religio consistit in præstatione officiorum directè Deo debitorum: Ergò justitia consistit in officiorum proximo debitorum præstatione. Ratio consequentiæ, qvia religio, & justitia sunt species observantiæ contrariæ: Ergò contrarias habent definitiones, seu naturas. 2. Qvia injustitia consistit in non præstatione officiorum proximo debitorum: Ergò justitia contra. Refutatio. Ergò errant, qvi justitiam definiunt perpetuam constantémqve voluntatem jus suum unicuíqve tribuentem. Thom. 2. 2. q. 58. art. 1. Exhortatio. Ergò qvæ proximis debemus, reddamus, tū qvia sic erimus justi. 2. qvia secùs injusti erimus. 3. qvia hoc Deus præcipit: Dilige proximum tuum, sicut teipsum, id est, qvod proximo debes, redde.

II. *Justitia est ne homonyma, & quî accipitur hîc justitia?*

Justitia est homonyma, & non accipitur hic 1. maximè generaliter, qva omne officium ad alterum designat, ut supra c. 2. th. 26. Sic enim justitia complectitur in se, & religionem ipsam, qvia justitia generalis est virt' in genere, cujus species sunt, religio, & justitia. 2. maximè particulariter, qvâ æqvalitatem redditi & accepti respicit, ut infra. th. 69. & c. 20. Sic enim pauca tantum secundæ tabulæ officia cōtinet, illa scilicet, qvibus par pari refertur, seu pro tanto, tantum datur, ut fit in contractibus:

703147

Sed. 3. accipitur hîc justitia media qvadam ratione, id est, partim specialiter, qvatenus est species justitiæ in genere, vel generaliter, qvatenus continet in se omnia officia secundæ tabulæ, qvæ proximi mutuò sibi invicem debent præstare.

III. *Quod est objectum justitiæ, seu erga qvem debemus exercere justitiæ officia, n. honorem, humanitatem, castitatem, justitiam commutativam, veracitatem, contentationem?*

Erga proximum, id est, omnem hominem, & Angelum, qvi nobiscum particeps est, vel esse potest, vitæ æternæ. Patet. 1. an ita sit. Matth. 22. 37. dilige, id est, justitiæ officia exerce erga proximum, id est, hominem, & Angelum capacem nobiscum vitæ æternæ. Sic. Luc. 10. 36. 37. Sic ex exemplo Abrahami, & aliorum Sanctorum, qvi Angelos bonos honorarunt, domo suâ receperunt, cibo, potúqve invitarunt. 2. cur ita sit. 1. Qvia in proximis reperitur fundamentum justitiæ, qvia proximus habet 1. excellentiam, ob qvam honorari debet. 2 vitam corporalem, & spiritualem, qvam conservare debemus. 3. conjugium, qvod polluendum non est. 4. bona, qvæ eo invito accipi non debent. 5. causam, de qva testimonium ferre tenemur. 6. bona, qvæ concupiscere non debemus. 2. Qvia Deus jubet, ut erga proximum benefici simus. Gal. 6. 10. 3. Qvia Deus proximum honorat. 1. Sam. 2. 30.

2. 30. 4. Qvia proximus est, vel esse potest Ecclesiæ membrum. Refutatio. Ergò objecta justitiæ non sunt. 1. peccantes in Spiritum Sanctum. 2. homines jam damnati. 3. Diaboli: qvia non sunt, nec esse possunt participes vitæ æternæ nobiscum. Dixi, damnati: nam damnandi, seu reprobati sunt objecta justitiæ, qvia ex charitate judicamus eos esse, vel esse posse nobiscum participes vitæ æternæ.

IV. 2. Sancti defuncti, & Angeli boni non sunt objecta cultûs religiosi, seu adorationis, qvæ prima tabula Decalogi imperat: qvod patet tùm an ita sit ex. Act. 10. 26. & Apoc. 22. 9. tùm cur ita sit, qvia sancti defuncti, & Angeli boni sunt tantum objecta justitiæ, seu officiorum, qvæ secunda tabula Decalogi præcipit.

V. *An justitia semper sit ad alterũ, id est, an justitiam, ut honorem, humanitatem, &c, tantum erga alios, vel etiam erga nosmetipsos exercere debemus?*

Etiam erga nosmetipsos. Patet. 1. an ita sit, ex. Matth. 22. 39. Diliges proximum tuum, sicut te ipsum, id est, exerce justitiæ officia & erga te ipsum, & erga proximum. 2. Cur ita sit. 1. Qvia justitiæ officia exercenda sunt erga proximum, ut dictum ad th. 3. At qvilibet sibimet ipsi primum est proximus, deinde aliis. 2. Qvia omnis virtus ordinatur ad perfectionem habentis: At justitia est virtus: Ergò justitiam ita exercere debemus erga alios, ut exerceamus etiam erga nosmet ipsos. 3.

703147

Qvia justus tribuit alteri suum : Ergò sibimet etiam ipsi suum jus conservat. 4. Qvia, qvod tibi non vis, nec alteri id velis : Ergò id velis, & tibi, qvod alteri velis. Refutatio. Ergò errant, qvi justitiam dicunt semper ad alterum esse. 1. Obj. Thom. 2. 2. q. 57. art. 2. Justitia importat æqvalitatem : Ergò est semper ad alterum. Ratio consequentiæ, qvia nihil est æqvale sibi, sed alteri. Resp. Ut propriè alter est proximus, analogicè verò unus qvisqj sibi est proximus : sic propriè justitia semper est ad alterum ; sed analogicè etiam ad nosmetipsos. 2. Obj. Nullum præceptum datur in Decalogo, qvo homo disponatur erga semetipsum, omnia enim Decalogi præcepta indicant qvid faciamus aliis, non qvid faciamus nobis : Ergò justitia est semper ad alterum. Resp. Conseq. negatur, qvia præceptum disponens nos ad DEUM, & ad alios, seu indicans qvid faciamus DEO, & aliis, disponit etiam erga nosmetipsos, id est, indicat, qvid nobis faciamus ; sed cum hac differentia, qvod. 1. dispositio illa, qvâ qvis aptus redditur ad officia Deo, & proximo præstanda, perficit non Deum, & proximum ; sed ipsum, qvi illam dispositionem habet. 2. dispositus ad Deum, & proximum eadem officia præstare debet proximo, & sibi, non autem Deo, & sibi, qvia Deus est objectum religionis, non justitiæ. 3. Obj. Iustitia per bonum alterius definitur, ut vides in data definitione : Ergò justitia est semper ad alterum. Resp. Conseq. negatur, qvia hoc ideò fit, qvod difficultas reperitur in bono alterius, non in proprio nostro bono qvarendo. l. 5. cas. c. 2. q. 2. r. 3. Exhortatio. Ergò non tantum alios honoremus, conservemus, &c. sed etiam nosmetipsos.

VI. *Quî vocatur justitia ?*

Iustitia vocatur charitas erga proximũ. Additur erga proximum : qvia religio vocatur charitas erga Deum, ut supra c. 7. Patet. 1. sm ita sit. Matth. 22. 39. Diliges, id est, justitiã exercebas erga proximũ tuũ. Sic. Marc. 12. 31. 2. Cur ita sit. 1. Qvia officia justitiæ exercere debemus erga proximos, cum respectu, & affectu ad eorum bonum : Ergò justitia vocatur charitas erga proximum. Ratio consequentiæ, qvia charitas erga proximum respicit, & desiderat bonum ejus : Diligere enim proximum est precari pro ejus bono, & illud ipsum operari, ut vides, infra. th. 30. 2. Qvia observantia sinonymicè dicitur religio, vel justitia ; charitas erga Deum, vel charitas erga proximum, ut vides supra. c. 4. th. 1. 2. 3. 3. Qvia religio vocatur charitas erga Deum, supra. c. 4. Ergò etiam justitia vocatur charitas erga proximum. Dehortatio, & Exhortatio. Ergò officia justitiæ, n. honorem, humanitatem, &c. ne exerceas erga proximos ex odio, qvia sic justitia erit odium ; sed ex dilectione, qvia sic erit justitia charitas. Vos igitur superiores inferiores vestros ne afficiatis malo, vel bono ex odio, sed ex charitate erga ipsos.

VII. *Quot sunt partes charitatis erga proximum ?*

Qvatuor.

703147

Qvatuor: 1. amor unionis, (qvo cupimus cum proximo simul esse) complacentiæ (qvo omnia qvæ sunt in proximo (excepto malo) probamus) benevolentiæ (qvo proximo omnia bona optamus, & procutamus) misericordiæ (qvo proximi miseremur, seu miseriam ejus sublevamus, vel tollimus) Obj. In charitate erga Deum non est amor misericordiæ: Ergò nec in charitate erga proximum debet esse. Resp. Conseq. negatur: qvia in Deo non est miseria; sed est in proximo. Patet. 1. qvatuor esse partes charitatis erga proximum. Mat. 22. 39. Diliges proximum, id est, cupias simul esse cum tuo proximo, omnia probes, qvæ vides in proximo tuo, omnia bona optes, & procures proximo tuo, proximi tui miserere, seu miseriam ejus subleves, vel tollas. 2. Cur ita sit: qvia charitatis erga Deum partes sunt, amor unionis, complacentiæ, benevolentiæ: Ergò & charitatis erga proximum: qvia charitas nostra erga Deum, & erga proximum eadē est qvoad essentiam, qvæ in partibus illis consistit. Dehortatio. Ergò si ames proximum tuum. 1. ne fugias conversationem ejus. 2. ne damnes ejus corpus, animam, & dona, qvæ vides in ejus corpore, & anima. 3. ne optes, & procures ipsi malum. 4. ne augeas ejus miseriam.

VIII. *Quid producit justitiam erga proximum?*

Justitiam, 1. honorem, humanitatem, &c. erga proximum producit religio. Patet. 1. an ita sit, 1. Ioh. 4. 21. ubi dilectio Dei, qvæ est religio,

religio, efficere dicitur dilectionem fratris, qvæ est justitia erga proximum. 2. Cur ita sit. 1. Qvia, religio summum honorem tribuit Deo: Ergò religio efficit justitiam erga proximum. 2. Ratio consequentiæ, qvia summus amor DEI requirit, ut faciamus præcepta Dei, qvæ nobis justitiam erga proximum svadent: qvod patet, qvia Eli (1. Sam. 2. 30.) qvi justitiam erga filios suos sacrificiis abutentes neglexit, ideò dicitur Deum contemsisse, qvia honor Dei requirebat, ut faceret mandatum Dei, qvod justitiam, & pœnam erga filios suos svadebat. 2. Qvia, charitas erga Deum suâ naturâ producit charitatem erga proximum, (qvod patet tùm an ita sit ex illa phrasi, dilecti in Domino, ubi ideò dicimur Deum in hominibus, & homines in Deo amare, qvia charitas erga Deum efficit charitatem erga proximum.; tùm cur ita sit, qvia omnis proximus habet aliqvam Dei imaginem) Ergò justitiam erga proximum religio efficit. Ratio consequentiæ, qvia charitas erga Deum est pars religionis, ut vides supra c. 5. th. 1. cum 9. & charitas erga proximum est justitia erga eum, ut dictum ad th. 6. Justitiam erga proximum pendere à religione, patuit etiam ex c. 4. th. 7. Refutatio habetur. th. 9. 10. Informatio verò habetur. th. 11. 12.

IX. *Debemusne homini id quod religioni, id est, fidei, spei, charitati, auditioni verbi, orationi, juramento, sorti repugnat, V. g. debemusne hominibus peccatum imperantibus obedire, sanctos*

adora-

703147

adorare, per creaturas jurare, &c?

Minimè: qvod patet tùm an ita sit. Act. 4. 19. & 5. 29. tùm cur ita sit, qvia justitia, ut obedientia erga proximum oritur ex religione, (ut dictum ad th. 8.) At id qvod adversatur religioni, ut peccatum auditioni verbi, qvi est actus religionis, non fluit ex religione: Ergò hominibus non debemus id qvod religioni repugnat. Correctio. Culpantur ergò, qvi contra Deum in gratiam proximi peccant: qvi; in creaturis acqviescunt, eas invocant, per eas jurant, &c.

X. Estne ibi vera religio, ubi non est justitia, & charitas erga proximum?

Minimè. Patet tùm an ita sit. Iac. 1. 27. Sic. 1. Ioh. 4. 21. tùm cur ita sit: qvia justitia, seu charitas erga proximum fluit (ut dictum ad th. 8.) ex vera religione, & qvidem inseparabiliter; sicut calor fluit ex vero igne, fructus ex bona arbore. Additur, vera: qvia religio simulata nõ producit charitatẽ erga proximũ, ut religio hypocritarũ. Refutatio. Nõ est ergò inter illos homines vera religio, inter qvos non est justitia, id est, honor, humanitas, caritas, justa bona qværendi, & iis utendi ratio, veracitas, contentatio, ut inter Pontificios, Phariszos, hypocritas.

XI. Scriptura Sacra optimè probatne existentiam, & veritatem religionis per existen-

existentiam, & veritatem justitiæ erga proximum?

Sic. Patet. 1. an ita sit. 2. Chron. 15. 3. 5. ubi Propheta ex absentia justitiæ erga proximum, infert absentiam religionis erga Deum. Sic alibi passim. 2. Cur ita sit: qvia, justitia erga proximum (ut dictum ad. th. 8.) fluit ex religione: Ergò benè probatur religionis existentia, & veritas per justitiæ existentiam, & veritatem. Ratio consequentiæ, qvia arboris existentia, & bonitas rectè probatur per fructũ existentiam, & bonitatem. Obj. præcc: Si religionis existentia, & veritas probatur per justitiæ existentiã, & veritatem, tùm æqvè certò probatur affirmativè, ac negativè: At hoc falsum: Ergò & illud. Resp. Consequ. negatur, hoc est, religio minùs probatur per justitiã affirmativè, hoc scil. modo, In hac religione est justitia, ut honor, humanitas, castitas, &c. Ergò hæc religio est vera, qvia potest externa justitia adesse, ubi vera religio deest, ut in hypocritis. Dixi, externa, qvia justitia interna à vera religione separari neqvit: Sed magis negativè, hoc scil. modo, In hac religione non est justitia, ut honor, humanitas, &c. Ergò hæc religio non est vera, qvia ubi vera religio adest, ibi justitia non potest prorsus, id est, & internè, & externè abesse.

XII. Opera injusta magis arguunt-ne, impium, seu irreligiosum, quàm opera justa pium, seu religiosum?

703147

Sic. Nam certiùs argumentaris sic: Hic homo est superbus, homicida, adulter, fur, mèdax, concupitor alienorum: Ergò est impius, seu irreligiosus, partim qvod religio, seu pietas certiùs probetur per justitiam negativè, ut statim dictum, partim qvod opera carnis, seu injustitiæ sint manifesta. Gal. c. 19. sic autem incertiùs: Hic homo est justus, id est, honorans alios, humanus, castus, &c. Ergò est pius, seu religiosus, partim qvod religio, seu pietas incertiùs probetur per justitiam affirmativè, partim qvod fructus Spiritus, seu opera justitiæ non dicantur esse manifesta. Gal. 5. 22.

XIII. *Quis est ordo charitatis?*

Deus primò est diligendus, postea nosipsi, deinde proximi, qvia causa diligibilitatis, n. bonitas, primò est in Deo, postea in nobis, deinde in proximis, Deus enim diligitur, ut causa boni, nos ut participes illius boni, proximi nostri, ut socii nostri in illo bono. Deinde formalis qvasi ratio charitatis erga proximum est Deus, hoc est, diligimus proximum propter Deum: Ergò primò Deum, postea proximum, id est, primò nosipsos, postea alios diligere debemus. Qværes:

1. An Deus sit magis diligendus, qvàm proximus? Sic. Patet. 1. an ita sit. Matth. 10. 37. Sic. Act. 4. 19. & 5. 29. 2. cur ita sit. 1. Qvia officia religionis magis intentis viribus præstanda sunt, qvàm officia justitiæ Matth. 22. 37. supra c. 4. th. 13. 2. Qvia proximi odio habendi sunt propter Deum, si scil. à Deo abducunt, Luc. 24. 26. Ergò Deus magis est diligendus, qvàm proximus. 3. Qvia proximus diligendus est propter Deum: Ergò Deus est magis diligendus. 4. Qvia Deus diligendus est, qvia dat beatitudinem, proximus, qvia accipit beatitudinem: Ergò Deus magis diligendus est, qvàm proximus: beatificans enim magis diligendus est, qvàm beatificatus. Resutatio. Ergò errant, qvi proximum magis diligendum esse docent, qvàm Deum. Obj. Visibilis magis diligibilis est, qvàm invisibilis: 1. Joh. 4. At proximus est visibilis, Deus invisibilis: Ergò proximus est magis diligendus, qvàm Deus. Resp. Propositio negatur: Probatio non valet: qvia citato loco visibilitas dicitur non causa diligibilitatis, diligibilitatis enim causa est bonitas; Sed via, qvâ deducimur ad dilectionem proximi. Thom. 2. 2. q. 26. art. 2. Correctio. Peccant ergò qvi proximum magis diligunt, qvàm Deum. Tales sunt. 1. qvi peccata svadentibus favent. 2. qvi peccatores non puniunt. 3. qvi pro utilitate proximi mentiuntur. 4. qvi propter uxorem, liberos, à Deo deficiunt. 5. qvi potentes magis metuunt, qvàm Deum.

2. An homo magis Deum diligere debeat qvàm seipsum? Sic. Patet. 1. an ita sit. Matth. 10. 39. ubi perdere debet homo vitam suam propter Deum: Ergò Deum magis debet diligere, qvàm seipsum. Sic. Matth. 22. 37. 2. Cur ita sit. 1. qvia Deus diligitur, qvia est causa boni, homo verò seipsum diligit, qvia particeps est boni: At causa boni magis debet diligi, qvàm particeps boni: Ergò homo Deum magis debet diligere, qvàm seipsum.

703147

2. Homo diligit se propter Deum, (ut Augustinus inquit) Ergò homo magis debet diligere Deum, qvàm seipsum. 3. Qvia Deum magis debemus diligere, qvàm proximum, ut dictum: At homo proximus est sibi: Ergò magis debet Deum diligere, qvàm seipsum. Refutatio. Ergò errant, qvi putant hominem magis debere seipsum diligere, qvàm Deum. Thom. 2. 2. q. 26. art. 3. Correctio. Peccant qvi magis amant seipsos qvàm Deum. Tales sunt. 1. qvi pro sua utilitate mentiuntur, 2. qvi pro sua recreatione otiosa tractat, 3. qvi pro mundanis suis commodis cultum Dei negligit.

5. An homo magis debeat seipsum diligere, qvàm proximum? Sic qvoad animæ salutē, id est, homo magis debet velle, & qværere sibi vitam æternam, qvàm proximis. Additur qvoad animæ salutem: qvia qvoad multa alia, homo magis debet proximum diligere, qvàm seipsum, l. 5. cas. c. 7. q. 5. Patet. 1. an ita sit. Matth 22. 39. ubi, homo primò diligere debet seipsum, qvoad animæ salutem, ita enim diligere debet alium, ut seipsum: Ergò etiam magis debet se diligere qvoad animæ salutem. 2. Cur ita sit. 1. qvia (ut dictū) Deus diligitur, ut causa boni, nos ut participes boni divini, alii, ut socii nostri in isto bono: At qvod homo ipse participet bonum divinum, est potior ratio diligendi, qvàm qvod alius associetur sibi in hac participatione: Ergò homo qvoad animæ salutem magis debet seipsum diligere, qvàm proximum. 2. qvia homo per amorem unionis magis vult seipsum conjungi cum Deo qvàm

qvàm proximum: Ergò homo qvoad animæ salutem magis amat se, qvam proximum. Ratio consequentiæ, qvia vera beatitudo in unione cum Deo consistit, ut vides, in Sciagr. Dom: 1. 3. qvia animæ salute possunt alii privari sine nostra culpa; sed nosipsi non possumus: Ergò homo magis debet seipsum diligere qvoad animæ salutem, qvàm proximos, seu homo magis debet sibi velle, & qværere vitam æternam, qvàm aliis. Institutio. Ergò charitas erga seipsum legitima unicuíqve est licita, & exercenda. Patet. 1. an ita sit. Lev. 19. 18. Sic. Matth. 22. 39. & 7. 12. 15. Act. 20. 28. 1. Tim. 4. 16. Phil. 2. 12. 1. Cor. 11. 28. 29. & v. 31. 2. Cor. 13. 5. 2. Cur ita ita sit. 1. qvia est præcepta. Iac. 4. 9. 2. qvia in David, & comitibus ejus, & in Apostolis à Christo approbata fuit: qvia cum esurientes die Sabbathi spicas vellerent, & ederent, & à Phatisæis eo nomine reprehenderentur, defendit eos Christus adversus Pharisæos, & dixit: Matth. 12. 34. & v. 7. 3. qvia & in Christo ipso fuit: nam evitavit insidias, & pericula cum nondum venisset hora ipsius. 4. qvia magno constamus: qvia pro nobis redimendis Christus est mortuus. 5. qvia sumus templa Spiritus Sancti. Correctio. Ergò 1. damnandum est odium suipsius perversum, qvum qvis obstinatè Deo rebeliat, & ultro in exitium ruit. Additur, perversum: qvia non est damnandum odium suipsius salutare, de qvo. Ioh. 12. 25. Apoc. 12. 11. 2. damnandus est inordinatus amor suiipsius, qvum qvis se, & sua magis amat, qvàm Deum, & Christum Dominum.

703147

Ioh. 12. 25. Refutatio. Ergò errant, qvi docent hominem absolutè magis debere alium amare, qvam seipsum. Thom. 2. 2. q. 26. art. 4. Reliqvi usus habentur. th. 14. 15.

XIV. Informatio. Hinc, id est, si homo qvoad animæ salutem se magis amare debet, qvàm alios, tùm dilectio nostra, qvasi regulæ, & mensuræ vim habet ad dilectionem aliorum. Matth. 22. 39. Diliges proximum tuum, sicut teipsum. Ratio consequentiæ, qvia, ut regula, & mensura prior, & potior est regulato, & mensurato; sic dilectio nostra prior, & potior est dilectione aliorum. Thom. 2. 2. q. 26. art. 4. Qværes: Qvo sensu proximus est diligendus sicut nosmetipsi? Sicut non est nota paritatis; sed similitudinis, qvæ in his tribus consistit. Diligis ergò proximum tuum sicut teipsum. 1. Si, ut tibi ipsi nihil mali optas, vel facis; sic proximo tuo nihil mali optas, vel facis. 2. Si, ut tibi ipsi omnia bona optas, & procuras; sic etiam proximo tuo omnia bona optas, & procuras. 3. Si, ut tibi ipsi ræc sincerè velis; sic & proximo tuo. Amesi. l. 5. c. 7. q. 2. Vend. l. 2. c. 4. th. 15. expli. 4.

XV. Correctio. Hinc, id est, si homo magis debet se amare qvoad æternam vitam, qvàm alios, tùm in alterius gratiam nullum peccatum committere debet. V. g. non debet pro commodo alicujus mentiri, fures recipere, & cum illis partiri, blasphemiam auditam celare, &c. Ratio consequentiæ, qvia, qvi sciens, volens peccat, se qvoad beatitudinem æternam non amat, qvia peccatum privat eum beatitudine æterna. Prov. 8. 36. & 29. 24. qvíqve in gra-

in gratiam alterius peccat, magis amat alium qvoad commodum aliqvod mundanum, qvàm se qvoad beatitudinem æternam, peccato enim tali alteri boni aliqvid acqvirit, se verò summo bono ptivat, ut dictum.

XVI. *An homo debeat omnem alium hominem diligere?*

Homo debet diligere omnem alium hominem, qvi, seu qva particeps est, vel esse potest beatitudinis æternæ, Patet. 1. an ita sit Matth. 22. 39. Diliges proximum, id est, omnem hominem, qvi scil. particeps est, vel esse potest vitæ æternæ, ut dictũ ad. th. 3, Sic, 1. Ioh. 4. 21. 2. Cur ita sit. 1. qvia inimicus, capáxqve beatitudinis æternæ est diligendus: qvod patet tùm an ita sit. Matth. 5. 44. Rom. 12. 17. 1. Thess. 5. 15. 1. Petr. 3. 9. tùm cur ita sit, qvia qvi Deum multum diligit, etiam inimicos sibi diligit propter Deum, sicut si aliqvis multum diligeret aliqvem hominem, amore ipsius, filios ejus amaret etiam inimicos sibi: Ergò homo diligere debet omnem alium hominem salutis æternæ capacem. 2. qvia capacitas beatitudinis æternæ est causa diligibilitatis hominis, qvia (ut dictum) Deum diligimus qvia est causa boni, nosmetipsos, qvia participes sumus boni divini, alios, qvia socii sunt nobis in bono divino: At omnis homo vivens capax beatitudinis æternæ debet haberi, sine differentia generis affectus, aut morũ, nisi contratiũ extra ordinẽ certò nobis constare posset. Ergò omnis homo beatitudinis capax est diligendus. Porrò omnem hominem absolutè diligendum

703147

esse patet. 1. qvia omnis vivens habet imaginem Dei. 2. qvia Deus aliqvo modo omnem hominem viventem diligit. Matth 5. 45. 3. qvia omnis homo vivens in naturalibus similis est nobis. 4. qvia omnis homo eundem Patrem tùm terrestrem, tùm cœlestem habet nobiscum. Refutatio. Diaboli, damnati, & peccantes in Spiritum Sanctum non sunt participes vitæ æternæ: Ergò non sunt diligendi qvoad spiritualia, etsi diligi qvoad naturalia possint, ut dicit. Thom. 2. 2. q. 25. art. 8. Institutio. Ordinariè omnes homines viventes participes vitæ æternæ posse fieri, & mortuos omnes jam participes una cum Angelis vitæ æternæ esse debemus judicare: Ergò. 1. Omnes homines viventes sunt diligendi. Patet. 2. an ita sit. Lev. 19. 18 2. curita sit: Qvia charitas erga alios homines. 1. est mandata à Deo. Ioh. 13. 34. Sic. Colos. 3. 14. 1. Ioh. 2. 7. 8. & 3. 11. & 4. 7. 2. præservat à damno, qvod ex odio in proximum concepto emanat. 1. Ioh. 2. 11. 3. debetur à nobis Deo ad declarandam gratitudinem nostram in ipsum. 1. Ioh. 2. 12. 4. est signum justificationis adeptæ coram DEO. 1 Ioh. 3. 14. 5. Christus nos dilexit. Ioh. 15. 12. 6. Deus Pater nos diligit. 1. Ioh. 4. 8—16. 7. ex eà scimus nos vere esse filios Dei. 1. Ioh. 3. 19. 8. hoc præstat, ut Deum cum libertate loqvèdi invocare possimus. 1. Ioh. 3. 21. 9. est ex Deo. 1. Ioh. 4. 7. 10. est signum nostræ regenerationis. Ibid. 11. testatur Deũ in nobis habitare. 1. Ioh. 4. 12. nos in Deo habitare, & Spiritum Sanctum nobis datum esse, v. 13. 12. est sig-

est signum veræ fidei in Christum. Gal. 5. 6. 13. est nota verorum Christi discipulorum, Ioh. 13. 35. 14. est signum nostræ charitatis erga Deum. 1. Ioh. 4. 21. 15. testatur Deum nos diligere. 1. Ioh. 4. 12. 16. sancti nos diligunt. 2. Ioh. v. 1. Correctio. Ergò. 1. damnanda est charitas erga alios. 1. simulata, qvæ in verbis tantum, non in re ipsa posita est. Ita simulavit Saul charitatem in Davidem promissa ei filia. 1. Sam. 18. 2. momentanea, qvæ vel levi occasione abrumpitur: qvalis erat Saulis in Davidem. 1. Sam. 16. 22. 2. damnandus est inordinatus amor erga homines, cum qvis homines plus diligit, qvam par est. Veluti si qvis amore alicujus hominis faciat, qvod Deo displicere novit. Matth. 5. 29, 30. 3. damnãdum est odium iniqvum in proximum, cum qvis aliis vel ex perversione injuriæ illatæ, vel ex mera animi elatione, mala cupit & operatur. Additur, iniqvum: qvia non est damnandum odium justum in proximum, qvo. 1. ex constanti amore Dei & probitatis peccatores incorrigibiles amoveri à nobis cupimus. Tali odio prosequendi sunt osores Dei exemplo Davidis. Psal. 139. 21. 22. & qvi dediti sunt fallacibus vanitatibus, id est, idolis, divitiis, fiduciæ in hominibus. Psal. 31. 17. Exemplo item Christi. Prov. 8. 13. 2. qvo vitia & scelera odimus: qvia præcipitur, Psal. 97. 10. Amos. 5. 15. Odium iniqvum est seduló fugiendum. 1. qvia à Deo prohibetur. Lev. 19. 17. 2. qvia facit homines Cajino fratricidæ similes. 1. Ioh. 3. 12. 3. qvia in morte æterna hominem detinet. 1. Ioh. 3. 14. 4. qvia homicidio par censetur

703147

scitur coram Deo. 1. Ioh. 3. 5. qvia arguit vacuitatem veræ notitiæ DEI. 1. Ioh. 4. 8. 6. qvia cum charitate nequit simul esse. 1. Ioh. 4. 20. 7. qvia excitat dissordiam, qvæ est animorum, sententiarum, verborum, & actionum in re, in qva homines consentire debebant, dissensio. Excitat contentiones, Prov. 10. 12. id est, convitia, & exprobrationes peccatorum. 8. qvia est vitium vere diabolicum. Diabolus enim ut odit Deum, ita etiam odit humanum genus, & in eo maximè electos ad vitam æternam. 9. qvia perniciosum est humano generi. Gal. 5. 14. 10. qvia est vitium infidelium proprium. Rom. 1. 31.

2. Inimici sunt diligendi. Patet. 1. auctoritate sit. Matth. 5. 44. Sic. Rom. 12. 14. Et. 20. Exod. 23. 4. 5. 2. cur ita sit. 1. qvia hoc inimicum ita afficit, ut reddat amicum. Prov. 25. 21. 22. Rom. 12. 20. 2. qvia diligit inimicos. 1. Deus Pater. Matth. 5. 48. Rom. 5. 10. 2. Christus. Rom. 5. 6. Idem inimicis Evangelium prædicavit, eos sanavit, Malcho auriculam sanavit, pro interfectoribus oravit 3. Iosephus dilexit fratres à qvibus odio habitus fuit. 4. Moses dilexit Israelitas, à qvibus sæpè injuriosè tractabatur. 5. Paulus dilexit Israelitas, à qvibus multa passus erat. Rom. c. 9. & c. 11. 6. Stephanus protomartyr oravit pro suis lapidatoribus. 3. qvia est signū filiorū Dei. Matth. 5. 44. 45. 4. qvia per id sunt meliores filii DEI filiis hujus mundi, Matth. 5. 46. 47. 5. qvia hoc reddit nos similes Deo. Matth. 5. 84.

3. Mortui omnes sunt diligendi, bonum cordis

cordis affectum in illos retinendo, & in rebus in qvibus decet declarando, propter viventes, qvi ipsi conjuncti fuerunt. Patet. 1. an ita sit. Matth. 22. 39. 2. cur ita sit. 1. qvia à Deo est mandatum. Hebr. 12. 1. 2. qvia hoc commendant exempla Abrahami, Isaci, Iosephi, Davidis. 1. Sam. 1. Correctio adversus eos, qvi peccant contra partes charitatis erga mortuos. Charitatis erga mortuos partes sunt luctus, cura pro mortuis, charitas erga posteros mortuorum, & honor mortuorum. 1. Luctus pro mortuis est charitas, per qvam discessum eorum è vivis, qvi nobis chari in hac vita fuerunt, lugemus, ad testandum amorem nostrū erga illos etiam defunctos. Luctus moderatus pro mortuis non est illicitus per se: 1. qvia mandatur. Rom. 12. 25. 2. qvia Abrahamus luxit obitum uxoris suæ. Gen. 27. 2. Isachus deploravit obitum matris suæ. Gen. 27. 67. Iosephus deflevit obitum Patris Iacobi. Gen. 50. 1. Israelitæ planxerunt Samuelem mortuum. 1. Sam. 28. 3. David & ejus comitatus luxit Saulis & Ionathanis mortem. 2. Sam. 1. 12. 17. & seqq. David & totus populus Abnerum. 1. Sam. 3. 31. & seqq. Totus populus & Ieremias luxerunt propter Iosiam Regē defunctum. 2. Chron. 35. 24. 25. Correctio adversus eos. 1. qvi nec lugent nec deflent suos defunctos, ut trunci vel bestiæ. 2. qvi immoderate eos lugent vel deflent, contra. 1. Thess. 4. 14. Lev. 21. 4. 5. Deut. 14. 1.

2. Cura pro mortuis est charitas erga illos, per qvam illis præstamus qvæ veræ fidei non repugnant. Ejus partes sunt honesta sepultura, &

703147

ra, & votum pro beata corporum resurrectione. Sepultura honesta est cum corpora mortua prout decet, terræ mandamus. Observa ergo. Sepultura inter Christianos est honesta, & esse debet. Patet. 1. an ita sit ex exemplo. 1. Abrahami, qvi sepellivit Saram. Gen. 23. Iosephi. A. & Nicodemi Christū. 2. cur ita sit. 1. qvia mortui cum viverent templa Spiritus Sancti fuerunt: Ergò eorum corpora non debent ludibrio exponi, sed honestè sepelliri. 2. Ut corpora defunctorum qviescāt in sepulchris, ut in tabernaculis. Correctio. Peccant, qvi corpora mortuorum vel non sepelliunt, vel ut decet non sepelliant. Tales sunt, qvi sepelliunt suos mortuos ibi, ubi infideles sepelliuntur, vel scelerati, contra exempla Abrahami, Isaci, Iacobi, &c. Obj. Christus damnat sepulturam. Matth. 8. 22. Ergò sepultura non est honesta. Resp. Conseq. negatur: qvia Christus docet ibi magis obediendum esse Deo, qvam hominibus. Votū pro beata corporum resurrectione est charitas erga mortuos, qvā petimus à Deo, ut in fine seculi corpora ad vitam æternam resurgant. Votum illud non pugnat cum fide. Patet. 1. an ita sit ex illo: Adveniat tuum regnum, id est, suscites corpora nostra, & glorifices. 2. cur ita sit. 1. qvia promissa est nobis resurrectio carnis. 2. qvia probatis exemplis nititur. Apoc. 22. 17. Et. v. 20. Refutatio. Ergò errant, qvi charitatem erga defunctos collocāt in precatione pro illis, ut Deus peccata iis remittat, & à purgatorio liberet.

3. Charitas erga posteros mortuorum est, qva

qva posteris eorum bona omnia volumus & operamur. Sic David charitatem declaravit erga filium Ionathanis. Sic fideles cibos mittebant posteris defuncti. Ier. 16. 7. Ezech. 24. 17.

4. Honor mortuorum, est charitas, qva illos honoramus. Cujus charitatis partes sunt. 1. Gratiarum actio pro mortuis, cum Deo gratias agimus pro bonis illis, & per eos nobis collatis. Hæc gratiarū actio est pietati cōsentanea. 1. qvia gratitudo, hoc reqvirit. 2. qvia Ecclesia Christiana gratias agit pro beneficiis fidelibus olim collatis. 2. Memoria cum laude conjuncta, & imitatione mortuorum debita, cum mortuorum virtutes celebramus, eos imitamur, eos à calumniis defendimus. Sic celebravit David virtutes Ionathanis. 2. Sam. 1. Sic laudat Paulus fidem multorum. Hebr. 11. Iacobus patientiam Iobi. Iob. 5. 11.

3. Exsecutio justa voluntatis defunctorum, cum fideliter præstamus ea, qvæ mortui à nobis juste reqvisiverunt. Exemplo Iosephi. Gen. 47. 29. 30. & 50. 4. Rachabitarum. Ier. 35. 6. Huc pertinet, cū testamēta mortuorū religiose servātur. Gal. 3. 15. Sic David exsecutus est fideliter, qvod Ionathani promiserat. 4. Foederium conjunctionis cum sanctis mortuis apud Christum Dominum, cum animo expetimus & verbis declaramus nos desiderare simul esse in cœlo cum illis, ut & nos Christi gloriam videamus, & una cum illis Christum in cœlo celebremus. Correctio. Ergò peccant Pontificii, qvia mortuos honore debito privant. 2. qvia illis honorem Dei, h. adorationem tribu-

703147

unt. 2. qvia eos beatos esse negant, qvia pro iis orant, Ave Maria, id est, salutem precor tibi Maria. 3. qvia non permittunt populo eorum res gestas legere in Bibliis. 4. qvia dicunt Prophetas & Apostolos obscuram Scripturam Sacram tradidisse. 5. qvia sanctorum ossa exhumant. 6. qvia pro veris mortuorum sanctorum reliqviis falsas reliqvias videndas & osculandas præbent offerentibus pecuniam. 7. qvia tribuunt uni, qvod est omnium. 8. qvia talia tribuunt illis, qvæ eis non possint sine ludibrio tribui. Dicunt enim alios porcis, alios aliis rebus præesse.

4. Christiani Christianos diligere debent, se mutuo pro fratribus agnoscendo, docendo, monendo, juvando consilio, & re, pro se mutuo moriendo. Patet. 1. an ita sit ex exemplo Iohannis. 2. Ioh. 1. 2. & Pauli. 1. Thess. 2. 8. 2. cur ita sit. 1. qvia veritas in æternum manet in illis. Ibid. 2. qvia mandatur à Deo. Rom. 12. 10. Phil. 2. 2—5. 2. Petr. 1. 7. 1. Ioh. 3. 16. Debemus pro fratribus animas deponere. 1. Thess. 4. 9. Hebr. 3. 13. 1. Petr. 2. 17. Fraternitatem diligite, &c. 2. 8. 3. qvia pro illis Christus mortuus est. Correctio. Ergò peccant, qvi consortes Christi odio habent.

5. Angeli sunt diligendi civiliter eos honorando, reverendo. Patet. 1. an ita sit. Matth. 22. 39. Dilige proximum, id est, homines & Angelos beatitudinis capaces, ut dictum ad. th. 3. 2. cur ita sit. 1. qvia sunt proximi nostri. 2. qvia illi diligunt nos. Luc. 15. 10. 3. qvia eorum imitatores esse debemus: Fiat voluntas tua sicut in cœlis. 4. qvia illis in altera vita similes erimus. Luc. 20. 36. Refutatio. Ergò errant Pontificii, qvi Angelos diligunt religiosè invocando: sunt enim concives nostri, habent enim commune nobiscum politeuma in cœlis.

XVII. *An unus homo magis diligendus sit, qvam alius?*

Non æqvaliter proximi sunt à nobis diligendi: sed magis, vel minùs, secundum qvod illos contingit Deo, & nobis propinqviores esse. Observa ergo. Illos qvi Deo, & nobis in Deo magis conjuncti sunt, magis diligere debemus, qvàm alios. Patet. 1. an ita sit. Gal. 6. 10. ubi jubet Apostolus, ut bona nostra magis communicemus cum domesticis fidei, id est, fidelibus, seu Christianis, qvi in eadem nobiscum domo, seu familia, n. domo Dei (qvæ est Ecclesia) versantur, qvàm cum extraneis, seu infidelibus. Sic Abrahamus magis amavit Isachũ, qvã Ismaelẽ, Iacob Iosephũ, qvã alios filios, David Salomonẽ, qvã alios filios, fratres suos, qvã alios in Ierusalẽ Psal. 122. 8. Christus discipulos, qvàm fratres suos, item Christus discipulos, qvàm alios fideles, fideles, qvàm infideles. 2. cur ita sit. 1. qvia omnes homines diligendi sunt propter Deum: Ergò magis diligendi sunt illi, qvi Deo magis conjuncti sunt, & nobis in Deo. 2. qvia diligendi sunt homines, qvatenus imaginem Dei habẽt: At magis conjuncti DEO plus imaginis, seu sanctitatis Dei habent: Ergò illi magis sunt diligendi. 3. qvia, omnis homo diligendus

703147

est, qvatenùs capax est nobiscum beatitudinis æternæ: At magis conjuncti Deo magis capaces sunt beatitudinis æternæ: Ergò illi magis sunt diligendi, qvàm alii.

XVIII. Informatio. Ergò fideles, ut Christiani magis sunt diligendi, qvàm infideles, ut Ethnici, Iudæi, qvia fideles magis sunt conjuncti Deo, & nobis in Deo, qvàm infideles. Refutatio. Ergò errant, qvi omnes proximos æqvaliter diligendos esse putant. Obj. Dicit Augustinus omnes homines æqvaliter diligendos esse: Ergò unus proximus non est magis diligendus, qvàm alius. Resp. Consequ. negatur: qvia etsi ratione objecti omnes homines æqvaliter diligendi sunt, omnibus enim beatitudinem æternam optare debemus; sed ratione diligentis non sunt omnes homines æqvaliter diligendi, qvia his magis optamus salutem animæ, qvàm his propter hanc vel illam conjunctionem. Thom. 2. 2. q. 25. art. 6.

XIX. Obj. Præcè: Paulus magis dilexit Israelitas infideles, qvàm gentes fideles. Rom. 9. 3. Ergò fideles non sunt magis diligendi, qvàm infideles. Resp. Consq. negatur, qvia in tempore præsenti, & immediatè magis diligendi sunt fideles, qvam infideles; sed in tempore futuro, & mediante fide, & resipiscentia, si scil. credant, & resipiscant, æqvè possunt diligi infideles, qvam fideles, vel magis. Iam Paulus modo posteriori diligebat magis Israelitas infideles, qvia ex iis ortus erat, qvam gentes fideles. Sic hodiè conversum Turcam magis amamus, qvam Scytham nondum credentem; sed si convertatur Scytha, magis eum amabimus, qvam Turcam conversum, qvia ex Scythis orti sumus. l. 5. cas. c. 7. q. 1. c. 1.

XX. *Homines Deo vel nobis æqualiter conjuncti suntne æqualiter diligendi?*

Sic. Patet. 1. an ita sit. Ioh. 13. 34. & 15. 12. 1. Thess. 4. 9. 1. Ioh. 3. 11. 24. ubi discipuli Christi omnes æqvaliter per fidē Christo cōjuncti æqvaliter se diligere jubētur. Sic. Matth. 22. 39. 1. Ioh. 4. 21. ubi omnes homines, qvâ homines æqvaliter per naturam nobis conjunctos æqvaliter diligere jubemur. 2. cur ita sit patet: qvia causa dilectionis hominum est cōjunctio eorum ad Deum, vel ad nos: qvæ cōjunctio si æqvalis fuerit, etiam dilectio hominū æqvalis erit. Matth. 22. 39. si verò inæqvalis erit conjunctio, etiam erit dilectio hominū inæqvalis. Gal. 6. 10. Informatio. Ergò. 1. omnes verè Christiani æqvaliter sunt diligendi à nobis: qvia omnes verè Christiani æqvaliter conjuncti sunt per fidem Deo in Christo. 2. Ecclesiæ particularis membra omnia vera æqvaliter sunt diligenda: qvia æqvaliter conjuncta sunt per fidem Deo. 3. omnes homines in mundo æqvaliter sunt diligendi à te: qvia omnes homines, qva homines æqvaliter conjuncti sunt tibi per naturam: qvia communionē habent tecum in eadem natura; qvia facti sunt ab uno Deo, & ex uno sanguine. Ioh. 13. 14. 15. Act. 17. 26.

703147

XXI. *Homines Deo, & nobis inæqualiter conjuncti inæqualiter diligendi sunt ne?*

Homines, qvi vel Deo per fidem, vel nobis per naturam, vel aliam relationem magis conjuncti sunt, magis diligendi sunt, qvam alii, hoc est, omnes homines æqvè diligendi sunt; sed cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qvi tibi aliqva relatione constrictius junguntur, sicut miles omnes suos commilitones curare debet; sed magis illos, qvi sunt unius ejusdem vexilli, ut vides in Thom. 2. 2. q. 26. art. 6. Patet. 1. an ita sit. Rom. 9. 3. qvi Israelitas magis diligebat, qvam alias gentes, qvia Israelitarum salutem magis ardenter optabat, qvam aliarum gentium: qvia Israelitæ magis conjuncti erant illi per naturam: qvia (ut dicit) fratres ejus fuerunt, & cognati qvoad carnem. Sic. Gal. 6. 10. ubi conjuncti Deo per fidem magis sunt diligendi, qvàm non conjuncti Deo per fidem: Ergò qvi magis conjuncti sunt Deo per fidem, magis etiam sunt diligendi. 2. Cur ita sit, qvia si æqvalis conjunctio hominum facit æqvalem eorum dilectionem: Ergò inæqualis hominum conjunctio facit inæqualem eorum dilectionem. Informatio. Ergò 1. magis diligendi sunt, qvi religionis & confessionis ejusdem vinculo nobis sunt juncti, qvàm qvi religione à nobis dissident. Gal. 6. 10. ubi per domesticos fidei intellige Christianos orthodoxos, per extraneos præcipuè infideles; sed secundariò etiam Christianos heterodoxos, qvales

qvales sunt pontificii, Lutherani, Sociniani, Anabaptistæ, &c. Magis danda igitur eleemosyna egenti Calviniano, qvàm Pontificio, Lutherano, &c. & inter Calvinianos ejusdē nobiscum Ecclesiæ membro, qvàm alius Ecclesiæ membro: & inter ejusdem nobiscum Ecclesiæ membro Ecclesiastico, qvàm seculari. Vēd. l. 2. c. 4. th. 15. 2. Consanguinei magis sunt diligendi, qvàm extranei, &c. ut vides in Authore. th. 21-29.

XXII. Obj. præcc: Si magis conjuncti magis diligendi sunt, tùm magis diligendi sunt in qvibusvis nobis: At hoc falsum: Ergò & illud. Resp. Conseq. negatur, qvia spiritualiter cōjuncti in bonis spiritualibus sunt magis diligendi, qvia spiritualiter sunt magis conjuncti: corporaliter verò conjuncti in corporalibus bonis sunt magis diligendi; qvia corporaliter sunt magis conjuncti. Sic, fidelibus media salutis, & ipsam salutem cupimus magis, qvia spiritualiter sunt nobis magis conjuncti: cognatis verò corporalia bona cupimus magis, qvia corporaliter sunt nobis magis conjuncti. Obj. Præcc: Si spiritualiter conjunctis spiritualia bona desideramus, naturaliter verò conjunctis corporalia bona, tùm non debemus spiritualiter conjunctis bona corporalia cupere, & naturaliter conjunctis spiritualia bona: At hoc falsum: Ergò & illud. Resp. Conseq. negatur, qvia cupimus spiritualiter conjunctis spiritualia bona, corporaliter verò conjunctis corporalia, non qvod spiritualiter conjunctis etiam corporalia bona, & corporaliter conjunctis etiam spiritualia bona

703147

nō debeamus desiderare; sed qvod conjunctio spiritualis, & corporalis, est qvasi voluntas Dei, indicans spiritualiter conjunctis spiritualia bona magis, corporaliter verò conjunctis corporalia bona magis, desideranda esse.

XXIII. *Qui sunt ergo magis diligendi?*

1. Consangvinei cæteris paribus, id est, secundum qvid, qvoad bona scil corporalia, magis diligendi sunt, qvàm extranei, & consangvinei propinqviores magis diligendi sunt, qvā remotiores, hoc est, homo consangvineis plus boni corporalis debet desiderare, qvàm extraneis, & consangvineis propinqviotibus iterum plus, qvàm remotioribus. Patet. 1. an ita sit, Gal. 6. 10. Sic ex 5. præcepto honora parentes, id est, plus dilige cognatos, qvàm extraneos. Sic. Matth. 22. 39. Dilige proximum: At cognati magis sunt proximi, qvàm extranei. Sic Abrahamus pius dilexit Lothum, qvàm alios homines. Gen. 14. Iosephus Beniaminem, qvàm alios fratres. Gen. 43. 34. Absolon Thamaram, qvàm Ammonem, David fratres suos, qvàm alios, Psal. 122. 8. Filii Iacobi Dinam, qvam Sichemitas. 2. Cur ita sit? qvia consangvinei conjunctiores sunt homini qvoad vitæ corporalis bona, qvàm extranei. Refutatio. Errant ergò, qvi sangvine conjunctos non magis diligendos putant, qvam extraneos. Thom. 2. 2. q. 26. art. 8. Correctio. Peccant ergò, qvi bona sua corporalia legant, & dant extraneis magis, qvàm cognatis suis, vel ex malitia, vel ex incuria.

2. Amici-

2. Amicus insignis magis diligendus est, qvam consangvineus vulgaris, secundum qvid, scil. qvoad officium saltem vitæ commune, n. cohabitationem convictum, conversationem, communicationem, consilii, recreationem, qvæstionem, peregrinationem, exercitia. Additur. 1. Saltem: qvia consangvineus vulgaris qvoad bona corporalia potest æqvè, vel magis diligi, qvam amicus insignis: Consangvineus enim vulgaris si egeat, sustentandus est, & etiam bona nostra illi legenda sunt, si propinqviorem consangvineum non habeas. 2. insignis, qvia vulgari amico magis diligendus est consangvineus vulgaris, qvia conjunctior est. Hoc est: homo cum insigni suo amico magis debēt habitare, & conversari, qvam cum vulgari consangvineo: magis illi consilia communicare debet, qvam huic: magis cum illo qvæstum exercere debet, qvam cum hoc, &c. Patet. 1. an ita sit ex exemplo Davidis, qvi malebat cōversari cum Ionathane, qvam cum fratribus suis, & Christi, qvi etiam magis conversabatur cum discipulis, insignibus suis amicis, qvam cum vulgaribus fratribus suis. 2. Cur ita sit: qvia excellens amicus conjunctior est homini, qvoad officiū vitæ cōmune, qvā cōsangvineus vulgaris. Prov. 18. 24. Est enim amicus conjunctior fratre. Exhortatio. Ergò qvoad officium vitæ commune magis diligamus insignē amicum, qvam consangvineum vulgarem.

3. Parentes magis diligendi sunt, qvàm ullus amicus, secundum qvid, scil. qvoad sustentationem: Additur, qvoad sustentationem, qvia insignis amicus qvoad officium vita commune,

703147

mune magis potest amari, qvàm Parentes. Hoc est: Parentes magis debemus alere, sustentare, qvàm ullos amicos. Patet. 1. an ita sit. Exod. 20. Honora Parentes, hoc est, magis ale eos, qvam ullos amicos. Sic. 1. Tim. 5. 4. ubi liberi priùs Parentes debent alere, postea alios, si sufficiant. 2. Cur ita sit: qvia Parentes conjunctiores sunt nobis, qvoad communicationem corporalium bonorum, qvàm ullus amicus. Correctio. Pejores sunt siconiis, qvi Parentes suos minùs alunt, qvàm amicum saltem vulgarem, vel aliqvem proximum: ex enim Parentes suos ætate confectos & alere, & humeris gestare dicuntur.

4. Parentes magis diligendi sunt, qvàm liberi, secundum qvid, qvoad bona scil. qvæ effectum debet causæ, qvalia sunt honor, gratitudo; sed filii magis diligendi sunt, qvàm Parentes, secundum qvid, qvoad bona scil. qvæ causa debet effecto, qvalia sunt sustentatio, promotio, provisio, hoc est, homo Parentes suos magis debet honorare, & erga eos gratus esse, qvàm erga filios suos; sed filios suos magis debet sustentare, promovere, curare, qvàm Parentes. Patet an ita sit, tùm qvoad primum membrũ. Exod. 20. Honora Parentes, & erga eos gratus sis; tùm qvoad secundum membrum, 1. Tim. 5. 8. ubi vidua priùs liberos suos sustentare jubetur, postea Parentes. 2. Cur ita sit, qvia Parentes qvoad illa bona conjunctiores sunt homini, qvam filii; sed filii qvoad hæc bona cõjunctiores sunt homini, qvam Parentes. Refutatio. Ergò errant qvi dicunt, homini suos filios absolutè magis diligendos

gendos esse, qvàm suos Parentes. Thom. 2. 2. q. 26. art. 9. Correctio. Ergò peccant qvi filiis suis illa bona tribuunt, qvæ Parentes concernunt, qvales sunt, qvi filios suos dominos suos appellant contra illud. Matth. 22. 45.

5. Conjuges magis sunt diligendi, qvàm Parentes, vel liberi, secundum qvid, scil. qvoad bona, qvæ ad vitæ societatem pertinent, qvalia sunt, cohabitare, consilia communicare, curare, custodire, bona acqvirere, &c. Additur, qvoad bona, qvæ ad mutuam vitæ societatem pertinent: qvia vir Parentes qvoad honorem, & gratitudinem magis debet amare, qvàm uxorem, ut dictum, & dicit. Thom. 2. 2. q. 26. art. 11. Hoc est: maritus magis debet cum uxore sua habitare, qvàm cum Parentibus, & liberis: uxori consilia communicare, qvam parentibus, & liberis: uxorem curare, custodire, qvàm parentes, & liberos: uxori thesaurizare, qvam parentibus, & liberis. Patet. 1. an ita sit. 1. ex. Matth. 19. 5. Virrelinqvit parentes suos, & adhærebit uxori suæ. 2. ex exemplo. 1. Satæ, qvæ malnit cum marito suo peregrinari, qvam cum parentibus in Chaldæa manere. 2. Rebeccæ, Rachelis, Leæ, qvæ etiam magis dilexerunt maritos suos, qvã Parentes suos. 3. Ruthæ, qvæ maritum suum magis dilexit, qvam parentes, qvia adhæsit soceri suæ, & suam terram deseruit. 4. Channæ, qvæ maritũ suũ magis debebat amare, qvam decem filios. 1. Sam. 1. 8. 2. Cur ita sit: 1. qvia vir uxori, & uxor viro magis conjungitur qvoad officia, qvæ ad mutuam vitæ societatem pertinent, qvam parentib', vel liberis, vir enim

& uxor

703147

& uxor sunt una caro. Gen. 2. 24. sed vir, parentes, & liberi ejus non sunt una caro; 2. qvia homo debet diligere uxorem sicut seipsũ. Eph. 5. 28. At homo magis diligere debet se, qvam parentes, & liberos: Ergò uxorem magis diligere debet, qvam parentes, vel liberos, Correctio. Ergò peccant. 1. qvi uxorem repudiãt propter parentes. 2. qvi uxorem repudiãt propter liberos, ex alia uxore susceptos. 3. qvi magis curãt parentes, vel liberos, qvam uxorem. 4. qvi malunt mori conjugem, qvàm parentes, vel liberos.

6. Illos qvi, &c. hoc est, homo benefactoribus suis, seu illis, qvi bona sibi communicarunt, plus boni desiderare debet, qvam illis, qvi nihil boni sibi communicarunt, & inter illos, illis qvi spiritualia bona sibi cõmunicarunt plus boni debet desiderare, qvam illis qvi sibi bona corporalia tantum communicarunt, Patet. 1. an ita sit. Gal. 6. 6. ubi jubentur homines, ut Doctoribus, & Pastoribus pro institutione, tanqvam pro bono spirituali accepto velint, & dent omnia bona. Sic Honora parentes, id est, benefactores, affectu, plus boni illis affectando, opere, plus boni illis conferendo, verbo, honorificẽtiùs eos cõpellando. 1. Tim. 5. 4. 2. Cur ita sit. 1. qvia homini benefactores cõjunctiores sunt, qvã alii. 2. qvia, nulla major est provocatio ad amandum, qvam prævenire amando. Nimis enim durus est animus, qvi dilectionem etsi non vult impendere, nolit rependere: At benefactores præveniunt nos in beneficio charitatis: Ergò benefactores magis debet homo diligere, qvam alios. 3. qvia,

qvia, magis peccat qvi contra benefactorem agit, qvam qvi contra alium agit: Ergò homo benefactorem suum magis debet diligere, qvam alium. 4. Maximè diligendus est Deus, & post eum Pater: At hi sunt maximè benefactores: Ergò benefactores magis debemus diligere, qvam alios. Refutatio. Ergò errant, qvi docent hominem magis debere amare beneficiatum, seu beneficii acceptorem, qvam benefactorem. Thom. 2. 2. q. 26. art. 12. Correctio. Peccant ergò, qvi benefactores nõ diligunt, vel minùs diligunt, qvam alios. Tales sunt, 1. qvi parentes suos macerant, non sustentant, persequuntur, derident, convitiis affigiunt, occidunt. 2. qvi præceptores suos vituperant, refutant, traducunt. 3. qvi Pastores suos irreverenter tractant, nullo honorario afficiunt, comparant, extrudunt. 4. qvi superioribus potestate rebellant, eos contristant, occidunt. 5. qvi benefactorum posteritatem pro sua virili non promovent. Talium pœna magna est in 5. præcepto: n. diù non vivunt in terra.

7. Communitatem, &c. hoc est: 1. Homo toti societati, ut Regno, civitati, pago, Ecclesiæ, Scholæ, plus boni cupere debet, qvàm cuivis ejus membro, ut Principi, Judici, Duci, Pastori, Magistro, &c. Patet. 1. an ita sit, ex 5. præcepto: Honora parentes, id est, plus boni societatibus cupias, & conferas, qvàm cuilibet earum membro: ibi enim per parentes intelliguntur. 1. Societates, regnũ enim dicitur patria, Ecclesia, Schola, mater. 2. Parentes naturales. 3. Superiores potestate, ætate, do-

703147

no. Sic David magis diligebat totum Israelem, qvam paternam suam domum. 2. Sam. 24. 17. Christus etiam magis dilexit mundū electorum, qvia pro eo mortuus est, qvam alīū aliqvem. Ioh. 3. 16. Sic Cajaphas magis diligendum dicit populum, qvam unum aliqvem in populo: dicit enim: Ioh. 11. 50. Conducit nobis, ut unus homo moriatur pro populo. 2. Cur ita sit: qvia homo magis conjungitur toti societati, qvàm uni alicui in societate, pars enim magis alligatur toti, qvàm parti alteri totius. 2. qvia qvælibet una res magis ordinata est à Deo ad conservationem universi, qvam ad conservationem unius alicujus rei in universo: unde qvilibet homo dulce putat esse mori pro patria. 3. qvia hominis salus à salute totius societatis pendet magis, qvam à salute alterius partis. Esther. 4. 13. Correctio. Ergò peccant, qvi magis amant aliqvem in societate, qvam ipsam societatem. Tales sunt: 1. qvi mallent societatem perire, qvam aliqvem alium, ut Principem, Iudicem, &c. 2. qvi ex gratia malos præficiunt societati. 3. qvi bona societatis donant aliqvibus. 4. qvi bona societatis cōvertunt in suā utilitatē. 5. qvi pro gloriæ suæ vindicatione bellū suscipiunt, & totā societatem periculo subjicīūt. 6. qvi peccatoribus in societate parcunt, cum illorum peccata totam societatem evertere soleant. 2. Homo in societate Principi, seu Magistratui alicui plus debet boni velle, qvam plebeo alicui, vel etiam sibimetipsi in temporalibus. Additur, in temporalibus: qvia animæ salutem magis debet homo sibiipsi velle, qvam Principi alicui, ut

cui, ut habuimus ad. th. 13. Patet. 1. an ita sit, ex 5. mandato: Honora parentes, id est, omnes homines; sed præcipuè Magistratus. 2. Cur ita sit: 1. qvia in societate homo conjunctior est Magistratui, qvam plebeo. 2. qvia Principis vita, ac salus toti societati necessaria, & utilis est: sed vita, & salus plebei non itē: Ergò. 3. qvia Princeps, seu Magistratus est lucerna societatis. 2. Sam. 21. 17. Sed plebejus non est lucerna societatis: Ergò. 4. qvia sub umbra Magistratus qviescit unus qvisqve. Lam. 4. 20. Esa. 32. 2. 5. qvia, morte dignus est, qvi Regem non custodit. 1. Sam. 26. 16. 6. qvia tua vita qvieta, & tranqvilla à Principibus dependet. 1. Tim. 2. 2. 7. qvia Princeps est pater nutricius, vicarius D E I, columna. Correctio. Ergò peccant, qvi magis amant alium in societate, qvam Principem: ut illi, qvi in gratiam aliorum Principem produnt, interficiant, occidunt; & illi, qvi permittunt, imò svadent, ut Princeps prodeat in prælium.

XXX. *Quot sunt actus charitatis ergà proximum?*

Duo: 1. precatio, seu oratio, qva à Deo bonum proximo petimus, & pro bonis proximo à Deo datis gratias agimus. Matth. 5. 44. precamini pro eis, id est, proximo petite bonum à Deo, etsi Deus ipse bonum dederit, ei pro eo gratias agite. 2. operatio, qvâ bonum proximo petitum à Deo pro virili operamur. Ibidem: Benefacite eis, id est, operamini bonum proximi. Vel, charitas erga proximum in hoc consistit. 1. ut bonum pro-

703147

ximi à Deo petamus, & pro eo Deo gratias agamus. 2. ut bonum proximi à Deo petitum operemur v.g. ut proximo petas à Deo sapientiam, vel conversionem, & etiam pro virili petitam sapientiam, & conversionem operaris. Observa ergò. 1. Orare debemus pro omnibus, qvos spes est posse nostris precibus juvari, hoc est, omnibus proximis bonum à Deo petere, & Deum de bonis qvæ ipsis contulit, laudare tenemur. Patet. 1. an ita sit. Matth. 5. 44. precari debemus pro inimicis nostris: Ergò pro omnib⁹. Sic. 1. Tim. 2. 1. Iac. 5. 16. 2. Cur ita fit. 1. qvia diligere debemus omnes proximos. Matth. 22. 39. Ergò precari debemus pro omnibus. Ratio consequentiæ, qvia charitas consistit in precatione pro bono proximorum. Matth. 5. 44. Diligite, id est, precamini pro bonis proximorum. 2. qvia precatio est medium à Deo institutum, ut adhibeatur ad impetranda sperata non tantum pro nobis, sed etiam pro aliis omnibus proximis, Matth. 7. 7. cum 1. Tim. 2. 1. 3. qvia orare pro qvibusvis bonum & acceptum est in conspectu Servatoris nostri Dei. 1. Tim. 2. 3. 4. qvia Deus qvosvis homines vult servari. 1. Tim. 2. 4. Institutio. Ergò. 1. nemo viventium ab orationibus nostris planè est excludendus, nisi constare nobis possit, qvod sit omninò desperatus. 2. orandum ergò nobis. 1. pro Regibus, & Magistratibus. 1. Tim. 2. 2. adeóqve pro rege nostro: ut servi Davidis, 1. Reg. 1. 47. 48. 2. pro Ecclesia, adeóqve pro omnibus fidelibus. Eph. 6. 18. ut Salomo, 2. Chron. 6. 41. David. Psal. 51.

20. præ-

20. præsertim cum mors nostra imminet, ut Moses. Deut. 33. aut illa afflicta jacet, ut. Esa. 62. 1. cum v. 6. 7. Daniel. Dan. 9. 4. ad. 21. Nehemias. Neh. 1. 6. præcipuè verò Pastores tenentur pro Ecclesia orare. Ioel. 2. 17. Amos. 7. 2. Iac. 5. 14. ut Samuel. 1. Sam. 7. 5. 9. & 12. 23. Paulus. Rom. 1. 9. Christus. Ioh. 17. 9. 3. pro Pastoribus Ecclesiæ, ut Deus idoneos ministros mittat in Ecclesiam. Matth. 9. 38. 4. pro liberis nostris, ut Abraham. Gen. 17. 18. Iacob. 48. 15. 5. pro iis qvi persecutionem patiuntur, seu incarcerati sunt pro nomine Christi. Act. 12. 5. 6. pro iis, qvibus Deum valde iratum videmus, ut Moses pro Israelitis. Exod. 32. 11. 12. 7. pro iis, qvi nobis benefaciunt, ut illi, de qvibus. 2. Cor. 9. 14. Paulus. 2. Tim. 1. 16 17. 18. 8. pro peccatoribus (non tamen peccantibus in Spiritum Sanctum) 1. Ioh. 5. 16. Ier. 7. 16. & 11. 14. & 14. 11. adeóqve pro infidelibus, ut convertantur, nominanter pro Iudæis. Rom. 10. 1. & pro impiis pervicacissimis, ut Abrahã pro Sodomitis. Gen. 18. 24. Lot pro Segor. 19. 20. Moses pro Pharaone. Exod. 8. 9. pro murmuratoribus. 32. 11. 2. Omnes homines sive pii, sive impii, tenẽtur expetere pro se orationẽ aliorum præsertim Ministrorum, præcipuè, cum sibi Deum non parum iratum esse sentiunt, ut olim Israelitæ. Num. 21. 7. 1. Sam. 7. 8. Ezechias 2. Reg. 19. 1. Esa. 37. 4. Sedecias. Ier. 37. 3. Simon Magus. Act. 8. 24. Pharao. Exod. 8. 8. 28. Ieroboam. 1. Reg. 13. 6. Ioram. 2. Reg. 3. 12. 13. 2. Pro inimicis nostris injustis singulariter debemus orare, hoc est,

703147

nostris injustis inimicis bona à Deo petere, & eum de bonis, qvæ ipsis dedit, laudare debemus. Patet. 1. an ira sit. Matth. 5. 44. Sic. Ier. 29. 7. Luc. 6. 28. 2. Cur ita sit. 1. qvia singulariter afficimur eorum peccato, ex qvo periculum imminet ipsis, Luc. 23. 34. 2. qvia hac ratione & facimus, & testamur nos facere, qvod nobis est necessarium ad remissionem nostrorum peccatorum. Matth. 6. 12. 14. 15. 3. qvia hac etiam ratione excludimus ex animis nostris illicitam vindictæ cupiditatem. Rom. 12. 19. 20. 4. qvia hoc est Deo causam nostram committere in charitate. Obj. Pro inimicis singulariter tenemur precari: Ergò magis tenemur pro inimicis precari, qvã pro amicis. Resp. Cõseq. negatur: qvia plures sunt causæ pro amicis orandi, qvam pro inimicis. 2. 5. cas. c. 8. q. 1. r. 3. Obj. Thomas 2a 2æ. q. 25. art. 7. dicit: melius est inimicos diligere, qvam amicos: Ergò magis tenemur orare pro inimicis, qvam pro amicis. Resp. Consequ. negatur. Refutatio. Ergò errant qvi pro inimicis non orandum putant. Thom. 2. 2. q. 83. art. 8. Dehortatio. Ergò inimicis nostris ne imprecemur malum, qvã malum. Exhortatio. Ergò oremus pro iis, qvi nos persequuntur, & injustiã afficiunt, ut Abrahamus pro Abimelecho, qvi uxorem ejus rapuerat, Gen. 20. 17. &c. Moses & Aron pro Pharaone. Exod. 8. 9. 12, 29. 30. & 9. 28. 29. 33. idem pro murmuratoribus adversus ipsos. Num. 16. 45. cum v. seqq. Moses pro Maria. Num. 12. 13. cum v. 2. Vir Dei pro Ieroboamo. 1. Reg. 13. 6. Iob pro tribus amicis ipsum molestantibus. Iob. 42. 8. 9. David. Psal. 35. 13. Christus. Luc. 23. 34. Stephanus. Act. 7. 60. Rom. 10. 1. 1. Cor. 4. 12. 13.

XXXI. Obj. præocc: Precatio est actus religionis, ut vides supra c. 8. th. 1. cum c. 9. th. 2. Ergò non est actus justitiæ, seu charitatis. Resp. Conseq. negatur: qvia precatio est vox homonyma: precatio enim alia respicit honorẽ Dei, qvatenùs à Deo petit nõ ab alio; vel respicit bonũ proximi, qvatenùs petit pro proximo. Illa est actus religionis, & pertinet ad primam tabulam Decalogi, de qva supra c. 9. hæc verò est actus justitiæ, seu charitatis, & pertinet ad secundam tabulam Decalogi, de qvâ hîc agendum est. Est ergò precatio hæc conatus tendens in proximi bonum mediante Deo, seu est primus actus charitatis, qvo pro proximi bono Deum oramus.

XXXII. *Quæ debemus precari proximo nostro?*

Omnia illa qvæ nobismetipsis etiam precari debemus, qvalia sunt illa, qvæ religio imperat, seu, qvæ ad gloriam Dei pertinent, (supra c. 4. th. 7. ratione 2.) & qvæ fides, & spes apprehendunt ipsis à Deo communicanda (supra c. 9. th. 65.) sive illa sint spiritualia, qvalia sunt, regeneratio, fides, respiscentia, justificatio, adoptio, sanctificatio, glorificatio; sive corporalia, qvalia sunt sufficiens victus, & amictus, sanitas corporis, pax civilis, dignitates, & officia, &c.

703147

XXXIII. *Quæ sunt partes precationis, seu orationis pro proximo?*

Illæ, qvæ sunt partes orationis pro nobismetipsis: n. petitio, qvâ proximo petimus à Deo id, qvod ipsi deest; & gratiarum actio, qva Deo gratias agimus pro bonis, qvæ proximo dedit. Patet ex exemplo Pauli, qvi DEO gratias agit pro fide Romanorum in toto mundo annunciata, Rom. 1. 8. & petit à DEO, ut possit ad Romanos venire v. 10. Observa ergò. Deum laudare tenemur & propter beneficia, & dona, qvæ proximis nostris communicavit. Patet. 1. an ita sit ex exemplo Pauli, Rom. 1. 8. Sic. 1. Cor. 1. 4. 2. Cor. 8. 16. & 9. 15. Eph. 1. 16. Philip. 1. 3. Coloss. 1. 3. 4. 2. Thess. 1. 3. & 2. 13. Philem. v. 4. 5. 2. Cur ita sit. 1. qvia debemus bona à Deo proximis petere: Ergò & de istis bonis gratias Deo agere debemus. Ratio consequentiæ, qvia finis & petitionis illius est gratiarum actio, ut vidimus supra c. 9. th. 91. 2. qvia hoc Deus mandat. 1. Tim. 2. 1. 3. qvia petentes bonum à Deo pro proximis, Deo vel implicitè, vel expressè promittunt gratiarum actionem de bono isto, qvod petunt. Psal. 51. 21. ut vidimus supra c. 9. th. 92. Correctio. Peccant ergò ingrati erga Deum: qvales sunt blasphemi, qvi Deum de beneficiis nec in se, nec in aliios collatis laudant; sed eum probro afficiunt, seu blasphemant. Blasphemia est species ingratitudinis erga Deum, qvam attigimus etiam supra c. 9. ad th. 84. sed qvia concio nostra de ea citata ratissima est, placuit hic fusius

de ea loqvi. Blasphemia est Deo, Christo, scripturæ. 1. tribuere qvod ipsis non convenit, ut dicere Deum peccatis delectari. Malach. 2. 17. posse mentiri, mori, esse finitum, corporeum, &c. Christum esse merum hominem, Scripturam Sacram esse fabulosam. 2. non tribuere qvod ipsis convenit, ut dicere: Deus non est justus Iudex. Malach. 2. 17. misericors; Christus non est. 1. æternus Deus. 2. solus Mediator. 3. qvoad humanam naturam finitus; Scriptura Sacra non est. 1. verbũ Dei. 2. potentia Dei ad salutem. 3. aliis tribuere, qvod ipsis proprium est, ut dicere Diabolum esse creatorem propriedictum, Christũ hominem omnipræsentem, omnipotentem, scripta hominum regenerare, fidem in Deum gignere, salvare. Thom. 2. 2. q. 13. Observa ergo, Blasphemia erga Deum est valdè fugienda. Patet. 1. an ita sit. Iob. 2. 9. 10. ubi Iobus damnat uxorẽ suam ob blasphemiam in Deũ. 2. Cur ita sit. 1. qvia pœna blasphemiæ est tùm æterna. Iud. v. 15. tùm temporalis, n. lapidatio. Lev. 24. 23. dilaniatio eorũ in membra, redactio domus eorum insterqvilinium. Dan. 3. 29. 2. qvia Michaël Archangelus non ausus est Diabolo maledicere. Iud. v. 9. 3. qvia non licet homini maledicere. Coloss. 3. 8. 4. qvia blasphemia est fatigatio Iehovæ. Malac. 2. 17. 5. qvia Deus est Author, & largitor omnis boni: Ergò non blasphemia, seu convitio, probro, contumelia, sed laude dignus est. 6. qvia blasphemia damnatur in Satana. Gen. 3. 4. 5. Pharahone, Exod. 5. 2. 2. filio Salamith. Lev. 24. 11.

703147

servis Regis Syriæ. 1. Reg. 20. 23. Sedecia 22. 24. Rabsake. 2. Reg. 18. 30. 35. Senacheribo. 32. 10. uxore Iobi. Iob. 2. 9. 10. impio. Psal. 14. 1. Nebuchadnezare. Dan. 3. 14. 15. Antiocho. 11. 36. Iudæis. Malach. 3. 17. & 3. 13. Sacerdotibus. Matth. 27. 41. Latrone. Luc. 23. 39. populo clamante Herodi. Act. 12. 22. Anti-Christo. 2. Thess. 2. 4. Hymenæo, & Alexandro. 1. Tim. 1. 20. Hæreticis. 2. Petr. 2. 2. Sectatoribus Anti-Christi. Apoc. 16. 9. 21. 7. qvia damnatorum proprium est blaspemare Deum. Apoc. 16. 8. qvia Deus hominem ad laudem suam, non advituperium, seu blasphemiam creavit. Correctio. Peccant ergò qvi Deum blasphemant. Tales sunt, 1. qvi Deo tribuunt qvod ipsi non convenit. 2. qvi peccant in Spiritum Sanctum. Marc. 2. 28. 29. 3. qvi blasphemas, & impias doctrinas docent, ut Hymenæus, & Alexander. 1. Tim. 1. 20. cum. 2. Tim. 2. 18. 4. qvi cogunt Christianos supplicium atrocitate ad abnegandum Christum, & execrandum, ut faciunt persecutores. Act. 26. 11. Dehortatio. Ergò officium nostrum ne negligamus in blasphemiis erga Deum coercendis, & reprimendis: hoc verò officium concernit. 1. Reges, & Principes, qvi edicere debent, ne nomen Dei blasphemetur; sed ut omnes illud revereantur, ut Nebucadnezar. Dan. 3. 29. Darius. 6. v. 26. 27. 2. Professentes veram religionem, qvi diligenter cavere debent, ne peccatis suis in causa sint, ut infideles Sanctum Dei nomen blasphement, alioqvi gravissimè peccant, & puniuntur à DEO, ut David. 2. Sam.

2. Sam. 12. 14. Iudæi Rom. 2. 24. ex. Esa. 25. 5. Solent enim infideles blasphemare Deum, cùm vident illos, qvi se Deum scire profitentur, sceleribus nefandis se se polluere, unde, ne blasphemetur nomen, & sermo, seu doctrina Dei, hortatur Apostolus servos Christianos, ut dominos suos omni honore dignos ducant. 1. Tim. 6. 1. & uxores Christianas, ut subjiciant se viris suis. Tit. 2. 5. 3. omnes illos, qvi blasphemias audiunt, ubi notandi sunt hi canones. 1. dolere, & lugere debemus, cum audimus blasphemias impiorum. 2. blasphemas voces non debemus patienter audire, sed eas magna cum indignatione rejicere, ut Christus Luc. 4. 8. collato cum fine vers. 6. alioqvi gravissimè puniemur, ut Herodes. Act. 12. v. 22. 23. atqve adeò, non debemus blasphemias auditas dissimulare. Levit. 5. 1. Sed blasphemos acriter reprehendere, ut Latro conversus socium. Luc. 23. v. 39. 40. attamen ad blasphemias impiorum aliqvando silendum, nec ad dicta apertè blasphematoria semper respondendum est, sed contenti esse debemus ea exsecrari.

XXXIV. *Quid opponitur precationi pro proximo?*

Imprecatio, qvâ proximo malum, qvatenus malum est, hoc est, qvatenus proximo nocet, optamus: qvod patet. Matth. 5. 44. ubi benedicere, id est, bonum precari, & devovere, seu maledicere, imprecari, id est, malum precari adversantur. Additur, qvatenus malum est: qvia proximo malum optare, qvatenus malum

703147

malum illud bonum est vel Deo, vel societati vel privato alicui, vel ipsi cui malum optamus: non adversatur precationi pro proximi bono. Sic non adversatur precationi huic, Regi tyranno privationem imperii optare, qvia hæc bona est Deo, qvatenus justitiam, & misericordiam Dei illustrabit; societati, qvatenus eam à persecutione liberat; privato alicui, qvatenus eũ ab exilio vindicat; ipsi tyranno, qvatenus eum fortè corrigit. Sic licet alicui ægritudinem optare, ut ipse melior efficiatur, vel saltem, ut ab aliorum nocumento cesset. l. 5, cas. c. 8. q. 2. r. 3. Thom. 2. 2. q. 76. art. 1. Observa ergò. Imprecari proximo malum eo fine, ut ipsi noceat, illicitum est. Patet. 1. an ita sit. Rom. 12. 14. Sic. 1. Petr. 3. 9. Obj. Elisæus maledixit pueris sibi illudentibus. 2. Reg. 2. 24. Ergò licita est maledictio, seu imprecatio. Resp. Eo modo qvo diximus: hæc enim maledictio fuit bona ratione justitiæ Dei, qvatenus punitione illorum gloria justitiæ Dei illustrior reddebatur. Elisæus maledixit, id est, pronunciavit pueris illis pœnam. 2. Cur ita sit. 1. qvia imprecatio hæc adversatur precationi pro bono proximi, ut dictum. 2. qvia imprecatio hæc oritur ex odio erga proximum, qvod adversatur charitati erga proximum. 3. qvia non licet malum facere proximo: Ergò nec optare. 4. qvia vocati sumus ad benedictionẽ. 1. Petr. 3. 9. 5. qvia est peccatum, qvia excludit Regno Dei. 1. Cor. 6. 6. qvia non possumus illi maledicere, cui Deus non maledixit. Num. 23. 7. qvia Michaël Archangelus nec Diabolo maledicto, ausus est maledicere. Iud. v. 9. Refutatio. Errant ergò qvi imprecationem nullo modo licitam esse putant. Thom. 2. 2. q. 76. art. 1. Dehortatio. Ne ergò maledicamus. 1. benedictis DEI. Num. 22. 12. & 23. 8. 20. 2. maledicentibus nobis. Rom. 12. 14. Matth. 5. 44. 2. Ne metuamus maledictionem illicitam nec piorũ, nec impiorum. 1. Qvia est inefficax: qvia non est obventura. Prov. 26. 2. 2. Qvia Deus maledictionem illicitam convertit nobis in benedictionem. Exemplum maledictiones Balaci, & Balami in Israelitas. Num. 23. 11. & 24. 10. Deut. 23. 5. Iosu. 24. 10. Nehem. 13. 2. inimicorum Davidis in ipsum. Psal. 108. 29. Exhortatio. Ergò maledictiones illicitas patienti animo feramus. Exemplum David. 2. Sam. 16. 10. 11. 12.

XXXV. *Qvid est operatio boni erga proximum?*

Est conatus tendens immediatè in proximi bonum, seu est alter charitatis actus, qvo immediatè proximi bonum procuramus. Qvi vocatur alias operatio hæc? 1. Benefactum. Matth. 5. 44. Benefacite, id est, operamini bonum proximi. 2. Dilectio in facto. 1. Ioh. 3. 18. Diligamus facto, id est, operemur bonũ proximi. Cur sic vocatur? Qvia operatio hæc est talis charitatis actus, qvo bonum proximi procuramus. Observa ergò. Proximi bonũ non tantum petendum à Deo est; sed etiam operandum. An ita sit patet. Matth. 5. 44. Benefacite, id est, operamini, & precamini, id est, petite bonum inimicorum à DEO. Sic

703147

1. Ioh. 3. 18. Filioli mei ne diligamus tantum verbo, id est, ne precemur tantum pro bono proximorum; sed facto, & veritate, id est, etiam operemur bonum proximi. Cur ita sit patet: 1. qvia diligere debemus proximum: Ergò bonum ejus operari debemus. Ratio consequentiæ, qvia charitas secundo consistit in operatione boni proximi. Matth. 5. 44. Diligite, id est, benefacite, seu operamini bonum inimicorum, adeóqve omnium hominũ. 2. qvia sicut fides verbalis sine bonis operibus nulla est. Iac. 2. 14. Sic charitas, seu dilectio verbalis sine facto, seu operatione boni proximi est nulla. 1. Ioh. 3. 17. Exhortatio. Operemur ergò bonum proximi. Ergò. 1. svademus illi bonum, tùm dehortando eum à malo; tùm exhortando eum ad bonum; tùm bonum exemplum ei dando. 2. realiter efficiamus bonum proximi, communicando illi bona, qvæ habemus sive spiritualia, sive corporalia. Hebr. 13. 16.

XXXVI. Distinguiturne hæc operatio à precatione?

Sic. Obj. præcc: operatio est conatus tendens in bonum proximi, precatio etiam est conatus tendens in bonum proximi: Ergò operatio hæc non differt à precatione. Resp. Conseq. negatur, qvia operatio immediatè versatur circa proximum; sed precatio primò fertur in Deum, & postea in proximum.

XXVII. Instantia præcc: Cum bovem proximi errantem reducimus, Deut. 22. 1. vel in puteum cadentem extrahimus, &c. operatio boni proximi primò versatur circa bovem, postea circa proximum: Ergò operatio boni proximi non semper versatur immediatè circa proximum. Resp. Conseq. negatur, qvia cũ bonum rei proximi operamur, perinde censetur, acsi immediatè bonum ipsius proximi operaremur, qvia operamur bonum rei proximi propter proximum. Perinde ergò est, si bovem proximi ex puteo extraxeris, acsi ipsummet ex laqveis aliqvibus extricasses.

XXXVII. Quibus modis operamur bonum proximi?

Moraliter, seu svadendo; realiter, seu efficiendo.

XXXIX. Quid est svasio boni proximi?

Cum proximo proponimus. 1. bonum qvod faciat. 2. argumenta, qvibus ipsum ad faciendum bonum illud impellimus. V. g. cum sic loqvimur: Disce frater Sacro Sancta Biblia: 1. qvia peribit homo, qvi scientiã Bibliorum caret. 2. qvia non poterit minister Dei fieri, qvi scientiam Bibliorum spernit. Hos. 4. 6.

XL. Quibus modis svademus proximo boni præstationem?

Admonitione, vel exemplo bono.

XLI. Quomodo accipitur hîc admonitio?

Admonitio non accipitur hîc specialiter, pro dehortatione tantũ à peccato, ut. Med. l. 1. c. 35. th. 33. sed generaliter pro qvalibet com-

703147

monefactione verbali, qvâ aliis aliqvid in memoriam adducimus, ut illorum vel bonum procuremus, vel malum propulsemus. Additur verbali: nam ut Deus admonet nos officii nostri realiter per sua judicia, & verbaliter per Scripturam Sacram... 1. Cor. 10. 11. Sic nos commonefacimus alios sui officii verbaliter per verba, realiter per pœnas.

XLII. Quæ continet in se admonitio?

Admonitio igitur, &c. hoc est, admonitio accipitur hîc pro qvalibet commonefactione, ut dictum: Ergò admonitio continet in se officium. 1. docendi. Colos. 3. 16. 2. observandi alios, ut ipsos acuamus ad charitatem, & bona opera. Hebr. 10. 24. 3. exhortandi alios qvotidiè ad bona opera. Hebr. 3. 13. 4. consolandi alios adversus tristitiam, & dolorem. 1. Thess. 4. 18. 5. alios si peccarunt fraternè corrigendi, seu dehortandi à peccato, seu malo opere. Gal. 6. 1. Lev. 19. 17. Ratio consequentiæ, qvia illis omnibus officiis commonefacimus proximos nostros officii sui.

XLIII. Quæ requiruntur ad fraternam correctionem, seu quando adhibenda est fraterna correctio?

Cum malum corrigendum certò scimus esse admissum. Matth. 18. 15. Ergò si suspicamur tantum malum admissum esse qvid agendum? Prudenter insinuemus proximo, qvæ sit suspicio, & qvi debeat removeri. 2. cum fratris prolapsi emendationem speramus, cessandum enim

enim est aliqvando à correctione fraternæ charitatis, qvando peccator eâ vel non emendatur, vel pejor redditur. Prov. 9. 7. 8. Matth. 7. 6. Additur. 1. aliqvando: qvia incorrigibiles sæpè corrigi debent respectu aliorum, ut à simili lapsu eos præservemus. 2. fraternæ charitatis: qvia correctio justitiæ, qvæ ad prælatos pertinet, nunqvam relinqvenda est propter turbationem ejus, qvi corrigitur. Thom. 2. 2. q. 33. art. 6. 3. cum adhibetur, qvando debet, ubi debet, secundum qvid debet. l. 5. cas. c. 9. q. 2. 1. 2. 3. Observa ergò. 1. Qvivis qvemvis fraternè admonere, & corrigere debet. Additur, fraternè: 1. qvia correctio duplex est, n. correctio fraternæ charitatis, vel correctio justitiæ. Illa pertinet ad qvosvis: hæc verò ad solos superiores præsertim authoritate. Thom. 2. 2. q. 33. art. 3. 4. 2. qvia correptio non qvoqvo modo adhibenda est, sed hoc modo: 1. debet perfundi charitate fraterna. 2. Thess. 3. 15. 2. Cor. 2. 4. 2. debet admonitio fundari in sermone Christi. Colos. 3. 16. 3. debet condiri mansuetudine, lenitate. Gal. 6. 1. 2. Tim. 2. 25. 4. roborari debet perseverantia. 2. Petr. 1. 13. Tamdiù admonendus est frater, dùm fructus inde sperati potest. Patet. 1. an ita sit. Matth 22. 39. ubi cuivis dicitur, ut qvemvis diligat, at diligens qvivis debet cuivis bonum velle, & operari imprimis admonendo, & corrigendo, ut dictum. 2. cur ita sit, qvia admonitio, & correptio fraterna est actus charitatis, est enim operatio boni proximi: At actus charitatis qvivis rationis usum habens debet erga qvemvis delinqven-

703147

tem proximum exercere. Matth. 22. 39. Ergò qvivis rationis usum habens qvemvis delinqventem proximum fraternè admonere, & corrigere debet. 2. qvia officium fraternè corrigendi, & admonendi fratrem peccantem qvibusvis mandatur. Matth. 18. 15. Lev. 19. 17. 18. 3. qvia qvivis servare tenetur animam sui proximi à morte, juxta præceptum, Non occides. At correctio fraterna est medium servandi animum proximi à morte. Iac. 5. 20. Ergò. 4. qvia occidit animam proximi, qvi eum non corrigit. Ezech. 18. 19. & 33. 6. 8. 5. qvia qvivis custos est vitæ non tantum corporalis, sed etiam spiritualis fratris sui. Gen. 4. 9. Refutatio. Ergò errant. 1. qvi correctionem fraternam pertinere dicunt solum ad prælatos. Thom. 2. 2. q. 33. art. 3. 2. qvi dicunt aliqvem non teneri corrigere prælatum suum. art. 4. 3. qvi putant peccatorem non debere delinqventem corrigere. art. 5. Amesii. 5. cas. c. 9. q. 3. 1-3. Institutio. Ergò admonere, & corrigere debent. 1. alii alios. Rom. 15. 14. Colos. 3. 16. Sic, Abimelech admonet Saram: Gen: 20. 16. 2. parentes liberos. Eph. 4. 6. ubi admonitio parentum erga liberos vocatur admonitio Dei: qvia debet ad gloriam Dei referri. 3. liberi ipsos parentes, ut Ionathan Saulem: 1. Sam. 19. v. 4. 5. 4. ministri Regum Dominos suos. Exod. 10. 7. 2 Sam. 24. 4. 1. Chron. 21. 3. sed pauci sunt qvi hoc exeqvantur. Ier. 36. 24. 25. 5. fideles alios fideles, & ex occasione etiam infideles. Amesii. 5. cas. c. 9. q. 1. 2. 6. Pastores Ecclesiæ gregem ipsis commissum

Ezech.

Ezech. 3. 17. & 33. 7. 1. Cor. 4. 14. 2. Petri 1. 13. atqve adeò, unumqvémqve, Act. 20. 31. sen. qvosvis homines. Colos. 1. 28. specialiter autem improbum, ut adducatur in rectam viam: Ezech. 3. v. 18. 19. & 33. v. 8. 9. & hæreticum, ut revocetur ab errore. Tit. 3. 10. item, justum, ut contineatur in timore Dei, vel, si incipiat avertere se à justitia sua, maturè revocetur ad studium pietatis. Ezech. 3. v. 20. 21. Admonitio. Ergò qvilibet nostrum fratrem suum peccantem admonere, corrigere ne fugiat; sed eum corrigat, eo modo qvo supra dictum.

2. Ii qvi admonentur & corriguntur admonitores, & correctores magnificere, iisqve obtemperare debent. Patet. 1. an ita sit. 1. Thess. 5. 12. ut fratres Iosepho. Gen. 46. 33. 34. (collatis cum c. 47. v. 3.) Israelitæ Mosi: Deut. 1. v. 12. 14. Moses populo: v. 22. 23. Ruth Socrui: Ruth. 2. v. 22. 23. & 3. 5. Saul puero: 1. Sam. 9. 10. David Abigail: 25. v. 32. 33. Naaman ancillæ suæ. 2. Reg. 5. v. 3. 4. 7. & servis suis: v. 13. 4. congregatio Israelis Davidi. 1. Chron. 13. 4. Iudæi Nehemiæ. Nehem. 2. v. 17. 18. Esther Mardochæo: Esth. 2. v. 10. 20. Iudæi eidem: 9. 23. Iohannes Baptista Christo: Matth. 3. 15. Petrus eidem: Ioh. 13. v. 8. 9. Thomas eidē: 20. v. 27. 28. Paulus fratribus Ierosolymitanis: Act. 21. v. 23. 26. & Apostolis: Galat. 2. 10. illi, qvi consilia recta non aspernantur, atqve adeò, liberi parentibus, & parentes liberis, benè monentibus ausultare debent: Reges etiam benè monentibus debent obtempe-

703147

rare, ut Pharao: Gen. 41. 37. (collato cum vers. superioribus) Saul: 2. Sam. 19. 6. Sedecias, Ier. 38. v. 7. 8. 9. &c in primis obtemperandum est admonitionibus Dei alloqventis nos per Pastores Ecclesiæ, ut Amazias: 2. Chron. 25. v. 7. &c. Zorobabel, Iosua, & populus. Agg. 1. 2. 2. Cur ita sit. 1. qvia admonitio, & correptio commendatur. Lev. 19. 17. 18. Matth. 18. 15. Luc. 17. 3. Gal. 6. 1. Thess. 5. 14. Exemplum in Lotho. Gen. 19. 2. Pen. 19. 2. Rubeno. 37. 22. Mose. Exod. 2. 13. Act. 7. 26. Ietrone. Exod. 18. v. 13. 14. Phines. Ios. 22. 16. Israelitis. Iudic. 20. 12. Ionatha. 1. Sam. 19. v. 4. 5. 6. & 20. 22. Davide. 24. v. 15. 16. Abigail 25. 37. Abnero. 2. Sam. 2. v. 21. 22. Nathane. 12. v. 1. 7. Elia. 1. Reg. 18. 21. Prophera qvodam 20. 42. Elizeo. 2. Reg. 3. v. 13. 14. Hanani Prophetæ. 2. Chron. 16. 9. Azaria, & reliqvis Sacerdotibus. 26. 18. Esdra. Esd. 10. 10. Nehemia. Nehem. 5. 7. Daniele. Dan. 5. 12. Iohanne Baptista. Matth. 3. 7. & 14. 4. Marc. 6. 18. Christo. Matth. 16. 21. & 17. 18. Luc. 9. 55. altero latronum. 23. 40. Caco nato. Ioh. 9. 30. Petro. Act. 3. 12. & 5. v. 3. 4. 9. Stephano. 7. 51. Paulo. Act. 13. 10. 1. Cor. 3. 4. & 11. v. 17. & seqq. & 15. v. 12. &c. Gal. 3. 1. 2. Thess. 3. 15. 2. qvia contemptus admonitionum, & correctionum est valdè noxius. Nam. 1. qvi benè monentes respuunt magnâ sibi malum accersunt. Exemplum filii Iacobi. Gen. 42. 22. Amazias. 2. Reg. 14. 10. 11. Iosias. 2. Chron. 35. 2. navigantes cum Paulo. Act. 27. 9. 11. cum v. 21. 3. qvia conjicit in miser-

in miseram conditionem etiam Regem, ut Iehojachim. Ier. 35. 31. & pauperem reddit. Prov. 13. 18. 3. qvia Deus graviter irascitur ob illum contemtum. Zach. 7. 12. unde acriter reprehenditur. Psal. 50. 17. 4. qvia pœna ejus est æterna. Ezech. 3. 18. 19. & 33. 20. 21. 5. qvia contemptores tales cum ad Deum clamant propter mala, qvæ Deus ipsis eventura prædixerat, non exaudiuntur. Prov. 1. 24. & seqq. ut Israelitæ. 1. Sam. 8. 18. Iudæi, Zach. 7. 13. 6. qvia est proprius reprobis. Psal. 50. 17. 4. qvia est signum gravis Dei animadversionis, ut in filiis Eli. 1. Sam. 2. 25. 5. qvia adfert honorem. Prov. 13. 18. 6. qvia spernens correptionem stultus, servans verò sapiens vocatur. Prov. 15. 5. 7. qvia correctio est via vitæ. Prov. 6. 23. Correctio. Peccant ergò. 1. qvi consentiunt cum aliis in eorum peccatis. 2. qvi benè monentibus non auscultant: qvales fuerunt cives Sodomæ. Gen. 19. 7. cum v. 9. Israelitæ: Num. 14. 10. 3. Reges, qvi salutares admonitiones rejiciunt: Eccl. 4. 13. & plerunqve oderunt illos, qvi veritatem ipsis liberè dicunt, nec possunt ferre servos Dei, qvi ex mandato Dei admonent istos, ut Pharaho Mosem. Exod. 5. v. 2. 4. Achab Michæam. 1. Reg. 22. v. 26. 27. 2. Chron. 18. v. 25. 26. Asa Hanani: 16. 10. Ioas Zachariam: 24. v. 20. 21. 22. Amazias Prophetam, 25. 16. Ozias Sacerdotes. 26. v. 18. 19. Iehojachim Uriam: Ier. 26. v. 20. 23. Sedecias Ieremiam. 32. 3. 2. Chron. 36. 12. 3. specialiter, qvi protervè contemnunt admonitiones DEI, qvo nomine damnantur Cain: Gen. 4. 7. cū

v. 8.

703147

v. 8. Israelitæ, Nehem. 9. v. 26. 29. 30. Iudæi, Ier. 6, 10. & 7. v. 18. 25. & seqq. Zach. 1. 4. & 7. v. 11. & seqq. atqve adeò Ioas, & populus ipsius: 2. Chron. 24. 19. Manasses, & populus, 33. v. 10. 18. Sedecias. 36. 12. Sacerdotes, & omnis populus. v. 14. 15. 16. Ierosolymitani. Soph. 3. 2. Israelitæ decem tribuum, & Iudæi: 2. Reg. 17. v. 13. & seqq.

XLIV. *Quid opponitur huic admonitioni, seu correctioni?*

Consensus, seu communio cum aliis in eorum peccatis, seu participatio peccatorum alienorum: qvod patet, qvia argutio, seu correctio peccatorum præcipitur: Participatio verò peccatorum, seu communio cum aliis in eorum peccatis contra prohibetur. Eph. 5, 11.

XLV. *Quot modis consentit quis cum aliis in eorum peccatis, seu quot modis participat aliquis aliorum peccata?*

Novem modis juxta versus:

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, nutans, nō obstans, nō manifestans,

hoc est, participat aliqvis aliorum peccata novem modis: n. 1. iubendo. 1. Sam. 19. 14. & 22. 17. 2. Sam. 11. 15. 2. Reg. 12, 28, & 21. 8. 2. consulendo, Matth. 14, 8, 8. consentiendo, Rom. 1, v. ult. 4. blandiendo, Prov. 2, 10. 5. suscipiendo, 2. Ioh. v. 10. 6. participando. Ephes. 5. 11. Tob. 2. 21. 7. non-corripiendo, Eph. 5, 11. 2. Tim. 4. 2. 8. non resistendo,

resistendo, Gal. 2. v. 11. 9. non-manifestando. Esther. 2. 6. Amesius, l. 5. cas. 6. 10. q. 2. Bincheliis, loc. 12. de pecc. Observa ergò, Cōsensus, seu communio cum aliis in eorum peccatis est fugienda. Patet, 1. an ita sit. 1. Ex locis, Eph. 5. 7. 11. Sic. Rom. 1. 32. ubi gētes consentientes peccata facientibus damnantur. Apoc. 18. 4. 1. Tim. 5. 22. Psal. 1. 1. 2. Ex exemplis Iacobi, Gen. 49. 6. 7. Eliphaz, Iob. 22. 18. Ieremiæ 6. 15. 17. Iosephi Arimathæi. Luc. 23. 51. 2. Cur ita sit, 1. qvia communio cum aliorum peccatis opponitur admonitioni, seu correctioni fraternæ: Ergò communio illa est vitanda. Ratio consequentiæ, qvia correptio fratena est exercenda, ut dictum. 2. qvia communicans peccatis alienis communicat etiam pœnis alienis. Apoc. 18. 4. 3. qvia in conspectu Dei idem est peccatum facere, & peccato ab alio facto consentire, communicare: communicans enim peccatis aliorum habet velle, qvod coram DEO est facere. Correctio. Peccant ergò qvi aliorum peccatis communicant. Tales sunt, qvi peccatum mandant, consulunt, &c. Peccant ergò omnes ferè homines: nam aliqvo horū novem modorum omnes ferè homines participant aliorum peccata, ita ut talem confessionē edere cogantur. Domine Deus meus, qvod est malū cujus egò reus nō sum, vel perpetrando illud opere, vel volendo illud perpetrare? & hoc in memet ipso, ac per memetipsum; vel in alio, volendo scilicet, & consentiendo, ut illud ipse committeret; vel laudando ipsum malum; vel adulando ipsi qvi illud commisisset;

703147

set; vel non arguendo illum, cum hoc ad me ex officio pertineret; vel non compatiendo ipsi peccanti; vel (qvod deterius est) gaudendo de peccato alterius; vel omninò non curãdo, qvod erat infidelitas erga te gravissima. Non enim licere mihi poterat, videre unam ex ovibus tuis pereuntem, & à Lupis infernalibus devorari, & non qvantum potuissem resistere. In simili qvoqve damnatione me esse agnosco de bonis. Qvod enim est bonum, qvod in me non extinxi, vel in alio persecutus non sum, impediendo ne fieret, vel detrahendo jam facto, vel permittendo extignvi, vel gaudendo si extingvebatur in ipso? Domine misericordiæ, qvot bona perierunt, vel me procurante, ut non essent, vel me non juvante ut essent, vel nõ nutriente ea, aut abstrahente eis auxilium meum? Peccavi etiam contra ea Domine Deus, vel non congaudendo eis, vel tibi (qvo Authore fiebant) gratias non agendo pro eis. Adeoqve peccant, qvi dicunt se à Deo propter aliena peccata punitos esse, nam proprie puniti sunt nõ propter aliena peccata; sed propter sua, n. illa (sæpissime) qvibus communionẽ aliqvã habent cum alienis, n. propter jussionem, cõsilium, &c. Additur proprie, qvia improprie dicuntur homines plecti à Deo pro alienis peccatis, sicut dicuntur etiam à DEO benedici propter alienas virtutes. Ergò hoc sensu verum est illud axioma: ut Deus propter unius pietatem multis benedicit: sic propter unius impietatem multos punit. Patet prius membrum. 1. an ita sit, ex exemplo Noachi, ob cujus pietatem familia ejus servata est in diluvio,

vio, Iacobi, ob cujus probitatem aucta sunt bona Labanis, Ioſephi, ob cujus bonitatem multis bonis cumulatus est Potiphar. 2. enarrata sit. 1. Qvia pii sunt in Christo propter qvem benefacit Deus multis. 2. ut ostenderetur potuisse fieri, ut propter unicum Iesum Christum multi salvarentur. 3. ut scirent homines pietatem valdè utilem esse. 4. Qvia pii Deum etiam pro aliis qvasi expugnant precibus suis, & lachrymis suis ignem ira ejus extingvunt. Patet posteri' mẽbrũ 1. an ita sit, ex exemplo Schecem, ob cujus stuprum Schecemitæ perierunt; Gen. 34, Chore, Dathan, Abirã, ob qvorum rebellionem multi moriuntur, Num. 16. Achanis, ob cujus sacrilegium totus Israel periclitatur. Ioſ. 7. Eli, ob cujus lentitudinem tota ejus posteritas sacerdotio privatur. 1. Sam. 2. Davidis, ob cujus superbam populi numerationem, totus populus peste punitur. 2. Sam. 24. Achabi, ob cujus homicidium, & rapinã tota ejus posteritas delenda prædicitur. 1 Reg. 21. 21. 2. Cur ita fit. 1. qvia unius illius peccatum multi participant. 2. Ut ostendatur potuisse fieri, ut propter unius Adami peccatum omnes homines morerentur. 3. Ut eò magis impellerentur homines ad vitanda peccata. Correctio. Peccant ergò qvi pios in hac vitæ floeci pendunt: qvíqve non flent, cum manifestè peccantes vident. Dehortatio. Ergò ne consentiamus, & communicemus aliorum peccatis, qvamvis illi nos ad se pellicere studeant, proposita utilitate inde ad nos obventura. Prov. 1. à v. 10. ad 20. 1. Qvia communicare cum aliorum peccatis talibus

703147

phrasibus exprimitur in scriptura, qvæ totidem sunt argumenta, qvibus docemur abstinendum esse ab istius modi communicatione: communicare enim cum aliorum peccatis dicitur. 1. non abstrahere se à via improborum, 2. acqviescere furi, 3. adhærere improbis, &c. vide Ravanel. dictione communicare. Num. 2. 2. qvia consensu in malo damnatur. Prov. 1. 10. & seqq. Exemplum in Prophetis 400. Achabi. 1. Reg. 22. 6. 12. 13. Sacerdotibus Israelitarum, qvavis scelera perpetrantibus, Hos. 6. 9. in Iudæis, Luc. 11. 48. &c. Ravan. dictione consensio. Num. 3.

XLVI. *Quid est exemplum bonum?*

Est repræsentatio, &c. id est, bonum exemplum præbere est coram aliis bonum opus facere, ut alii etiam ad simile bonum opus faciendum inducantur. V. g. verbum Dei audire, Sacramentis uti, &c. ut & alii hæc faciant, Observa ergò. Bonum exemplum aliis præbere omnes pii tenentur. Patet. 1. an ita sit, 1. Tim. 4. 12. Tit. 2. 4. 7. Matth. 5. 16. 1. Petr. 2. 12. 2. Cur ita sit. 1. Qvia operandum est bonum proximi, ut dictum: Ergò proximo bonum exemplum præbendum est. Ratio consequentiæ, qvia bonum proximi operamur uno modo svasione boni: svademus autem bonum proximo faciendum admonitione, & exemplo bono, ut dictum, th. 40. 2. Qvia exemplum bonum, seu opus bonum coram aliis factum, valdè impellit alios ad simile bonum præstandum. Sic Principes, & populus liberaliter conferunt in structuram templi exemplo

Regis Davidis. 1. Chron. 29. 6. 7. 8. 9. Ninivitæ exemplo Regis, & Principum coram Deo se se abjiciunt, Ion. 3. 5. 6. Zelus Corinthiorum complures alios provocavit ad illum imitandum. 2. Cor. 9. 2. Pauli exemplo pleriqve ex fratribus ausi sunt impavidè sermonem Dei loqvi. Philip. 1. 14. 3. Qvia omnes debent Deum suis operibus glorificare. 1. Petr. 2. 12. 4. Qvia nemo est qvin aliqvid possit in sua vita exhibere, qvo alii in pietate vel promoveantur, vel confirmentur. Nam ex formicæ contemplatione homines possunt ædificari. Prov. 6. 6. 5. Qvia singuli in suis stationibus occasiones habent singulares aliqvid præstandi, qvod alii ex simili occasione debent imitari. Prov. 2. 20. Psal. 34. 7. Exhortatio. Ergò: 1. proximis nostris præbeamus bonum exemplum, id est, coram illis verbum Dei audiamus, Sacramentis utamur, eleemosynam demus, &c. Moveat nos exemplum Christi. 1. Petr. 2. 21. 2. Apostolorum. 2. Thess. 3. 9. 3. Thessalonicensium. 1. Thess. 1. 7. 2. Bonum aliorum exemplum, seu opus bonum aliorum imitemur. Moveat nos. 1. præceptum tùm Christi, Matth. 11. 29. tùm Pauli. Philip. 3. 17. 2. exemplum illorum, qvi opera aliorum bona imitati sunt: de qvibus ratione secunda.

2. Præcipuè bonum exemplum præbere illi tenentur, qvi vel ætate, vel donis, vel munere aliqvo sunt aliis superiores. Patet. 1. an ita sit. Tit. 2. 4. 7. 1. Tim. 4. 17. 2. Thess. 3. 9. 2. Cur ita sit. 1. Qvia cui multum datum est, ab eo exposcitur multum. Luc. 12.

703147

48. 2. Qvia qvo magis qvis eminet, eo magis est spectabilis, & minùs occultatur. Matth. 5. 14. 3. Qvia illi qvi ordine aliis præponuntur, aliis præeundo viam rectam debent monstrare. 1. Thess. 1. 6. 7. 8. 4. Qvia inferiores à superioribus pendere solent, & componere se ad eorum exemplum. Prov. 29. 12.

Correctio. Peccant ergò parentes, Domini, Magistratus, Mariti, Præceptores, docti, divites, qvi malum exemplum inferioribus præbent.

XLVII. *Quid opponitur bono exemplo?*

Scandalum: qvod patet ex. 1. Cor. 10. 32. Estote, &c. id est, Corinthii, ne sitis offendiculo, seu scandalo aliis; sed bono exemplo, ut ego v. 33.

XLVIII. *Quid est scandalum?*

Est repræsentatio, &c. id est, scandalizare est coram aliis malum opus facere, ut alii etiam ad simile malum opus faciendum inducâtur, vel à bono opere faciendo avocentur. V. g. verbum Dei, Sacramenta contemnere, conviciari, furari, inebriari, &c. ut alii etiam hæc faciant; vel saltē ab eorum contrariis faciendis avocentur. Scandalum, seu malum opus inducens alios ad peccandum vocatur impingendi causa. 1. Cor. 8. 9. 10. qvia efficit ut alii impingant, id est, peccent. Scandalum verò, seu malum opus, avocans alios à bono opere faciendo, vocatur infirmationis causa. Rom. 14. 21. qvia malum opus infirmos reddit alios, ne possint contrarium bonum opus facere, qvia dubios

dubios reddit alios, an scilicet contrarium debeant facere necne. Scandalum, seu malum opus avocans alios à benefaciendo vocatur propriè scandalum, seu offendiculum in via positum, in qvod impingens vel labitur, ut porrò pergere neqveat; vel læditur, & claudus redditur, ut citò pergere eò qvò velit, non valeat.

XLIX. *In quo opere ineſt ſcandalum, ſeu quo opere ſcandalizant alii alios?*

1. omni opere malo, seu illicito, qvod aliis innotescit, (ut idolorum cultu, furto aliis cognito) qvod patet: qvia. Matth. 18. 6. 7. 8. 15. alii alios peccato cognito dicuntur offendere, seu scandalizare. Additur, qvod aliis innotescit: nam occulto peccato, ut idolorum cultu, furto, alius alium scandalizare non potest.

2. Aliqvando opere per se licito, seu actione adiaphorâ (n. carnis, vel sanguinis esu, usurpatione hujus vel illius vestimenti, laboratione in festis anniversariis, &c.) qvæ aliis non expedit: qvod patet, qvia. 1. Cor. 8. 13. dicit Apostolus, si meus carnis esus fratrem meum offendat, id est, fratri meo non expediat, nunqvam carnem edam.

L. *Actio noſtra adiaphora quando non expedit, vel expedit?*

Actio nostra adiaphora nocet qvando. 1. Deum non glorificat, qvod fit cum ex illa aliqvid maculæ Deo, & religioni aspergi potest, vel cum illâ nec nos Deum laudamus, contra

703147

1. Cor. 10. 31. nec alios ad eum laudandum inducimus, contra. Matth. 5. 16. Deum glorificare, vel laudare est Deum agnoscere justum, bonum, beneficum, &c. talem ore prædicare, & opere declarare. 2. proximos non ædificat, qvod sit, cum facit, ut infidelis, vel paganus in sua religione permaneat, infirmus verò Christianus aliqvid agat dubitante conscientia, vel si non agat, aliter facientem oderit, vel condemnet, & Ecclesia Dei malè audiat: Contra actio nostra adiaphora non nocet, qvando. 1. Deum glorificat cum scilic. eâ declaramus Deum bonum, beneficum, &c. esse, câqve alios inducimus, ut Deum bonum, justum, &c. agnoscant, & prædicent. 2. proximum ædificat cum scilicet facit, ut Judæus, vel Turca ad nostram fidem convertatur, &c.

LII. *Qualis naturæ est actio, quâ proximo scandalum datur?*

Actionem, qvâ proximo scandalum datur, nulla authoritas humana potest licitam reddere, qvia illa est actio mala vel per se, vel per accidens, qvam Deus prohibet, adeóqve illicitam dicit. Additur: 1. datur: qvia actionem ex qva scandalum accipitur, potest humana authoritas licitam dicere, qvia ea est res in se bona, qvam Deus præcepit, adeóqve licitam dicit. 2. humana authoritas: qvia actionem aliqvam, qvâ proximo scandalum datur, Deus potest licitam reddere, ut furtum in Israelitis bona Ægyptiorum auferentibus, homicidium in Pinchaso, violationem Sabbathi in Judæis septimo die Jerichuntem expugnantibus, &c.

l. 5. cas. c. 11. q. 6. r. 6. Peccat ergo Pontifex R. qvi multa peccata, qvibus proximo scandalum datur, ut cultum Dei coram imaginibus, adorationem sanctorum, venditionem rerum sacrarum, concubinatum, violationem fidei hæreticis datæ, &c. licita reddere præsumit.

LIII. *Quotuplex est scandalum, & quidnam scandalum datum?*

Duplex: Datum, seu activum; vel acceptum, seu passivum. Qvid activum? Tum autem, &c. hoc est, scandalum est manifestum malum dictum, vel factum, sive naturâ suâ, ut peccatum, sive ex circumstantia, ut adiaphorum., per qvod aliqvis ad peccandum induci, vel à benè agendo avocari potest, sive hoc intendat, sive non intendat is, qvi male facit, vel loqvitur (Thom. 2. 2. q. 43 art. 1. ad 4.) V. g. furari blasphemare, &c. est scandalum aliis dare, qvia furtum, & blasphemia potest alium inducere ad furandum, & conviciandum. Observa ergò. Scandalum datum vitandum est, vel, malum opus coram proximis nostris non faciendum est. 1. An ita sit patet. 1. Cor. 10. 32, 33. Sic. Matth. 17. 27. & 18. 6. 7. Marc. 9. 42. Luc. 17. 1. 2. Cur ita sit patet. 1. qvia scandalum datum opponitur exemplo bono. 2. Qvia scandalum datum est peccatum, & qvidem aliqvando speciale. l. 5. cas. c. 11. q 4. Thom. 2. 2. q. 43. art. 2. 3. 3. Qvia scandalo dato, seu malo exemplo homines facilè inducuntur ad peccandum. Exemplum. 1. Lea, secuta exemplum sororis ancillam suam Jacob

703147

bo marito dedit in uxorem. Gen. 30. 9. 2. Israelitæ concupiverunt exemplo turbæ convenarum. Num 11. 4. 3. tribus Israeliticæ, exemplo Benjamitarum pacem dederunt Chananæis. Iud. 1. 21. 4. Discipuli exemplo Iudæ indignantur adversus Mariam. Matth. 26. 8. Ioh. 12. 4. 4. Qvia scandalum datum damnatur in Petro, Matth. 16. 23. Balaco, & Balaamo. Apoc. 2. 14. Filiis Heli. 1. Sam. 2. 24. Davide Sam. 11. 2. & 12. 14. Exhortatio. Ergò ne demus aliis scandalum, seu ne peccemus coram aliis. Qværes. 1. An vivere possimus sine scandalo dato? Resp. l. 5. de eas. c. 11. q. 5. 2. Qvæ regulæ observandæ ne scandalum demus? Resp. Ibidem. q. 6. Dehortatio. Ergò scandalum datum ne accipiamus, seu exemplo aliorum ne peccemus, vel à benè agendo avocemur. Qværes, qvæ regulæ sunt observandæ, ne scandalum datum accipiamus? Resp. Ibidem q. 7.

LIV. *Quid verò est scandalum acceptum?*

Si verò, &c. hoc est, scandalum acceptum est manifestum bonum factum vel dictum, per qvod aliqvis citra nostram intentionem, & facti vel dicti nostri naturam inducitur ad peccandum, ut Pharisæi Matth. 15. 12. 13. 14. v. g. propter veram doctrinam alicui irasci, aliis vituperare, ob illam tristari, est scandalum accipere. Differt ergò ut vides scandalum datum ab accepto. 1. qvia illud est in malo opere; hoc verò in bono opere. 2. qvia illud est peccatum nostrum, & etiam alterius, si peccatum nostrum probet, & imitetur; sed hoc est peccatum tantum alterius. Observa ergò. Scandalum acceptum, seu Pharisaicum est vitandum, seu bonis vel non damnandis factis, dictis aliorum, non debemus induci ad peccandū. An ita sit patet. Matth. 15. 12. 13. 14. Sic. Matth. 11. 6. & 13. 57. Marc. 6. 3. Luc. 7. 23. in qvibus locis scandalizari in Christo est, ex conditione abjecta, cui Christus ultro se subjecerat, rejiciendi ipsum occasionem accipere. Cur ita sit patet: 1. Qvia boni operis natura est svadere aliis bonum, non offendere, seu ad peccatum alios inducere. Matth. 5. 16. 2. Qvia scandalum acceptum est peccatum: qvod patet ex reprehensione Christi. Matth. 15. 12. 14. Thom. 2. 2. q. 43. art. 2. 3. Qvia pii magnum dolorem percipiunt ex scandalo accepto, qvod præsertim in fide infimi accipiunt ex factis, & dictis ipsorum. 2. Cor. 11. 29. 4. Qvia scandalum hoc acceptum damnatur in Pharisæis. Matth. 15. 12. 14. temporariis, seu apostatis. Matth. 13. 21. & 24. 10. (collato cum v. 9.) Marc. 9. 7. (atqve adeò in illis qvi offenduntur propter afflictiones annexas Evangelii professioni. Ioh. 16. 1. collato cum v. seqq. & cum c. 15. 18—21.) Nazarenis. Matth. 13. 57. Capernaitis, & qvibusdam ex discipulis Christi. Ioh. 6. 61. collato cum v. 52. 60. Iudæis, qvibus Christus crucifixus erat scandalum. 1. Cor. 1. 23. (Hinc scandalum crucis. Gal. 5. 11.) reprobis, qvibus Christus dicitur esse petra scandali, qvatenus scil. ab eis spretus, & repudiatus author est eis exitii. 1. Petr. 2. 7. Christianis ex circumcisione, offensa-

703147

fensis facto Petri, illúdqve ex infirmitate, seu insciția improbantibus. Act. 11. 2. 3. Dehortatio. Ne ergò scandalum accipiamus, seu ne bonis vel non damnandis aliorum factis, vel dictis inducamur ad peccandum. Si ergò videris qvem sodalem in audiendo verbo, communione cœnæ, eleemosyna danda, &c. ne dicas eum hypocritam. Si videris Pastorem negligere in consectatione panis, & vini priorem elevationem, ne tu negligas uti Sacra Cœna. Si videris qvem subinde infirmari, ne putes eum abjectum esse à DEO. Si videris die veneris qvem edere carnem, ne damnes eum.

LV. *Possumusne scandalum acceptum vitare?*

Scandalum hoc acceptum non possumus vitare, qvia bonũ opus propter aliorũ scandalũ non possumus dimittere, ut vides, Thom: 2.2. q. 43. art. 7. qvia Deus præcipit, ut bona faciamus opera, qvamvis alii illis peraccidens scandalizentur; sed scandalum datum evitare possumus, qvia Deus non præcipit, ut mala opera faciamus, qvibus proximus noster per se scandalizatur, seu offenditur. Additur hoc: qvia scandalũ passivũ aliud sequitur ex malo opere, cum qvis malo facto, vel dicto alicujus inducitur ad malum factum, vel dictum, qvod evitare possumus, qvia fidelis potest per gratiam Dei tàm firmiter adhærere Deo, ut malis aliorum factis, vel dictis non dimoveatur unqvam à bono ad malum. l. 5. cas. c. 1. q. 5. aliud verò sequitur ex recto facto, & dicto, qvod evitare

evitare non possumus (ut dictum) Ergò possumusne vivere sine scandalo activo? Sic. Non possumus vivere sine peccato: Ergò nec sine scandalo activo, qvia peccatum suâ naturâ inductivum est ad peccandum. Resp. Conseq. negatur: qvia infirmitates omnium piorum communes non habent in se aptitudinem ad alios inducendos in peccatum. Ibidem.

LVI. Obj. præcc: Datur etiam scandalum metaphoricum, qvo qvis seipsum scandalizat, V. g. cum qvis inebriatur seipsum scandalizat, id est, inducit in peccatum, n. adulterium, vel homicidium, vel à benè agendo, n. à cultu Dei avocat: Ergò scandalum non tantum est datum vel acceptum. Resp. Conseq. negatur: qvia scandalum illud metaphoricum refertur ad scandalum datum: qvia ut justitia propriè est ad alterum, analogicè verò etiam ad nos ipsos (ut dictum ad th. 5.) Sic injustitia cujus pars est scandalum, propriè respicit alium; sed analogicè etiam nosmetipsos.

LVII. *Quid est realis effectio, seu procuratio boni proximi?*

Cum nos, &c. hoc est, realiter efficere proximi bonum, est non tantum svadere bonum proximi, sed etiam efficere. V. g. non tantum dicere nudo, famelico, ut seipsum vestiat, saturet; sed etiam vestire, saturare, dando illi vestem, cibum, potúmqve. Iac. 2. 15. 16. Observa ergò. Bonũ proximi nostri non tantum svadendum verbo; sed etiam efficiendum re, & facto. An ita sit patet. Hebr. 13. 16. Beneficentiæ ne obliviscimini, id est, bonum proximo

703147

ximorum vestrorum realiter efficite, procurate, bona vestra cum illis communicando. Sic, Lev. 25. 35. Gal. 6. 10. & 6. 6. 1. Ioh. 3. 17. 18. Cur ita sit patet: 1. Qvia bonum proximi est operandum: Ergò bonum ejus est non tantùm svadendum; sed etiam realiter efficiendum. Ratio consequentiæ, qvia operandum bonum proximi non tantum svadendo; sed etiam realiter efficiendo, ut dictum th. 38. 2. Qvia hoc mandat Deus. 1. Ioh. 3. 18. 3. Qvia charitas qværit bona proximi. 1. Cor. 13. 5. 4. Qvia Deus reali effectione, & procuratione boni proximi delectatur. Hebr. 13. 16. Exhortatio. Ergò bonum proximi efficiamus, & procuremus, id est, bona nostra communicemus eum aliis, & beneficentiam exerceamus erga alios, qvi sunt 1. omnes homines. Gal. 10. 14. 1. Thess. 5. 15. (ut Christus. Act. 10. 38.) atqve adeò etiam indigni ipsi, inimici, & persecutores nostri. Matth. 5. 44. ut David. Psal. 7. 5. Pater cœlestis. Matth. 5. 45. Christus. Luc. 22. 41. 2. Pauperes, & afflicti, erga qvos beneficentia, qvæ exercetur denotatur per gratiam. Dan. 4. 27. & commendatur. Exod. 23. 11. Lev. 19. 9. & 23. 22. Deut. 15. 7. Psal. 112. 5. 9. Prov. 19. 27. ejusqve exempla exstant in Boaz. Ruth 2. 8. 14—17. Iudæis. Nehem. 8. 10. Samaritano. Luc. 10. 34. 35. Zachæo. Luc. 19. 8. 3. illi, qvi nobis utilem operam præstant, ut Moses, & Israelitæ. Num. 10. 29. 31. 32. atqve adeò ii. 1. Qvi nobis benefaciunt, erga qvos & ipsi peccatores beneficentiam exercent. Luc. 6. 33. 2. liberi amicorum nostrorum defunctorum, qvi dum

vivérent, nobis benefecerunt, ut David. 2. Sam. 9. 1. 7. & 10. 2. 4. qvi intelliguntur per domesticos fidei. Gal. 6. 10. & per sanctos. Rom. 15. 26. 2. Cor. 8. 4. Per fratres. 3. Ioh. v. 5. atqve adeó Pastores Ecclesiæ. 1. Sam. 9. 7. Gal. 6. 6. præsertim Pastores illi, qvi propter nomen Christi multas gravissimas afflictiones perpetiuntur, ut Philippenses erga Paulum Romæ captivum. Philip. 4. 10. & seqq. Macedones in eundem. 2. Cor. 11. 9. Motivum, præter dictas rationes est, qvia effecta beneficentiæ, seu realis effectionis boni proximi sunt bona, qvæ emanant ex beneficentia, & describuntur. 2. Sam. 2. 5. 6. Prov. 11. 7. 17. 24. & 14. 30. & 22. 9. Gal. 6. 9. 2. Cor. 9. 6. Deus enim amplissimè remuneratur. Hebr. 6. 10. Quæres, qvî debet exerceri beneficentia? 1. Spontè non coactè, Philem. v. 14. atqve adeò facilè, non difficulter, ut Christus. Matth. 9. 13. 19. Act. 10. 38. 2. eam differre non debemus. Prov. 3. 28. Gal. 6. 10. 3. perseveranter, constanter. Galat. 6. 9. & sine oblivione. Hebr. 13. 16.

LVIII. *Quotuplices sunt actus justitiæ?*

Duplices: alii sunt, in qvibus justitiæ natura magis elucet; alii verò sunt, in qvibus charitatis natura magis apparet. Obj. præcc: Omnes justitiæ actus charitatem debent habere conjunctam, ut dictum ad th. 6. Ergò non rectè destingvitur act' justititiæ in eos in qvibus justitiæ natura magis elucet, & in eos in qvibus charitatis natura magis apparet. Resp.

703147

Consecq. negatur: qvia etsi absoluiè omnes actus justitiæ charitatem debeant habere conjunctam; comparatè tamen in uno actu justitiæ magis apparet justitiæ natura, qvàm charitatis: in altero verò justitiæ actu magis elucet natura charitatis, qvam justitiæ V. g. reddere debitum, & dare eleemosynam sunt actus justitiæ, qvi charitatem conjunctam habent, juxta citatam thesin; sed tamen in *reddendo* debito magis elucet natura justitiæ, qvam charitatis: in danda verò eleemosyna magis apparet natura charitatis, qvam justitiæ, ut ex. th. 60. & 61. apparebit.

LIX. *Quæ est causa distributionis officiorum erga proximum in officia justitiæ strictè sumptæ, & in officia charitatis?*

Distributio illa, qvâ actus justitiæ distribuuntur in eos, in qvibus justitiæ natura magis elucet, vel in eos, in qvibus charitatis natura magis apparet. Qvis Author distributionis officiorum erga proximos in officia justitiæ, & in officia charitatis? Christus ipse, qvi. Luc. 11. 42. sic loqvitur: præteritis, id est, negligitis, judicii, id est, officia justitiæ, id est, debita non redditis; & charitatem Dei, id est, officia charitatis, id est, gratis nihil datis, Masl. in h. l.

LX. *Qui sunt actus justitiæ?*

Qvi habent, &c. hoc est, actus justitiæ sunt qvibus ex parte nostra id reddimus qvod debemus, ex parte verò aliorum qvibus scil. debemus

debemus tantum reddimus qvantum debemus. Vel, qvib' reddim' debitũ, & qvidẽ tantũ, qvãtũ debem, seu qvib' tantũ reddim', qvantũ accepimus. Sic reddere pecuniam qvam debes, & qvantam debes, seu qvam, & qvantam accepisti est actus justitiæ. Vel actus justitiæ sunt, qvibus debitum nostrum spectatur magis, qvam bonum alterius. Sic redditio pecuniæ mutuò acceptæ est actus justitiæ, qvia in ea spectatur magis nostrum debitum, qvam alterius bonum, reddere solemus enim pecuniam mutuam nõ tàm ideò, ut proximum promoveamus; qvã ideò, ut nos ab obligatione liberemus.

LXI. *Quid sunt actus charitatis?*

Qvibus bonum alterius spectatur magis, qvàm nostrum debitum; sic in remissione debiti est actus charitatis, qvia in ea bonum alterius spectatur magis, qvam nostrum debitum, solemus enim remittere debitum non tàm ideò qvod debeamus, qvàm ideò, ut proximum promoveamus. Additur, qvam nostrũ debitum, qvia opera charitatis etsi respectu proximi sint gratuita, tamen respectu Dei præcipientis sunt debita. Vel, actus charitatis sunt, qvibus non ex debito, sed ex gratia aliqvid largimur. Sic vestire nudum est actus charitatis, qvia dicimur vestire nudum non ex debito, sed ex gratia.

LXII. *Magis tenemurne officium justitiæ facere, qvam charitatis?*

Sic.

703147

LXIII. Magis tenemurne ergò debita nostra solvere, quam gratis ex nostro aliquid largiri?

Sic: qvia solvere debita nostra est officium justitiæ: aliqvid verò ex nostro largiri, v. g. aliqvem vestire, cibare, alicui aliqvid, ut libros donare, debitum remittere, &c. est officium charitatis. Primò ergò debitum solvas, deinde des eleemosynam, & exercecas hospitalitatem & liberalitatem. Ergò offendens magis tenetur ne reconciliationem qværere, qvam offensus? Sic: qvia offendens, seu lædens ex justitia tenetur reconciliationem qværere: offensus verò, seu læsus ex charitate? Primò ergò lædens veniam delicti petas, postea læsus. Interim si læsus contumax sit, læsus hoc facias, qvia mandatur hoc etiam tibi. Matth. 5. 23. 24.

LXIV. Quotuplex est hæc justitia quoad modum?

Justitia hæc scil. erga proximum, qvoad modum est duplex: n. aliqvando stricta, aliqvando verò mitigata, seu epiikia, id est, æqvitas, mitigatio. Justitia stricta est virtus, qvæ respicit legis tantum finem proximum, & verba: epiikia verò, seu æqvitas, moderatio est virtus, qvæ respicit legis finem remotum, & mentem, seu sensum: ut hujus legis: n. tempore belli urbis portæ clausæ sunt tenendæ, finis proximus est, ne hostes irruant in urbem, & ei noceant: finis verò remotus est salus, & utilitas civitatis. Iam, cum apertio portarum urbis nociva est urbi, justitia stricta postulat, ut lex illa stricte, & severè retineatur: cum verò apertio portarum urbis utilis est civitati, ut, si ex ingressu aliqvorum hostium victoria certò potest exspectari, epiikia postulat, ut lex illa mitigetur, & portæ urbis eo usqve apertæ teneantur. l. 5. cas. c. 2. q. 3. r. 1. 2. Vel, lex stricta, seu jus strictum, seu exactum est cum leges severè retinentur, cum locus, tempus, personæ, ipsaqve legislatoris mens nullam mitigationem reqvirunt: Epiikia verò est summi, seu strictissimi juris moderatio, seu mitigatio, ut Thomas habet. Vel est, cum leges ob aliqvam utilitatē nō servantur, vel saltē severè nō servātur, cū tempus, locus, personæ, legislatoris mens mitigationē reqvirunt, ut colligere poteris ex Burgersd. Phil. mor. c. 21. th. 15. 16. Sūma summarum, justitia stricta exigit, ut leges strictè serventur, si earum observatio utilis sit: æqvitas verò hoc exigit, ut leges non observentur saltem severè, si earum observatio inutilis sit. Sic lex de reddendo depositō juxta justitiam strictam servanda est, si observatio ejus non noceat; sed si alicui noceat juxta æqvitatem, non est servanda. Sic ergò, si non noceat gladium depositum reposcenti reddere, gladius reddendus est; sed si noceat, non est reddendus. Vel, jus strictum est, qvod pœnas peccatis æqvat: Epiikia verò, seu æqvitas est virtus, qvæ propter causam probabilem pœnas peccatis non æqvat: ut cum propter factum, aut officium, aut propter salutem publicam, aut privatam eorum qvi peccant, aut propter scandalum vitandum, aliqvid remittitur de jure

703147

nostro in peccatis puniendis, aut persequendis iniuriis. Pol. pag. 678. Obj. Epiikia negatur esse virtus, & pars justitiæ. Thom. 2. 2. q. 121. art. 1. 2. Ergò non est virtus. Resp. Conseq. negatur. Observa ergò. Epiikia, seu æquitas & mitigatio strictissimi juris, est exercenda. Patet. 1. an ita sit. Gal. 6. 1. Philip. 4. 5. Eph. 4. 2. Tit. 3. 2. Isa. 3. 13. Cur ita sit. 1. Quia maximè decet homines, qui ex infirmitate variis lapsibus & ipsi sunt obnoxii, 2. Quia illa unus quisque nostrum indigere ab aliis potest. 3. Quia leges severè servare, cum illæ mitigationem requirunt, est summa injuria. Dehortatio. Ergò ne exerceamus. 1. Nimiam indulgentiam, quæ est peccatum, cum quis non movetur iis rebus, quibus oportebat moveri ex officio ad pœnam irrogandam delinquentibus, secundum mandatum Dei; sed impunita quævis promiscuè peccata sinit. 2. Rigorem importunum, qui est peccatum, cum quis erga delinquentes, & lapsos immodicè ductus est, censuras, & reprehensiones illorum spiritu mansuetudinis minimè temperans. Exhortatio. Ergò exerceamus æquitatem, id est, ne pœnas peccatis æquemus, ut jus strictum postulat; sed aliquid remittamus de jure nostro in puniendis peccatis, & prosequendis injuriis. Igitur nec nimis indulgeamus peccatoribus, nec nimis rigidi in eos simus.

LXV. *Quotuplex est hæc justitia quæ ad species?*

Justitia hæc scil. erga proximum, seu particularis (nam in hoc capite non est sermo de justitia

justitia universali, seu legali, ut dictum ad th. 2.) quoad species est duplex, n. distributiva, vel emendativa. Justitia distributiva quid? Est qvæ suum unicuíqve tradit, hoc est, cum qvis debito præmio (n. munere, honore, reditu) afficit aliqvem non propter falsas causas, n. divitias, nobilitatem, amicitiam, cognationem, formam, affinitatem, dationem, &c. sed propter justas causas, n. pietatem justitiam, fortitudinem, prudentiam, temperantiam, scientiam, &c. Additur, debito: qvia dignis nō ex gratia, & liberalitate confertur præmiū munetis, honoris, pecuniæ, sed ex debito. Vel, justitia distributiva est, qvæ versatur in distributione officiorum, honorum, præmiorum, ut unicuíqve consentanea pro conditione, statu, & dignitate cujusqve præstentur. Vel, per qvā benefactis debita præmia redduntur, ut virtutum studium alatur augeatúrqve. Vel, qvæ efficit, ut præmia hominibus juxta eorum merita distribuantur. Vel, qvæ æqvalitèr dignis æqvalia, inæqvalitèr dignis inæqvalia præmia distribuit. Obj. Justitia distributiva tradit unicuíqvé res communes: Ergò non sua unicuíqve tradit. Resp. Conseq. negatur: qvia id qvod est totius, qvodam modo est etiam partis, ut vides in Thom. 2. 2. q. 61. art. 1. Qvid verò justitia emendativa? Est qvæ suum cuíqve reddit, hoc est, efficit, ut proximus proximo tantum reddat, qvantum ab ipso accepit. Vel, ut proximus proximum tàm puniat, qvàm peccavit; vel ut proximus proximo tantum restituat, qvanto ipsum injustè privaverat, ut elucet ex ejus speciebus. Obj. Justitia particularis, seu ex-

703147

sen erga proximum dividitur in distributivam, & commutativam, ut vides in. Thom. 2. 2. q. 61. art. 1. Burgersd. phil. mor. c. 22. th. 6. Ergò Author errat. Resp. Conseq. negatur: qvia justitia commutativa non est species immediata justitiæ erga proximum, ut vides in ipso Authore nostro.

LXVI. *Quæ requiruntur ad rectam justitiæ distributivæ præstationem?*

Hæc: n. 1. Recta dijudicatio rerum, & personarum, hoc est, ut ille qvi præmia distribuit, sciat discrimen facere inter præmium magnum, & parvum, hoc, & illud, & inter personam dignam, qvæ scil. servivit, & servire potest societati, & indignam, qvæ scil. non servivit, nec servire potest societati, magis dignam, qvæ scil. plus servivit, & servire potest societati, & minus dignam, qvæ scil. minus servivit, & servire potest societati. 2. Decens comparatio rerum ad res, personarum ad personas, hoc est, ut ille qvi præmia distribuit sciat præmium præmio, personam personæ præferre: adeóqve in divisione præmiorum servare proportionem Geometricam, hoc est, proportionem rerum ad personas. Ut enim persona se habet ad personam, sic etiam res, qvæ datur uni personæ se debet habere ad rem qvæ datur alteri, e. g. sint Ajax, & Ulysses bene de Repub. meriti, ille ut 4. hic ut 3. Cum præmia distribuuntur, præmium Ulysis ita se debet habere ad præmium Ajacis, ut Ulysses se habet ad Ajacem. Qvare si Ajacis præmium est ut 6. præmium Ulysis

Ulysis debet esse ut 12. Burgersd. idea Phil. mor. c. 22. th. 10. Thom. 2. 2. q. 61. in axiomate. Observa ergò. Iustitia distributiva est exercenda, hoc est, præmia æqvalibus æqvalia, inæqvalibus inæqvalia dari debent. Patet. 1. an ita sit. Rom. 13. 7. 2. ex exemplo Iosephi Patriarchæ, qvi cum fratres suos convivio exciperet, pro ætate cujusqve loca illis designavit. Gen. 44. 33. 2. cur ita fit patet: 1. Qvia justitiam distributivam Deus præcipit. Rom. 13. 7. 2. Qvia justitia distributiva conservat studium virtutis, & pacem inter homines: si enim dispensator unicuiqve secundum dignitatem, statum, conditionem, distribuat officia, honores, præmia, unumqvemqve excitat ad virtutes comparandas, & conservat in tranqvillitate; sed si secùs faciat, studium virtutum & pacem tollit, experientiâ teste. 3. Qvia Deus justitiam distributivam exercet: Dat enim dona sua unicuiqve secundum suam conditionem, statum, naturam, ut videmus. Et qvidem solam: Non enim exercet commutativam, qvia omnia nostra à Deo sunt, nec qvisqvam, qvippiam dederit, pro qvo à DEO sibi retribuatur, Rom. 2. Qvis prior dedit illi, & retribuetur illi. Thom. 1. p. q. 21. art. 1. Exhortatio, & dehortatio: Ergò: 1. doctis majorem honorem, digniorem locum, excellentius officium assignemus: indoctioribus verò secùs. Ne locum habeat illud: Doctus, & indoctus nullo discrimine jacent. 2. ne exaltemus impios, & dejiciamus pios. 3. ne negligamus fortes, & eligamus pusillanimes ad officia.

703147

LXVII, Quid opponitur justitiæ distributivæ ?

Acceptio personarum. Quid ? Quâ, &c. hoc est, personarum acceptio est peccatum, cui quis dignum, id est, virtutibus præditum, adeóque eum qui societati utiliter servivit, vel servire potest, debito præmio, n. officio, honore, reditu, non afficit, propterea quod sit pauper, ignobilis, extraneus, &c. sed indignum, id est, virtutibus destitutum, adeoque eum, qui societati nec servivit, nec utiliter servire potest, præmio afficit, propterea quod sit dives, adeóque aliquid dedit, vel dare potest, nobilis, cognatus, affinis, amicus, compater, &c. Observa ergò. 1. Acceptio personarum est peccatum. Patet, 1, an ita sit. Iac. 2. 1. 4. 9. Deut. 1. 17. Prov. 18. 5. & 28. 21. 2. Cur ita sit. Quia justitiam, & charitatem in eodem actu excludit. Nam. 1. Privat homines bonis quæ illis debentur. 2. Quia res levissimas, & alienas pluris facit, quàm res magnas ad quas attendere tenetur, pervertit ordinem societatis humanæ. Eccl. 10. 2. 3. 4. 3. Quia viam directam, & facilem facit ad omne genus peccati. Prov. 28. 21. 4. Tollit (quantum in ipsa est) discrimen inter merita bona, & mala. Refutatio. Ergò errant qui dicunt acceptionem personarum non esse peccatum. Obj. Apud Deum nulla potest esse iniquitas, vel peccatum. Sed Deus videtur personas accipere, quia interdum duorum hominum unius conditionis, unum assumit per gratiam, & alterum relinquit in peccato, secundum illud Matth. 24. Duo erunt

erunt in lecto, unus assumetur, & alius relinquetur : Ergò acceptio personarum nõ est peccatum. Resp. Duplex est datio, una quidem pertinens ad justitiam, quâ scil. aliquis dat alicui quod ei debetur, & circa tales dationes attenditur personarum acceptio : Alia est datio ad liberalitatem pertinens, quâ scil. gratis datur alicui quod ei non debetur, & talis est collatio munerum gratiæ, per quæ peccatores assumuntur à Deo, & in hac donatione non habet locum personarum acceptio : quia quilibet absque injustitia potest de suo dare quantum vult, & cui vult : secundum. Matth. 20. An non licet mihi quod volo facere ? Tolle quod tuum est, & vade.

2. Acceptio personarum est fugienda. Patet, 1. an ita sit. Ioh. 7. 24. Iac. 2. 1. 9. Exod. 23. 8. Lev. 19. 15. Deut. 1. 17. & 16. 19. Psal. 82. 2. collato cum v. 3. 4. Prov. 18. 5. & 24. 23. & 28. 21. 2. Cur ita sit. Quia peccatum est : 1. quia adversatur justitiæ distributivæ. 2. quia prohibetur. Deut. 1. 17. 2. Quia acceptio personarum non est apud Deum. Deut. 10. 17 2. Chron. 19. 7. Iob. 24. 19. Act. 10. 34. Rom. 2. 11. Gal. 2. 6. Eph. 6. 9. Colos. 3. 25. 1. Petr. 1. 17. 3. Quia apud Christum non fuit acceptio personarum, seu Christus in docendo non respiciebat ad personas hominũ, ut scil. ad eorum voluntatem inflecteret sermonem suum : libere enim docebat, & redarguebat omnes, qui redarguendi erant, non solum pauperes ; Sed etiam divites, ac potentes, sive irascerentur, sive acquiescerent. Matth. 22. 16. Marc. 12. 14. collato eum. Luc. 20. 21.

Dehor-

703147

Dehortatio. Ergò. 1. Ad officia Ecclesiastica, vel secularia indignos, id est, scientiâ, probitate, promptitudine, &c. carentes ne promoveamus : qvia hac electione. 1. Deus privatur suo honore, qvem pro officii ratione sustinere debent omnes qvi munere publico funguntur. 2. bonum commune, ad qvod munera publica ordinantur, hac ratione impeditur. 3. injuria fit dignis, qvibus officiorum publicorum honor, tanqvam præmium debetur. 4. injuria fit ipsi virtuti, cujus proprium alimenum honor ipsi negatur, & perversè transfertur ad ejus contemptum fovendum. 2. Ne prætermisso digniore eligatur minus dignus. Ratio est, 1. Qvia dignus in comparatione ad digniorem est indignus. 2. Qvia dignior magis respondet fini, qvi in electione debet spectari. In Ecclesiasticis electionibus hoc palam est : qvia Ecclesia semper debet qvantum fieri potest ædificari per suos ministros. Eph. 4. v. 12. 13. 14. 3. Ne indignis honorem & reverentiam exhibeamus. 4. Propter divitias simpliciter neminẽ honoremus. l. 5. cas. c. 5. & Thom. 2. 2. q. 63.

LXVIII. *Quotuplex est justitia emendativa ?*

Dũplex : commũtativa, vel correctiva.

LXIX. *Quid est justitia commutativa ?*

Est æqvalitas redditi, & accepti, hoc est, justitia commutativa est justitia emendativa, qvæ hoc exigit, ut in contractibus tantum reddamus, qvantum accepimus. V. 5, accepi à te operam

operam unius diei : ergò juxta contractum reddere debeo tibi denarium. Marth. 20. Sic accepi à te 4. ternarios : Ergò juxta pactum reddo tibi justam vini. Justitia commutativa est justitia emendativa : qvia emendat, seu tollit injustitiam commutativam, seu inæqvalitatem redditi, & accepti à contractibus. Vel, justitia commutativa, est justitia particularis, per qvam æqvitatem in acqvisitione rerum, in adeunda hæreditate, in commerciis, seu negotiationibus, & contractib⁹ servamus ex pacto, sic ut cum proximo in omnibus ita agamus, qvemadmodum nobiscum agi cuperemus. Brevius : justitia commutativa, est justitia particularis, qvæ servat æqvalitatem in contractibus, seu in commutatione rerũ, & preciorũ, operarũ & officiorum. Hujus virtutis est, cum proximo bonâ fide agere, cúmqve non circumvenire in contractu ullo, sive mercatorio, qvi tripliciter fit, aut res pro rebus, aut pro pecunia res, aut pecuniam pro pecunia commutando ; è qvibus contractus primus permutatio ; secundus, emtio, venditio ; tertius cambium appellatur : sive alioqvin civili, ut sunt, mutuatio, commodatio, donatio, locatio, conductio, oppignoratio, depositum, societas, emphyteusis, de qvibus infra c. 20. th. 22. 23. Observa ergò. Justitia commutativa est sanctè exercenda. Pater. 1. an ita sit. Gen. 23. 3. & seqq. ubi justitiæ commutativæ in emptione ; & venditione exemplum est in Abrahamo. 2. cur ita sit. 1. Qvia à Deo præcipitur. Exod. 20. Non furaberis. Lev. 19. 36. Deut. 25. 15. 2. Qvia accepta est Deo. Prov.

703147

11. 1. 3. Qvia multas utilitates adfert. Nam prolongat vitam. Deut. 25. 15. per totam hanc vitam usqve ad tranqvillissimum securitatis portum deducit. Prov. 11. 3. eripit à morte. Prov. 10. 2. & 11. 4. &c. 4. Qvia melior & præstantior est gemmis, mercibusqve pretiosis, ut & auro pro gemmis, abiisqve mercibus accepto. Prov. 20. 14. 15. Exhortatio. Ergò exerceamus justitiam commutativam, seu servemus æqvalitatem accepti, & redditi in contractu: ut in permutatione, in emptione, venditione, cambio, mutuatione, commodatione, locatione, conductione, oppignoratione, depositio. Dehortatio. Ergò fugiamus injustitiam commutativam, seu inæqvalitatem in contractibus recensitis. 1. Qvia à Deo prohibetur in Decalogo. Exod. 20. v. 15. Non furabetis. Et cap. 22. v. 21. 22. Levit. 19. v. 11. 13. 35. & Cap. 25. v. 14. 17. Deut. 25. 13. 14. 1. Thess. 4. v. 6. Prov. 23. v. 10. 2. Qvia abominationi est Deo, & ab eo gravitèr punitur. Deut. 25. 16. Prov. 11. 1. & cap. 20. 10. 23. 1. Thess. 4 v. 6. 3. Qvia mala multa eam exercentibus adfert; veluti egestatem. Prov. 10. v. 3. 4. & cap. 19. 15. dolosa anima esuriet vindictam divinam. Exod. 22. v. 21. 24. 1. Thess. 4. v. 6. Et cap. 25. v. 11 exclusionem è regno Dei. 1. Cor. 6. v. 8.

LXX. *Quid est justitia correctiva?*

Correctiva justitia est justitia emendativa, qvæ injustitiam aliqvam corrigit. Qvotuplex est justitia correctiva? Duplex: civilis, vel criminalis.

LXXI. *Quid est justitia civilis?*

Justitia civilis est justitia correctiva, qvæ præcipue injustitiam rei corrigit, seu qvæ corrigit peccatum, non peccantem: corrigitur autem peccatum, cum petitur, ut damnum per peccatum illatum parti læsæ refundatur; sed peccans ne puniatur.

LXXII. *Quid verò est justitia criminalis?*

Est justitia correctiva, qvæ præcipuè injustitiam personæ corrigit, seu qvæ corrigit peccantem: corrigitur autem peccans cum petitur, ut peccans puniatur, sed damnum parti læsæ ne refundatur. l. 5. cas. c. 2. q. 6. r. 4. Additur, præcipuè: qvia in causa damni vi manifesta dati, conjungitur justitia civilis, & criminalis, qvia in ea corrigitur & peccatum, & peccans, in ea enim petitur à Judice, & damni refugio, & pœna rei, hoc est, & hoc ut bos ablatus restituatur, & hoc, ut ablator puniatur. Libidem. r. 6.

LXXIII. *Qui sunt actus justitiæ correctivæ?*

Vindicta (seu vindicatio, pœna, ultio) & restitutio.

LXXIV. *Quid est vindicta?*

Vindicta est actus justitiæ correctivæ, qvo pœna infligitur illi, qvi justitiam violavit, seu eam punitur ille, qvi peccavit.

703147

LXXV. Qui sunt fines vindictæ?

1. Ut ille, qui punitur, emendetur, seu cohibeatur, ne deinceps peccare pergat, & audeat. Rom. 13. 4. 2. Ut alii admoneantur, seu à peccatis deterreantur. Deut. 19. 20. 3. Ut parti læsæ & aliis in reliquum securitas præstetur. Rom. 13. 4. 1. Tim. 2. 2. adeóque ut homines erga Deum pii, erga se verò justi sint. Quæres: 1. Qualis vindicta est actus justitiæ correctivæ? Non privata, qvâ privatus læsum lædentem punit; sed publica, qvâ superior potestate alios lædentē punit, ut infra habebimus. c. 17. th. 43. 2. Vindicta estne licita? vindicta privata est illicita; & etiam publica, si procedat ex odio, & fiat ob malos fines; sed est licita si oriatur ex charitate, & fiat ob dictos fines: qvia vindictam publicam Deus ordinavit. Rom. 13. Obj. Deut. 32. 35. Mea est ultiō: Ergò vindicta publica exercenda per superiorem potestate est illicita. Resp. Conseq. negatur: nam Dei est ultio vel per superiorem potestate irroganda. Rom. 13. vel per semetipsum, De ultione, qvam Deus per se ipsum irrogare solet vide Ravan. sub dictione pœnæ: ubi notatu dignissima documenta offendes. Thom. 2. 2. q. 108. art. 1. 3. Vindicatio publica ad qvam justitiæ speciem pertinet? Ad justitiam emendativam, ut dictum. 1. Obj. Peccata graviora gravius, leviora levius punienda sunt: Ergò vindicta publica pertinet ad justitiam distributivam. Resp. Conseq. negatur: qvia etsi vindicatio illa similitudinem qvandam justitiæ distributivæ habeat; tamen ad eā non pertinet, qvia distributiva justitia circa bona distribuenda versatur, ut ex definitione vides; sed vindicatio versatur circa inflictionem mali. 2. Obj. Author refert vindicationem ad justitiam commutativam l. 5. cas. 2. 3. q. 1. Ergò sibi contradicit. Resp. Conseq. negatur. 4. An vindicatio debeat fieri per pœnas in lege DEI determinatas? Sic. Thom. 2. 2. q. 108. art. 3. 5. An vindicta possit juste exerceri in eos, qvi à culpa sunt immunes. Respondet Author. l. 5. cas. c. 3. q. 2. Et Thom. 2. 2. q. 108. art. 4. Observanda ergò. 1. Vindicta publica est licita, & exercenda. Patet. 1. an ita fit. Rom. 13. 4. 1. Petr. 2. 14. 2. cur ita fit. 1. Qvia peccata punirivult Deus. 2. Qvia peccata sunt causa publicarum calamitatum, & ruinæ Reipublicæ, & Regiminis, nisi à Magistratu puniantur: ut testatur diluvium universale, Sodoma, & Gomorrha, Respublica Israelitica sub Iudicibus, & deinceps sub Regibus tot Monarchiæ eversæ, tot urbes devastatæ. Hoc inculcant omnia scripta Prophetarum. Pœnarum qvibus Magistratus peccatores afficit fines th. seqventi. enumeratos adde his rationibus. Exhortatio. Magistratus exercete vindictam. At qvi? 1. Severe, id est, sine mitigatione pœnæ, si delictum ita postulet. Exod. 21. 12. Sed nō crudeliter & tyrannicè, ut Saul jussit Sacerdotes Dei tyrannicè occidi. 2. Clementer, id est, adhibitā mitigatione pœnæ, si delictum permittat; sed non nimis molliter, ut exemplum præposteræ clementiæ Saulis in Agagum docet. 1. Sam. 15. 9. & Achabi in Benhadadum. 1. Reg. 20. 42.

703147

2. Vindicta privata est illicita, & fugienda. Patet. 1. an ita sit. Rom. 12. 17. & Rom. 13. 4. 1. Petr. 2. 14. 2. cur ita sit. 1. Quia vindicare alterius maleficium pertinet ad eum, qvi est potestate superior: sed privati omnes sunt jurè æqvales. 2. Qvia vindicta est actus judicii, & nemo est idoneus Iudex in sua propria causa, qva etiam ratione fit, ut qvi vindictam petit à Iudice, non rectè petat nisi subista conditione, si (causa cognita) ita fuerit judicatum. 3. Qvia privatus non potest per se, ad proprios fines vindictæ pertingere. Cum enim in alienis injuriis vindicandis, hæc tria spectari debeant à lege, & Magistratu, ut eum qvem punit emendet. Rom. 13. 4. ut pœna ejus, cæteros meliores reddat. Deut. 19. 20. & ut parti læsæ, ac aliis in reliqvum securitas præstetur; Exod. 21. 18. Rom. 13. 4. 1. Tim. 2. 2. nihil horum assequitur ille, qvi privatam vindictam exercet. Adversarium enim magis, magisqve irritat, aliis exemplum præbet scandali plenum; & vexationem sibi, & aliis accersit nullis finibus terminandam. 4. Qvia vindicta est propria Dei. Deut. 25. 35. Rom. 12. 19. Hebr. 10. 30. non igitur suscipienda est, nisi ab iis qvibus est à Deo commissa, qvorum vindicatio est ultio Domini. Num. 31. Institutio. Ergò privati non debent vindictam exercere, seu suos lædentes punire; sed contra illos à Magistratu debent vindictam petere & exspectare, id qve non ex odio, seu delectatione mali proximi, hoc enim est vinci à malo. Rom. 12. sed ex charitate, & ob dictos fines. l. 5. cas. c. 3. q. 1. r. 5. & 7. Thom. 2. 2. q. 108. art. 1. c.

LXXVI. Quid est restitutio?

Restitutio est actus justitiæ correctivæ, qvo qvis alteri restituit id, qvod ab ipso injustè, vel invitè accepit. Obj. Restitutionem dicit Author propriè actum justitiæ commutativæ. l. 5. cas. c. 4. q. 1. r. 2. Ergò sibi contradicit. Resp. Conseq, negatur: qvia restitutio qvatenus tantum debemus restituere, qvantum injustè accepimus, est actus justitiæ commutativæ; sed qvatenus injustam ablationem corrigit est actus justitiæ correctivæ. Obsetva ergò. Unus qvisqve id, qvod ab alio injustè accepit restituere ei tenetur. Patet. 1. an ita sit. Num. 5. 7. 1. Sam. 12. 3. Nehem. 5. 11. Luc. 19. 8. Hic qvæstiones & objectiones videre poteris in Authore l. 5. de consc. c. 4. & in Thom. S. S. q. 62. art. 2. 2. cur ita sit. 1. Qvia retentio rei alienæ invito Domino, est actio illicita, species furti, & specialiter prohibetur. Rom. 13. 7. 8. 2. Qvia non remittitur peccatum nisi restituatur ablatum: qvia si res aliena propter qvam peccatum est, reddi possit, & non redditur, pœnitentia non agitur, sed simulatur. 3. Qvia restitutio est actus justitiæ correctivæ: Ergò, &c. Ratio consequentiæ, qvia justitiam conservare unusqvisqve tenetur. Exhortatio. Ergò si injustè aliqvando aliqvid alicui eripuisti, restitue. Moveant te rationes; præcepta DEI; exemplum Samuelis, & Zachæi.

LXXVII. Qua actio obligat ad restitutionem, & cui virtuti est contraria?

703147

Actio obligans ad restitutionem est injusta acceptio, ut vides in scholastica Becani. q. 3. p. mihi 719. Iusta acceptio non obligat ad hoc, ut id, quod ab aliquo accepimus, ei restituamus; sed injusta acceptio ita. 2. Injusta acceptio contrariatur. 1. charitati, quæ hoc exigit, ut bonum proximo optemus, & procuremus, ne bonum ejus injustè accipiamus. 2. justitiæ strictè sumptæ, quæ hoc exigit, ut severè retineamus legem de non furando, id est, de bono aliquo, invito possessore, accipiendo.

LXXVIII. *Quid opponitur justitiæ huic?*

Iustitiæ huic, (quæ scil. complectitur in se officia proximum spectantia, quæ etiam justitia particularis dicitur comparatè ad justitiam universalem, quæ officia erga Deum, & proximum complectitur, & vocatur observantia seu obedientia erga Deum) opponitur injuria, seu injustitia particularis. Quid ergò est injuria, seu injustitia particularis? Est peccatum, quo inclinamur ad debitum officium proximo non præstandum: contrariorum enim contrariæ sunt definitiones. Injuria ergò est lædere famam proximi, occidere, mœchari, furari, mentiri, concupiscere. Observa ergo. Injuriâ alii alios non debent afficere. Patet. 1. an ita sit. Act. 7. 26. Lev. 19. 18. & 25. 17. Psal. 15. 3. Matth. 7. 12. 1. Thess. 4. 12. 2. cur ita sit. 1. Quia injuria est peccatum, quia adversatur justitiæ, quæ est virtus. 2. Quia injuria afficientes proximum vocantur injusti. Apoc. 22. 11. ubi injustè agere est injuriam facere: videtur enim

enim allusio esse, ad. Dan. 12. 10. 3. Quia injuriâ afficientes proximum damnantur. Matt. 5. 39. ut iste qui repulit Mosem benemerentem. Exod. 2. 13. 14. Act. 7. 27. AEgyptius. v. 24. Iudæi, & gentiles Iconientes. 14. 5. quidam Chorinthiorum. 1. Cor. 6. 8. testis injurius, seu mendax. Deut. 19. 16. 4. Quia injuriam qui intulerit, referet injuriam, (id est, mercedem injuriæ) quam intulerit. Colos. 3. 25. injuriæ enim Authores Deus graviter punit. Psal. 7. 17. ut Abimelechum, & Sichemitas. Iud. 9. 24. 55. 56. Davidem, propter negotium Uriæ: 2. Sam. 12. v. 10. 11. Saulem, qui occiderat Gabaonitas, & punitus est etiam in posteris. 21. v. 1. 9. Achabum, & ejus uxorem, qui Nabothum ad supplicium rapi jusserant, ut vineâ ipsius potirentur: 1. Reg. 21. v. 19. 19. Deus siquidem videt, & novit injuriam, quâ improbi afficiunt bonos, adeò ut bonorum causam contra improbos agat: Gen. 31. 12. Lam. 3. 59. denique, injuria afficientes proximum, seu injusti, non possidebunt Regnum Dei. 1. Cor. 6. 9. Dehortatio. Ergò injuriam nemini faciamus. Moveat nos exemplum Iobi. 31. 34. Davidis, & militum ejus. 1. Sam. 24. 7. 15. item Davidis. 1. Chrō. 12. 17. Psal. 7. 4. Pauli. Act. 25. 10. 2. Cor. 7. 2. Exhortatio. Ergò: 1. Injuriam quâ proximum affecimus debemus confiteri, & veniam ab eo postulare. 2. Cor. 12. 13. ut præfectus. poculis. Gen. 41. 9. Fratres Iosephi. 50. v. 15. &c. Aron. Num. 12. 9. 10. 11. Semei. 2. Sam. 19. 18——20. amici Iobi. Iob. 42. 7——9. filius prodigus. Luc. 15. 17. 21.

703147

2. Ne iniuriâ affecti ab aliqvo, cum iterum injuriâ afficiamus. Ergò. 1. Injurias patienter toleremus, ut Moses. Num. 12. 1. 3. David. 2. Sam. 16. 11. 12. Christus. Esai. 53. 7. Luc. 23. 34. Stephanus. Act. 7. 60. Paulus. 1. Cor. 4. v. 12. 13. præsertim injurias nobis ab hominibus neqvam illatas, imprimis autem servi Dei patientes sint in tolerandis hominum adversus ipsos injuriis, & murmurationibus. Ex. Moses. Exod. 14. v. 12. 13. & 16. 8. impatientia enim in ferendis injuriis damnatur: Prov. 12. 16 & 14. 29. & 19. 19. Ex. in murmuratoribus filiorum Israelis: Exod. 5. 21. Abisai. 2. Sam. 16. 9. Achitophele: 17. 23. Semei. 20. v. 1. 2. Hamano: Est 3. 6. Nebucadnezare: Dan. 3. 13. Herode. Matth. 2. 13. discipulis: Luc. 9. 54. collato eum vers. 55. Atqve adeò 1. injuriam nobis illatam non debemus ulcisci. Sed eam Deo committere: Deut. 32. 35. Prov. 20. 22. Matth. 5. 39. Rō. 12. 19. Hebr. 10. 3. qvod Reges imprimis præstare debent, hi enim injurias sibi ab hominibus neqvam illatas debent prudenter dissimulare, & contemnere, præsertim, Regno nondum benè firmato. Ex. Saul. 1. Sam. 10. 27. & 11. v. 12. 13. (& verò, Reges qvi nondum in Regno benè firmati sunt, injurias sibi illatas à subditis, qvi authoritate pollent, ferre coguntur. Ex. Isboseth: 2. Sam 3. 11. David, v. 39.) deniqve, Reges injurias sibi illatas condonent veniam petentibus. Ex. Idem David. 19. v. 19. &c. 2. injurias acceptas oblivisci debemus. Ex. Esau oblitus est tandem injurias, qvibus à fratre Iacobo se affectum fuisse putabat,

putabat, & de qvibus se ultionem sumpturum prædicaverat. Gen. 27. 41. (collato cum v. 43.) David oblitus est injuriæ ipsi illatæ, à Saule qvi filiam majorem, qvam Davidi promiserat, alteri dedit, & libenter acqvievit, cum Rex alteram filiam promisisset ipsi. 1. Sam. 18. v. 19. 23. 3 injurias nobis illatas condonare debemus, & qvidem ex animo Matth 6. v. 12. 14. 15. & 18. 35. multoties, & maturè. Eph. 4. 26. ac præsertim, cum mors nostra instat. Luc. 23. 34. Act. 7. 60. sic autem Deus in Christo nobis propitius est Colos. 3. 13. & è contra Matth. 7 2 & 18. 15. Marc. 2. 13. itaqve, erga eos qvi nos injuriâ affecerunt, placidi esse debemus, præsertim si nobis satisfaciant, aut veniam à nobis petant. Ex. Abraham. Gen. 20. 17. Ioseph 45. v. 5. & seqq. Moses. Num. 12. v. 11. 12. 13. David. 1. Sam. 25. v. 28. 32. non est tamen illicitum de injuria nobis illata expostulare. Ex. in Sarai Gen. 16. 5. Abrahamo. 21. 25. Abimelecho. 26. v. 9. 10. Iacobo. 31 v. 5. & seqq. Lea, & Rachela. v. 14. 15. 16. & coguntur pii apud Deum qviritati de injuriis qvas patiuntur, qvin etiam nihil prohibet justis adminiculis à Deo subministratis injuriam repellere. Ex. in Paulo. Act. 22. 25. & qvamvis injuriæ non sint retaliandæ. Matth. 5. 39. utendum nihilominus est adminiculis à Deo porrectis ad cohibendam impiorum libidinem, ne saltem aliis similiter noceant. Ex. in eodem. 26. 27. damnantur verò illi, qvi inesse qverantur, & expostulant de injuria sibi facta. Ex. operarii primi, Matth. 20. 13. (collato cum vers. 12.) interpres legis. Luc. 8. 49.

703147

LXXIX. *Quid opponitur charitati?*

Malevolentia. Qvid? Est peccatum cum qvis malum proximo precatur, & operatur: charitatis enim erga proximum partes sunt precatio pro bono proximi, & ejusdem operatio, ut dictum th. 30. Ergò etiam malevolentiæ partes sunt precatio pro malo proximi, & ejusdem operatio: oppositorum enim oppositæ sunt partes: Obj. Charitati opponitur totum odium: Ergò non tantum malevolentia, qvæ est tertia pars odii, nam ut charitatis partes sunt unio, complacentia, benevolentia: sic odii partes sunt disunio, displicentia, malevolentia. Resp. Conseq. negatur: qvia in charitate hoc in loco benevolentia consideratur magis, qvàm unio, & complacentia, ut patet ex ejus partibus, th. 30. Qvot modis malè vult qvis proximo? Duobus: 1. formaliter, seu directè, cum qvis intendit proximo malum precari, & operari: ut ille qvi proximū maledicit, ut Semei Davidē, prodit, ut Judas Christum; vel virtualiter, seu interpretativè, indirectè, cum qvis negligit proximo bonum precari & operari, ut illi qvi pro liberatione exulum nec orant, nec eam pro virili operantur, qviqve nudum non vestiunt, famelicum non cibant, &c.

LXXX. *Quid pertinet ad istam malevolentiam?*

Discordia injusta. Additur, injusta: nam discordia est vel justa, qvâ in malo ab aliis dissentimus, ac proinde est virtus, & sic discordare debent pii ab impiis; vel injusta, qvâ in bono

bono ab aliis dissentimus, adeóqve est peccatum, & sic discordare solent impii à piis. Qvi vocatur discordia injusta. 1. Discordia injusta, vel manet in corde, vel erumpit, & facit ut unus ab alio secedat. Non illa; sed hæc vocatur schisma, qvia schisma dicitur ab scindēdo, & est scissio, separatio, disjunctio, & dissolutio unionis illius, qvæ debet inter Christianos observari, ut dicit Author noster l. 5. cas. c. 12. q. 1. 2. Secessio unius ab alio, est vel in bono civili, vel in bono religioso: Illa vocatur schisma impropriè: hæc verò propriè. Vel schisma accipitur. 1. pro dissidio in genere. Sic. 1. ne sit schisma in corpore, seu inter membra corporis, Deus curavit. 1. Cor. 12. 25. 2. Schisma ortum est propter Christum in turba, Joh. 7. 43. inter Pharisæos. 9. 15. inter Judæos. 10. 19. Sic scissa est multitudo urbis Iconii propter prædicationem Pauli & Barnabæ. Act. 14. 4. & multitudo constans ex Phatisæis & Sadducæis propter verba Pauli. 23. 7. 2. specialiter pro dissidio inter membra Ecclesiæ circa disciplinam externam, ritus Ecclesiasticos, qvo fit, ut contentiosi, qvi alioqvi cum aliis in doctrina consentiunt, tamen se se ab aliis sejungunt, ficqve Ecclesiam scindunt, & dividunt. Qværes ergo. 1. Qvid est hoc schisma? Schisma specialiter acceptū est discordia, qva qvis discordat à vera Ecclesia in vera disciplina, & veris ritibus Deum colendi. Vel, hoc schisma est peccatum, cum qvis non concordat cum vera Ecclesia in bonis, seu non cōmunicat cum vera Ecclesia in actionibus piis, seu una cum vera Ecclesia non exercet actus

703147

communionis sanctorum, id est, una cum vera Ecclesia non audit verbum DEI, non utitur Sacramentis, non frequentat templum, non fovet ministerium, non subjicit se censuræ Ecclesiæ, non precatur & operatur bonum membrorum Ecclesiæ, qvamvis una cum vera Ecclesia in omnibus articulis fidei consentiat. Obj. Thomas. 2. 2. q. 39. schisma dicit esse peccatum, per qvod qvis Christo & ejus Vicario subesse, & Ecclesiæ membris ei subjectis communicare recusat: Ergò non non rectè definimus schisma. Resp. Conseq. negatur. 2. An & qvomodo schisma proprium ab hæresi differat? Respondetur. l. 5. cas. c. 12. q. 2. ubi, & in Thoma citato loco alias etiam qvæstiones de schismate videbis. Observa ergò. Schisma hoc propriè dictum est valdè fugiendum. Patet. 1. an ita sit. Gal. 5. 20. ubi dissidia, qvæ damnantur, notant schisma. Sic. 1. Cor. 1. 10. & 12. 25. 2. cur ita sit. 1. Qvia schisma propriè dictum est gravissimum peccatum. Nam. 1. Adversatur charitati erga proximum & privat eum spirituali bono. 2. Adversatur ædificationi illius, qvi facit separationem, qvatenus privat semetipsum communione in bono spirituali. 3. Adversatur honori Christi, qvatenùs unitatæ corporis ejus mystici suo modo tollit. 4. Viam facit ad hæresin, & separationem à Christo. 2. Qvia emanat ex carne, seu vitiositate nativa: unde schismatici vocantur carnales. 1. Cor. 3. 3. 4. 3. Qvia est malum valdè pernicioſum, ut colligitur ex. 2. Cor. 1. 13. & 13. 25. & hoc nomine damnatur in Corinthiis. 1. Cor. 1. 10. & 11. 18. Correctio.

ctio. Peccant ergò schismatici, id est, secedentes ab Ecclesia, qvoad disciplinam veram, & ritus Deum colendi veros, seu qvi non amant concordiam, seu unionem, & communionem sanctorum, adeóqve una cum Ecclesia verbum Dei non audiunt, Sacramentis non utuntur, &c.

CAPUT. XVII.

De honore proximi.

ANALYSIS.

HOnor proximi explicatur. I. A genere tùm remoto, qvod est justitia immediatè proximum afficiens. th. 1. tùm minus remoto, qvod est justitia respiciens gradum conditionis proximi. th. 2. II. A præcepto, qvo præcipitur. th. 3. III. A fundamento, seu subjecto, ne societate hominum œconomicâ, & Politica. th. 4. qvæ societas. 1. duobus consectariis illustratur. th. 5. 6. 2. ab objectionibus vindicatur. th. 7—8. IV. A definitione. th. 9. ubi ratio redditur. 1. cur honor dicatur simul agnitio, & æstificatio alienæ excellentiæ. th. 11. unde cõsectarium infertur. th. 12. V. A præstantia. th. 13. VI. A synonymo. th. 14. unde consectarium infertur. th. 15. VII. Ab officio honorandi, qvod omnibus debemus: qvod explicatur. 1. à descriptione. th. 16. 2. ab opposito, qvod est læsio famæ proximi. th. 17. qvæ explicatur. 1. à definitione. th. 18 2. personis, apud qvas fieri solet. th. 19. solet enim fieri læ-

703147

sio famæ: 1. apud nosmetipsos tantum, qvæ describitur, & ejus synonymum indicatur. Ibidem. 2. apud alios etiam cujus læsionis famæ, notantur. 1. media. th. 20. 2. modi. th. 21. 3. nomina, seu species: nam læsio famæ per impositionem mali culpæ, vel pœnæ, si fiat coram proximo, vocatur vel contumelia, vel derisio, vel convitium; si verò fiat clam proximo vocatur detractio. th. 22. qvæ: 1. directè versatur circa malum proximi, & qvidem. 4. modis. th. 23. qvi modi carmine continentur. th. 25. 2. indirectè versatur circa bonum proximi, & qvidem. 4. modis. th. 24. qvi modi carmine continentur. th. 26. 3. ab opposito, 1. restitutione famæ læsæ. th. 27. VIII. A distributione in subjecta: honoris enim officia alia sunt imparium, alia parium th. 28. ubi primò de imparibus, qvi sunt. 1. superiores, qvi explicâtur. 1. Ab officiis. th. 29. 2. A causis superioritatis qvæ sunt: 1. simplex qvalitas. th. 30. qvæ est. 1. ætas th. 31. ubi superiorum ætate officium notatur. th. 32. 2. bona: ubi superiorum bonis officium describitur. th. 33. 2. potestas, ubi superiorum potestate officium explicatur. 1. à descriptione. th. 34. 2. à modis. th. 35. ii enim exercent officium suum: 1. protectione: cujus notatur: 1. descriptio. 2. adjunctum. th 36. 2. rectione, qvæ 1. definitur. th. 37. 2. distingvitur in directionem, vel remunerationem. th. 38. qvarum illa. 1. describitur th. 30. 2. ejus adjunctum qvoddam, vel modus notatur. th. 40. hæc verò describitur. th. 41 ex qvo consectarium infertur. th. 42. unde aliud consectarium sequitur. th. 43.

43. 3. à commodis inferiorum, qvibus prospicere debeant. th. 44. 3. A distinctione in privatos, vel publicos. th. 45. ubi. 1. de privatis, qvi recensentur. th. 46. eorúmqve potestatis qvalitates indicantur. Ibidem. 2. de publicis, qvi. 1. recensentur. th. 47. 2. eorum veræ differentiæ notantur. th. 48. falsæ verò eorum differentiæ removentur. th. 49. unde consectarium colligitur. th. 50. 2. inferiores, qvorum officium erga superiores suos. 1. respectu rectionis est subjectio. th. 51. qvæ definitur. th. 52. 2. obedientia, cujus notatur. 1. definitio. th. 53. 2. adjuncta limitatio. th. 54. unde consectaria eliciuntur. th. 55——57. 2. respectu bonorum à superioribus acceptorum submissa gratitudo. th. 58. qvæ. 1. describitur. th. 59. ubi genetis ratio redditur. th. 60. 2. ab objectione liberatur. th. 61. 3. ejus modus, qvo exercenda est, notatur. th. 62. 4. synonimum ejus indicatur. th. 63. Secundò de paribus, seu æqvalibus, qvorum notatur. 1. officiũ tùm erga omnes. th. 64. tùm erga qvosdam. th. 65. 2. principium, seu causa officii hujus præstandi, n. humilitas. th. 66. cujus humilitatis notatur. 1. descriptio. th. 67. 2. oppositũ. n. 1. superbia th. 68 qvæ. 1. definitur. th. 69. 2. ejus, vel affectationis inordinatæ synonyma, vel species indicantur: th. 70. 2. invidia, qvæ 1. describitur, th. 71 ubi occurrentis rationis, n. qvia minuere videtur propriam nostram excellentiam, rationes tres reducuntur, qvibus probatur aliqvâ tristitiam de bono proximi non esse invidiam; sed vel timorem hostium, vel æmulationem, vel indignationẽ.

703147

th. 72.—74. qvod ab objectione liberatus th. 75.

EXPLICATIO.

I. Qvotuplex est justitia erga proximum?

Duplex: n. afficiens proximum immediate, ut honor, humanitas, castitas, justitia commutativa, de qvibus c. 17. 18. 19. 20. vel mediate proximum afficiens, ut veracitas, & contentatio, de qva c. 21. 22.

II. Qvotuplex est justitia proximum immediatè respiciens?

Duplex: n. respiciens gradum conditionis proximi, ut honor, vel respiciens absolutam conditionem proximi, ut humanitas, castitas, justitia commutativa.

III. Qvomodo vocatur justitia respiciens gradum conditionis proximi?

Vocatur honor. Qvotum decalogi praeceptum praecipit honorem proximi? Qvintum: Exod. 20. 12. Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, id est, honora proximum tuum. Obj. praecc. Honora patrem tuum, & matrem tuam, dicitur praeceptum primum. Eph. 6. 2. Ergò honorem proximi non qvintum praeceptum praecipit. Resp. Conseq. neg. quia honora patrem tuum, & matrem tuam dicitur dicto loco primum praeceptum. 2. Qvis est primum praeceptum in secunda tabula decalogi, non in decalogo. 2. Qvia primum, & unicum est in toto decalogo, qvod propriam habet adjunctam, promissionem, n. ut diu vivas in terra, qvam Deus tuus dat tibi. Obj. Etiam secundum praeceptum habet adjunctam propriam promissionem. Exod. 20. 6. Ergò non tantum qvintum praeceptum habet propriam promissionem, adeoque propter propriam promissionem adjunctã non potest dici in decalogo primum praeceptum. Resp. Anteced. falsum: nam secundi praecepti promissio communis est omnibus decalogi praeceptis, ut verba ostendunt: dicitur enim ibid: Exercens misericordiam in milleſimos, qvi observant mandata mea, non mandatum secundum.

IV. Deus in qvinto praecepto tantum honorem proximi praecipitne?

Deus in qvinto praecepto expresse tantum honorem proximi praecipit; sed tacitè instituit etiam fundamentum, seu subjectum honoris, n. societatem humanam: ubi enim non est hominum societas, ibi non potest esse honor proximi, nec humanitas, castitas, justitia commutativa, veracitas, contentatio. Qvotuplicem societatem humanam instituit Deus in qvinto praecepto? Duplicem: n. privatam, id est, œconomicam; vel publicam, id est, politicam. Rom. 13. 1. adde & Ecclesiasticam, nec non Scholasticam. Heb. 3. 4. Qvia in his societatibus debent homines erga se invicem justitiæ officia, n. honorem, humanitatem, &c. exercere, ut sibi invicem o-

703147

stendant, & persvadeant, se veram religionem, n. fidem, spem, charitatem erga Deum habere, Deum audire, & invocare; nam existentiam religionis existentia justitiæ probat, ut dictum supra. c. 16. th. 10. Observa. ergò. Hominum societas est colenda. Patet. 1. an ita sit. Exod. 20. 12. Honora patrem, &c. hoc est, cole societatem hominum, in qva solet esse honor. 2. cur ita sit. 1. Qvia Deus instituit societatem hominum. 2. Qvia extra societatem hominum nec religio, nec justitia esse potest. 3. Qvia benedictionem Dei in hominum societate potest qvis expectare. 4. Qvia omnes sani ab initio in aliqua hominum societate vixerunt. 5. Qvia & bestiæ qvædam amant hominum societatem. 6. Qvia homo dicitur esse symbioticum animal.

V. Correctio. Hinc, &c. id est, societatem hominum in qvinto præcepto Deus instituit: Ergò Eremitæ peccant, qvi vitam solitariam eligunt, seu habitant non in hominum societate, adeoqve in civitate, vel pago; sed in sylvis, in desertis, in campis. Obj. Vita solitaria est vita Angelica: Ergò Eremitæ non peccant, qvod vitam solitariam vivunt. Resp. Anteced. falsum: Angeli enim sociam non solitariam vitam vivunt, simul enim laudant Deum, Esai. 6. 3. Et etiam versantur in Ecclesia hominum tùm in cœlo, tùm in terra. 2. Obj. In vita solitaria magis potest qvis peccata vitare, Deum colere, legere, scribere: Ergò vita solitaria non est damnanda. Resp. Anteced. falsum. 3. Obj. Elias, Christus, Johannes Baptista vitam solitariam vixerunt: Ergò

Ergò Eremitæ benè eligunt sibi vitam solitariam. Resp. Conseq. neg: 1. Qvia illi tantum ad tempus vixerunt vitam solitariam. 2. Qvia illi extraordinarie vixerunt vitam solitariam; sed Eremitæ perpetuò, & ordinariè volunt vitam solitariam vivere.

VI. Informatio. Qvia verò &c. hoc est, Societas hominum est fundamentum, & subjectum totius justitiæ, n. honoris, humanitatis, castitatis, &c. Ergò illa scelera, qvæ directè societatem hanc perturbant (ut rebellio, proditio, injustarum legum latio, consvetudinis populi neglectus, schisma) confundunt (ut indepentia) evertunt (ut divisio membrorum, intestinū odium, civile bellū, mutuorū officiorum justitiæ, & charitatis denegatio, bonorum publicorum incuria) graviora sunt peccata, quàm singularium præceptorum violationes, ut vel homicidium, vel adulterium, vel furtum, vel mendacium, vel concupiscentia. Ratio consequentiæ. qvia plus peccat qvi subjectum v. g. hominem destruit, qvàm qvi aliqvod ejus adjunctum v. g. capillos lædit. Plus peccat qvi fundamentum domūs evertit, qvàm qvi domus fenestram, vel januam destruit. Additur directè: qvia indirectè etiam singularium præceptorum violationes, ut homicidium, vel furtum turbant, confundunt, & evertunt societatē: qvia peccatū uni in societate nocens, mediante eo, nocet etiam toti societati.

VII. Obj. præcc. In qvinto præcepto Deus æqvè ordinavit politicam societatem, ac œconomicam, ut habuimus th. 4.

Ergò

703147

Ergò Deus formam societatis politicæ æqvè præscripsit omnibus populis, ac formam œconomicæ societatis: At hoc falsum. 1. Pet. 2. 13. Ergò & illud. Resp. Conseq. nega. Nam Deus formam societatis œconomicæ omnibus populis præscripsit monarchicam, qvia in ea solus parens præst; formam societatis Ecclesiasticæ præscripsit Deus Christianis aristocratico-democraticam, qvia in ea præsunt soli Pastores, & Presbyteri; formam verò societatis politicæ nullam DEUS populis ullis præscripsit, sed eorum libertati reliqvit, ut (si possint) illam formam societatis politicæ instituant, qvæ maximè facit ad religionem, & justiciam inter ipsos constituendam, ita ut, si forma monarchica gubernandæ societati politicæ magis faveat religioni, & justitiæ, illam instituant, ut Angli in Anglia, Transylvani, in Transylvania; si verò forma aristocratica magis faveat religioni, & justitiæ, illam instituant, ut Belgæ (ni fallar) in Belgio; si demum democratica forma magis faveat religioni, & justitiæ, illam instituāt, ut Debrecienses in sua civitate, & multi germani suis civitatibus.

VIII. Obj. præcep. In qvinto præcepto tantum parentum fit mentio: Ergò in qvinto præcepto Deus non instituit societatem politicam, Ecclesiasticam, Scholasticam, sed œconomicam tantum: qvia parentes tantum œconomicæ societati præsunt. Resp. Conseq. neg. Qvia in qvinto præcepto fit tantum parentum mentio: 1. Qvia sola œconomica societas per omnia sæcula, & omnes gentes una & eadem erat mansura, qvia illa est planè naturalis. 2. Qvia œconomica societas est primus gradus, in qvo fons, & seminarium est societatis politicæ, Ecclesiasticæ, Scholasticæ: qvia superiores in societate politica, qvales sunt Principes, Iudices, in Ecclesiastica, qvales sunt Pastores, Seniores, in Scholastica, qvales sunt Professores, Rectores, ideò vocantur Patres, (2. Reg. 2, 12. & 5. 13. & 13, 14. Gen. 41, 8, 43. 1. Sam. 24: 12. 1. Tim. 5. 1.) 1. Qvia societas politica, Ecclesiastica, Scholastica oritur ex societate œconomica. 2. Qvia alii superiores tám svaviter & justè tenentur suos inferiores gubernare, qvam Parentes suos filios.

IX. *Qvid est honor?*

Honor est agnitio. &c, hoc est, honorare est excellentiam, id est, superioritatem in alio corde agnoscere, verbis, & factis testari. Patet 1, an ita sit, ex 5. mandato: Honora Patrem, &c. id est, proximi tui superioritatē agnosce; & eam agnitā verbo, vel facto testare. 2. Cur ita sit: Qvia nec agnitio excellentiæ proximi valet sine ejus externa testificatione, nec externa testificatio excellentiæ valet sine ejus agnitione, ut th. seq. habebitur. Institutio. Ergò honorans honorandum in aliqvo, superiorem concipere debet vel se, vel alio. Informatio. Ergò honor respectu honorantis est virtus; sed respectu honorandi est præmium, & testimonium virtutis. Nam aliqvi honorantur qvadrupliciter: 1. vel propter virtutem propriam, ut virtuosi; vel propter virtu-

703147

virtutem alterius, n. Dei, seu communitatis, ut superiores; vel propter signum virtutis, ut senes; vel propter participationem divinæ honitatis, ut Domini, & Parentes.

X. *Quare dicitur honor agnitio, & testificatio superioritatis, seu excellentiæ alienæ, seu meriti alterius?*

Qvia honor ptoximi 1. non consistit vel in sola externa observantia, id est, in sola testificatione excellentiæ, ut in debita salutatione, resalutatione, compellatione, porrectione dextræ, oblatione muneris, &c. vel in sola interna observantia, id est, in sola agnitione excellentiæ alienæ, ut in agnitione superioris, vel majoris pietatis, sapientiæ, fortitudinis, &c. sed 2. consistit simul in interna, & externa observantia, id est, in agnitione majoris virtutis, & debita testificatione. Testamur autem agnitam alterius virtutem. 1. Verbis, honorificè eum salutando, resalutando, compellando, respondendo, &c. 2. Factis, coram eo assurgendo, caput aperiendo, corpus incurvando, &c. Obj. Testificatio excellentiæ alienæ in scriptura vocatur honor. Lev. 19.32. ubi assurgere coram sene, est eum honorare. 1. Petr. 3. 6. ubi Sara Abrahamum Dominum vocans, eum honorasse dicitur: Ergò honor consistit etiam in sola testificatione præstantiæ alterius. Resp Cons. neg. qvia etsi externa signa excellentiæ scriptura communiter vocet honorem, tamen testificatio externa, qvæ fit verbis, vel factis, (si non sit simulatio honoris) includit in se semper internam dignitatis, & excellentiæ alicujus agnitionem. Lev. 19. 3. Rom. 13. 5. 9. 10. l. 5. cas. c. 13. q. 1. r. 1. 2.

XI. *Qvare dicis honorem agnitionem, & testificationem superioritatis, dignitatis, seu excellentiæ alienæ?*

Qvia honoris causa impulsiva est excellentia, seu superioritas, qvia nemo nos honorat, seu reveretur, nisi qvi superioritatem nostram agnoscit.

XII. *Qvid notat honoris, & reverentiæ nomen?*

Honoris nomen 1. Vulgariter, seu communiter, & maximè proprie illud officium notat, qvod debetur iis, qvi nobis potestate sunt excellentiores, seu superiores, ut mariti, parentes, heri, ministri, magistratus: qvia excellentia, seu superioritas, ob qvam alius alium honorat, ut dictum th. 11. propriè in superioribus potestate reperitur. 2. Synecdochicè illud officium denotat, qvod debetur iis, qvi nobis sunt æqvales, vel inæqvales. Rom. 12. 10. 1. Petr. 3. 7. & 2. 17. Primò ergò officiũ honoris, qvod superioribus potestate debemus est subjectio, obedientia, submissa gratitudo, qvod verò superioribus ætate, & dono debemus, est eos revereri, imitari, gratias referre; contra officium honoris, qvod

 supe-

703147

superiores potestate inferioribus debent est protectio, rectio, remuneratio, qvod verò superiores ætate & dono inferioribus debent, est eis, bono exemplo præire, & dona sua communicare. Deinde officium honoris, quod æqvales æqvalibus debent est eos in exhibendis honoris signis, anteverttere, eosqve pro amicis habere, ut vides infra th. 28—65. Observa ergò.

1. Maximè propriè, & plenè honorandi sunt, qvi potestate nobis superiores sunt, ut mariti, parentes, heri, magistratus, ministri Ecclesiastici, Patet 1. an ita sit. Exod. 20. 12. Honora patrem. &c. Hoc est superiores in dignitate, Sic Esth. 1. 20. 1. Tim. 6. 1. Malach. 1. 6. Phil. 2. 29. 1. Tim. 5. 17. Rom. 13. 7. 1. Petr. 2. 17. 2. Cur ita sit. 1. Qvia excellētia, seu eminentia, præstantia, dignitas, ob qvam honoramus aliqvem propriè in illis invenitur. 2. Qvia superioritas propriè est signum virtutis. 3. Qvia propriè illi communicant nobis bona. 4. Qvia illi sunt Dii, & filii Dei. Psal. 82. 6. 5. Qvia propriè illis sumus inferiores. 6. Qvia honoris partes, n. subjectio, obedientia, submissa gratitudo, propriè illis convenit. Exhortatio. Ergò superiores potestate honoremus magis, qvam alios, qvia ob rationes dictas illi sunt magis digni honore. Illis ergò teipsum magis subjice; illis magis obedias; erga illos magis gratus esto, eos consilio, re, precibus juvando.

2. Licet propriè, & plenè potestate superiores honorandi sunt, tamē omnes homines honorandi sunt. Patet posterius membrum. 1. an ita sit. Exod. 20, Honora Patrem, &c. id est, primario honora superiores potestate, sed secundario etiam omnes homines. Sic Rom. 12. 10. 1. Petr. 3. 7. 1. Petr. 2. 17. 2. Cur ita sit. 1. Qvia potest alicujus excellentia considerari non solum per comparationem ad honorantem, ut scilicet sit excellentior eo, qvi honorat, sed etiam per comparationem ad alios, & hac ratione honor debetur à nobis nostris vel æqvalibus, vel inferioribus, qvia sunt aliis superiores. 2. Qvia vix qvisqvam reperitur, in qvo non possimus aliqvid observare, in qvo nobis est superior, si ex humilitate judicium feramus. Phil. 2. 3. 3. Qvia infimi qviqve possunt singularem aliqvam relationē habere ad Deum, cujus respectu sunt honorandi. Matt. 5. 41. 1. Petr. 2. 17. Esa. 39. 9. 4. Qvia in omnibus, & singulis, qvi saltem communionem nobiscum habent in eadem natura, & capaces sunt communionis in eadem gratia, apparet illud qvod prohibet contemtum, atqve adeò aliqvem exigit honorem. Iob. 31. 13. 14. 15. Matth. 18. 6. Obj Docentur pii contemnere impios. Psal. 15. 4. Ergò, Resp. 1. Contemnendi sunt impii eodem planè modo, qvo sunt odio habendi: sub illa scilicet formali ratione, qva sunt impii. Non sunt igitur honorandi, vel qvia sunt impii, vel ira ut impietas eorum nostro honore alatur, confirmetur, vel armentur. Prov. 5. 9. & 6. 33. & 26 1. 8. sed qvatenus boni aliqvid habent, justum ejus testimonium non est ipsis denegandum. 1. Tim. 6 1.

703147

Hinc qvædam signa honoris simpliciter debiti, propter eorum neqvitiam possunt eis jurè denegari. 2. Reg. 3. 14. Qvod tamen intelligendum est de insigniter improbis, in qvibus honoris causæ turpitudine opposita qvasi obruuntur & eum illa moderatione, ut animus monstretur paratus ad omnem honorem exhibendum, si impietatis obstaculum removeatur. Exhortatio. Honoremus ergò omnes homines. Moveant rationes. Dehortatio. Ne ergò lædamus famam proximi ullius. Ne ergò temerè de aliquo judicemus; ne ullum contumeliâ, risu, convitio afficiamus; ne alii honorem detrahamus.

3. Licet omnes homines honorandi sint, tamen præcipuè pii sunt honorandi, patet posterius membrum 1. an ita sit. Psal. 15. 40. Timentes Jehovæ honorat, id est, pios magni facit, eos amat, delectatur eorum commercio, nomen, & famam eorum tuetur, eis afflictis opem fert. Sic Prov. 4. 8. & 5. 18. & 11. 16. & 21. 21. & 12. 4. & 29. 23. 2. Cur ita sit. 1. qvia illos Deus magis honoravit, illis enim solis donavit filium suum. Joh. 3. 16. 2. Qvia Christus illos magis honoravit: qvia pro illis solis mortuus est, & pro illis oravit. 3. Spiritus S. eos magis honorat: qvia in illis solis habitat: abest enim ab impiis, & illi dicuntur templâ Spiritûs sancti. 4. Qvia illi placant Deum pro peccatoribus, ut Moses, Samuel. 5. Qvia Angeli boni magis honorant eos, qvam alios, qvia illis ministrant magis. Heb. 1. vers. ult. 6. Qvia Deus propter illos multis benefacit, ut ipsi Segor pro pter

Lothum, Labani propter Jacobum, Potiphari propter Josephum, impiis propter pios. Esai. 1. 9. Matth. 24. 22. Exhortatio. Ergò pios magis honoremus, qvàm alios.

4. Non tantum alios homines; sed & nos ipsos honorare debemus. Patet. 1. an ita sit. 1. Pet 1. 2. 17. omnes honorate: Ergò & vosmetipsos. Sic Exod. 20. Honora patrem &c. id est, omnem proximum: Ergò & te ipsum, qvia proximus es primò tibi Qværes. qvî honorare possumus, & debemus nos ipsos? 1. Efficiendo, ut alii nos honorent: qvod fit: 1. Si abstinuerimus ab omni peccato, & præcipuè ab eo, qvod turpis dehonestationis notam singularem secum fert. 1. Thess. 4. 4. 1. Chro. 6. 18. 19. Prov. 5. 9. & 6. 33. 2. Si studuerimus iis omnibus, qvibus Deus verum, ac solidum honorem adjungit. In scripturis autem annectitur honor. 1. generaliter pietati erga Deum. 1. Sam. 2. 30. Prov. 4. 8. & 8. 18. 2. In specie, illis partibus pietatis, qvæ in mundo habentur maximè probrosæ, & cum dedecore conjunctæ: qvalia sunt admittere correctionem: Prov. 13. 18. desistere à contentione. Prov. 20. 3. 3. Si membra nostra & nostrorum ornaverimus vestibus, lotione, tonsione, tectione &c. Eaqve non mutilaverimus. 1 Cor. 12. 24. Coloss. 2. 23. 2. Prospiciendo commodis nostris qvoad animam, ut habeant media salutis, & qvoad corpus, ut habeant victum, vestitum, habitationem idoneam. 3 Custodiendo vitam nostram à morte violenta. 2. Cur ita sit. 1. Qvia Deus præcipit in citatis locis.

703147

2. Qvia justitia exigit, ut qvod alteri volumus, & facimus, id & nobis velimus, & faciamus. 3. Qvia alios diligere debemus; ut nosmetipsos. Matth. 22. 39. 4. Qvia qvi se non honorat, nec alios honorare potest: qvia à non honorato laudari, est vituperari. Exhortatio & dehortatio. Ergò honoremus nosmetipsos, & ne nostram famam lædamus, juxta illud, Omnia si perdas famam servare memento, Qvâ semel amissâ, postea nullus eris.

XIII. *Qvæ sunt officia nostra erga proximum?*

Honor, humanitas, castitas, justitia cõmutativa, veracitas, contentatio. Qvodnam horum officiorum primum, seu præstantius, & dignius. Honor proximi. Patet. 1. an ita sit. Exod. 20. 12. Ubi inter præcepta secundæ tabulæ decalogi, præceptũ de honorando proximo est primum. Sic Eph. 6. 1. 2. Cur ita sit. 1. Qvia honor proximi propior est religioni, & pietati, qvâ scilicet Deum colimus, qvàm humanitas, castitas, &c. Patet hoc, qvia honor proximi vocatur religio, aut pietas, (1. Tim. 5. 4. Discant scilicet, liberi, & nepotes, in propriam domum, idest, matres, & avias, pietatem, id est, gratitudinem, (qvæ est pars honoris, qvem inferiores debent suis potestate superioribus) exercere) ideo, qvod propinqvior sit religioni, seu pietati qvâ humanitas, castitas. &c. 2. Qvia honor proximi est vinculum, & fundamentum aliorum officiorum erga proximum præstandorum, ut

humanitatis, castitatis. &c. Qvia virtute honoris proximi agunt homines qvietam, & tranqvillam vitam (1 Tim. 2. 2.) id est, per mutuum honorem existunt homines humani, casti, proprio labore bona acqvirentes, veraces, contenti; Deus enim ideò hâc promissione, ut prolongent dies tuos super terram, impellit homines ad mutuum honorem, qvia sine mutuo honore superiorum, & inferiorum, homines nunqvam vivunt vitam qvietam, & tranquillã, id est, nunqvã erunt humani, casti, justè bona acqvirentes, veraces, contenti; sed homicidæ, adulteri, fures, mendaces, concupiscentes, adeoqve vitam inqvietam, & turbulentam viventes. 3. Qvia ut Deus universæ; sic parentes particulare sunt vitæ nostræ principium. 4. Qvia ut parentes aliis hominibus anteponuntur; sic officia iis debita officiis aliis debitis anteponi debent. Exhortatio. Ergò ante omnia discamus proximos nostros honorare: qvia posito honore proximi, ponuntur omnia officia proximo præstanda; sed negato honore proximi, negãtur omnia officia proximo præstanda, hoc est, honorans proximum humanus est, adeoqve proximum non occidit; castus est, adeoqve uxorem proximi non seperit; justè possidet omnia, adeoqve non furatur; verax est, adeoqve contra proximum non mentitur; contentus est sua sorte, adeoqve non concupiscit bona proximi sui: sed contra, non honorans proximum est inhumanus; adeoqve proximum occidit, &c.

703147

XIV. Qvî vocatur honor?

Vocatur fama & bona fama vocatur bonũ nomen: qvod patet tum an ita sit. Eccl. 7. 1. Melior est fama, id est, honor, unguento. Phil. 4. 8. Qvæcunqve boni nominis, id est, bonæ famæ, adeoqve honore digna, reputate: tum cutita sit: qvia honor spectatur. 1. in mente, cum de aliis benè sentimus. 2. in voluntate, cum eos diligimus. 3. in gestu, qvi varius, secundum variarum gentium ritus. 4. in sermone, cum eorum, honorificam mentionem facimus. 5. in rebus cum munera ipsis offerimus, imagines, aliaqve monumenta ponimus. Iam, honor ratione qvarti membri, id est, qvatenus de hónorando honorificam mentionem facimus, id est, de eo bene famur, & ei bona nomina tribuimus, vocatur fama, & bonum nomen. Nam fama à fando dicitur, & est qvicqvid de aliqvo divulgatur, sive in bonum, sive in malum. Unde duplex est fama: bona vel mala. Illa est testimonii de virtute, seu est quâ alienas laudes prædicamus, seu alios laudamus: hæc verò est testimonium de vitio, seu est, qvâ vitia aliena prædicamus, seu alios vituperamus.

XV. Differtne ergò honor à fama?

Hinc, &c. id est, honor qvatenus de honorando bene famur, seu loqvimur, dicitur fama: Ergò honor qva est hominis bonum externum; non differt realiter à fama, sed ratione tantum. Additur 1. externum: qvia honor duobus modis consideratur, n. vel ut est bonum hominis externum, seu alienum testimonium de virtute ejus; vel ut est bonum hominis internum, seu virtus ejus, de qua alii testimonium perhibent. Iam, honor illo modo realiter non differt à fama, qvia ut fama est testimonium alienum de virtute aliena, sic honor; sed hoc modo realiter differt honor à fama, qvia realiter differt virtus aliena à testimonio alieno de virtute aliena perhibito. 2. sed ratione tantum: qvia licet aliqvis habeat honorem, non tamen habet bonam famam, ut sceleratus præsertim prælatus. Observa ergò. Fama bona est curanda, optanda, & qværenda. Patet 1. an ita sit. Eccl. 7. 1. Prov. 22. 1. Phil. 4. 8. 2. Cur ita sit. 1. Qvia fama bona est testimonium de virtute. 2. Qvia honorem nostrum debemus curare, optare, qværere. l. 5. c. 13. q. 1. Ergò & nostram bonam famam. Ratio conseq. qvia honor noster dicitur fama bona, ut dictum. 3. Qvia mala fama est fugienda, & cavenda: qvia est testimonium de vitio: Ergò bona fama est optanda, & qvarenda. Exhortatio. Ergò curemus, optemus, qvaramus bonam famam, id est, ita vivamus, ut alii de nobis bona vulgent, benè loqvantur, bonum testimonium perhibeant, seu nos laudent. Qvî? 1. Abstinendo ab omni peccato præcipuè notabili. 2. Studendo omnibus virtutibus. 3. infamiæ injustæ (si possis) resistendo, 4. nosipsos sine necessitate non infamando. &c. l. 5. cas. c. 14. Moveant 1. exempla Ruth. Ruth. c. 3. 11. David. 1. Sam. 18. 30. Zachariæ, & Elizabethæ. Luc. 1. 6. Simeonis. 2.

703147

nis 2. 25. 2. Ratio. 1. Qvia fama bona pinguefacit ossa, id est, lætificat animum. Prov. 15. 30. 2. est divitiis præstantior. Prov. 22. 1. 3. est melior omnibus bonis corporeis (qvæ intelligũtur per ungventũ optimũ) Eccl. 7. 1. 2. Magnam rationem bonæ famæ habeamus. Rom. 12. 17. 1. Petr. 2. 12. & 3. 16. item Phil. 4. 8. ubi jubemur cogitare, Euphema, id est, qvæcunqve sunt bonæ famæ. 3. Bonam nostram famam studiosè conservemus. Rom. 14. 16. juxta illud etiam: Omnia si perdas famam servare memento, ut David, qvi Abnero ad ipsum profecto, perfidè occiso á Joabo, maximè studuit, ut se hujus sceleris insõtem esse ostenderet. 2. Sam. 3. 28. Imprimis autem Pastores Ecclesiæ magnam propriæ famæ rationem habeant. 1. Tim 3. 7. eamqve conservare studeant, ut Paulus. 2. Corinth. 5. 12. & 6. 4. & 8. 20. & 11. 10. 12. & ita qvidem, ut optare debeant potius mori, qvam ut eam amittant, ut Paulus. 1. Corinth. 9. 15. 3. Doleamus, si aliqvomodo fiat, ut apud proximum nostrum bona nostra fama pereat, ut Jacob. Gen. 34. 30. 4. Debemus famam bonam & proximi conservare, neqve eum temere ignominiæ exponere, ut Joseph, Matth. 1. 19. Unde laudatur is qvi famam proximi non lædit. Psal. 15. 3.

XVI. *Qvid est officium honorandi, qvod omnibus debemus?*

Officium honorandi est duplex. 1. qvod superioribus potestate debemus tantum, vel qvod omnibus hominibus debemus, ut dictum ad th. 12. Iam, officium honorandi, qvod omnibus hominibus promiscuè debemus, est illæsum conservare illum statum dignitatis, qvem habent, seu est non lædere famam ullius proximi.

XVII. *Qvæ adversantur officio honorandi, qvod omnibus debemus?*

Omnia illa peccata, qvibus famam, seu honorem proximi lædimus; qvalia sunt, judicium temerarium, contumelia, derisio, convicium, detractio, ut in seqq. vides.

XVIII. *Qvi lædimus famam, seu honorem proximi?*

Cum ejus æstimationem, seu famam, & honorem diminuimus. Sic diminuebatur honor Apostolorũ per vituperium: ut enim laude honor proximi augetur; sic vituperatione diminuitur. 1. Cor. 4. 13. Infamati, &c. id est, etsi homines per vituperium lædant nostram famam, tamen pro eis precamur. Sic 2. Cor. 6. 8. per gloriam, & dedecus, per convitia, & laudes, id est, homines nostram famam nunc augent per laudes, nunc minuunt per convitia.

XIX. *Apud qvos diminuimus famam, seu honorem proximi?*

1. Apud nosmetipsos, cum malè de ipso concipimus sine justa ratione. Male judicare de proximo sine justa ratione temerarium, seu imprudens judicium vocatur. Matth. 7. 1. Ne judi-

703147

Ne judicate, id est, sine ratione justa ne malè judicetis, concipiatis de proximo. Sic 1. Cor. 4. 5. Temeratium igitur judicium est peccatum, cum qvis male judicat, concipit, sentit, cogitat de proximo suo. v. g. cum qvis cogitat te esse hypocritam, avarum, superbum, &c. oblevia argumenta, temere te judicat, & valde peccat. Additur, sine justa ratione: Nam si cogitet qvis te esse superbum ob rationes justas, seu firmas, & sufficientes prudenter te judicat, & non peccat. Author l. 5. cas. c. 14. q. 1. r. 4. Observa ergò, judicium temerarium fugiendum est. Patet 1. an ita sit. Matth. 7. 1. Luc. 6. 37. Ubi Christus monet ne judicate, id est, ne temere, id est, sine justa ratione de proximo malè concipiatis, sentiatis, dicta, facta eius in malam partem interpretantes. Sic 1. Cor. 4. 5. 2. cur ita sit. 1. Qvia judicium temerarium lædit famam proximi, qvia apud nosmetipsos minuit istam æstimationem, qvæ circa ipsum debet haberi: At fugienda est læsio famæ proximi: qvia adversatur illi præcepto: omnes honorate. 1. Petr. 2. 17. Ergò etiam judicium temerarium fugiendum est. 2. Qvia temerarium judicium damnatur. Prov. 14. 12. & 15. 10. Psal. 41. 1. Luc. 7. 51. Rom. 2. 1. Jac. 4. 11. 12. Ut in Heli, 1. Sam. 1. 13. Rege Israëlis, 2. Reg. 5. 7. Pharisæis, Mat. 12. 7. qvibusdã ex adstantibus, cum Christus crucifigeretur, Matt. 27. 47. & cum Lazarus suscitandus esset, 11. 37. Judæis, Luc. 7. 33. 34. Ioh. 7. 24. qvibusdam ex Pharisæis. 9. 16. Simeone Pharisæo, Luc. 7. 39. Petro Act. 10.

Act. 10. 14. qvibusdam ex Corinthiis, 2. Cor. 10. 2. improbis, qvi stultos judicant, quos videant recedere à malo. Esa. 59. 15. illi qvi male de afflictis judicant. 3. Qvia judicium, justum prudens commendatur. Psal. 41. 1. 4. Qvia qvi alios temerè judicant, justo Dei judicio vicissim ab aliis temerè judicabuntur. Matth. 7. 1. 2. Paræus in h. l. Dehortatio. Ergò: 1. Fugiamus judicium temerarium, id est, ne malè sentiamus de proximi dictis, factis, sine justa ratione. Ne ergò ejus bonum dictum, factum, malum putemus esse. Moveant rationes dictæ. 2. Temeratiis hominum judiciis de nobis non debemus moveri, sed sincerè in vocatione nostra ambulare, ut Paulus. 1. Cor. 4. 3. 4.

XX. 2. *Apud alios diminuimus famam, & honorem proximi.*

1. Verbis, cum proximo imponimus vel malum culpæ, ut cum ei dicimus, tu es superbus, fur. &c. vel malum pœnæ, ut cum ei dicimus, tu fuisti hîc, vel illic exsul, captivus, tu es cæcus, niger, &c. 2. factis, cum proximum percutimus, vulneramus, carceramus, degradamus, eiqve honoris signa denegamus. 3. gestibus, & signis aliis, cum aliqvo signo proximum vel asinum, vel amentem, vel adulterum demonstramus.

XXI. *Qvot modis diminuimus famam, & honorem proximi apud alios?*

Duobus modis: n. 1. directè, seu formaliter, cum proximi famam lædere intendimus.

703147

Sic læditur honor proximi per detractionem directam, ut vides th. 23. 2. indirectè, seu virtualiter, cum famam proximi lædere non intendimus. Sic læditur honor proximi per detractionem indirectam, ut vides th. 24.

XXII. *Qvi vocatur læsio famæ proximi per impositionem, seu exprobrationem alicujus culpæ, pœnæ, defectus?*

Si fiat coram proximo vocatur vel contumelia, vel irrisio, vel convitium: Si verò fiat clam proximo vocatur detractio. Qvid igitur est contumelia, irrisio, convitium? Est cum proximo præsenti malum vel culpæ, vel pœnæ, vel defectûs imponimus, dicentes eum esse superbum, cæsum, cæcum, claudum, &c. Qvid verò est detractio? Est cum absenti proximo coram aliis imponimus malum, vel culpæ, vel pœnæ, vel defectus, dicentes eum coram aliis talem, & talem esse. Aliqvomodo tamè differunt hæc, susurro, detractor, contumeliator, derisor, & convitiator. Susurro intendit discordiam seminare: Detractor bona minuere, vel negare: contumeliator, qvod est contra honorem alicujus deducere in notitiam ejus, & aliorû per signa, & verba: Derisor, malum, vel defectum alicujus personæ, ut erubescat, in ludum, vel risum ponere. Convitiator dicit importantia defectum, sicut contumeliator, importantia culpam. Qvare si qvis dicat alicui injuriosè eum esse cæcum, vel claudum, cum sit, convitium dicit, sed non contumeliam. Si autem injuriosè dicat eum furem, non solum convitium, sed & contumeliam dicit. Sæpè tamen unum pro alio ponitur. ut vides apud Szegedinum loc. com. pag. 448. & Thom 2. 2. q. 72. & seqq. Observa ergò. 1. Convitium est vitandum. Patet. 1. an ita sit. Exod. 20. Honora, id est, ne convitio affisias proximum tuum. Sic Psal. 50. 19. Matth. 5. 22. Ubi convitiatores damnantur. 2. Cur ita sit. 1. Qvia convitium lædit famam proximi: At evitanda est læsio famæ proximi: Ergò. 2. Qvia convitiatores gravissimè puniuntur à Deo tùm in hâc vita, ut Moabitæ & Ammonitæ propter convitia, & probra, qvibus affecerunt populum Dei. Soph. 2. 8. tùm in vita altera. Matth. 5. 22. Qvisqvis dixerit, fatue, tenebitur gehenna ignis, excludentur enim à Regno Dei. 1. Cor. 6. 10. 3. Qvia impii solent pios convitiis affidere, ut convitiantur Goliath Israelitis 1. Sam. 17. 10. Saul jonathano filio 20. 30. Semei Davidi. 2. Sam. 16. Iudæi, & Pharisæi Christo. Matth. 10. 25. Epicurei Paulo. Act. 17. 18. Obj. Nehemias convitiatus est Iudæis, Neh. 13. 25. & Paulus Ananiæ Pontifici. Act. 23. 3. 4. Ergò convitium non vitandum est. Resp. 1. Convitium est meritum, vel immeritum. Hoc non illud vitandum. 2. non exemplis, sed legibus vivendum. Dehortatio. Ergò 1. Ne proximum convitiis afficiamus. Moveant rationes. 2. Ne convitiis affecti ab aliis eos vicissim convitiis afficiamus. 1. Petr. 3. 9. ut Christus c. 2. 23. sed convitiatoribus mode-

703147

stè respondeamus. ut Petrus. Act. 2. 15. Anna Heli Sacerdoti. 1. Sam. 1. 14. 16. vel etiam ad convitia impiorum fileamus; ut Christus. Marc. 14. 61. imò verò benè precemur ut Paulus. 1. Cor. 4. 12.

XXIII. *Quotuplex est detractio?*

Duplex: directa vel indirecta. Illa versatur circa malum proximi: hæc verò circa ejus bonum. Seu, Qvot modis detrahimus proximo. Duobus modis: directè, cum circa ejus malũ versamur, vel indirectè cum circa bonum ejus versamur. Qvot modis detrahimus proximo circa malum ejus versando? Qvatuor modis: n. 1. cum ipsi falsum crimen imponimus, v. g. cum eum dicimus furem, cum non sit. 2. Cum crimen ejus occultum sine justa causa revelamus; v. g. cum furtum ejus soli tibi notum & aliis indicas. Additur sine justa ratione: Nam ob bonos fines: n. ad peccatoris emendationem, & aliorum grande periculum cavendum, revelare occultum peccatum, non est detrahere, ut vides. l. f. eas. c: 16. q. 2. 3. Cum verum crimen ejus nimis exaggeramus, v. g. cum ad hilaritatem bibentem maximè ebrium dicimus fuisse. 4. Cum factum ejus non improbamus; sed intentionem ejus vituperamus. v. g. cum dicimus de eo coram aliis, hospitalis, & liberalis qvidem est, sed facit gloriæ suæ causâ.

XXIV. *Qvot modis detrahimus proximo circa*

mo circa bonum ejus versando?

Qvatuor modis: n. 1. Cum negamus bonum qvod proximo est tribuendum. v. g. cum dicimus: hic vel ille non est pius, justus, temperans, sapiens, cum sit. 2. Cum bonum proximi occultamus, seu tacemus, non prædicamus. v. g. cum eum non prædicamus esse pium, justum, sapientem, qvi talis est. 3. Cum bonum proximi minuimus. v. g. cum dicimus eum non esse talem, qvalem audivimus: præsentia minueret famam. 4. Cum frigidè laudamus. v. g. cum dicimus, de eo, fat bonus: potest fieri.

XXV. *Qvatuor modi directè proximo detrahẽdi qvo carmine cõtinentur?*

Hoc: n. Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.

XXVI. *Ergò modi qvatuor indirectè proximo detrahendi qvo carmine continentur?*

Hoc: n. Qvi negat, aut minuit, tacuit, laudatque remissè. Observa ergò. Detractatio, obtractatio, calumnia est fugienda. Patet. 1. an ita sit. Psal. 15. 3. Lev. 19. 16. Jac. 4. 11. ubi detractio prohibetur. 2. Cur ita sit. 1. Qvia detractio est læsio famæ proximi: At læsio famæ proximi est fugienda. 2. Qvia scriptura damnat detractores. Lev. 19. 16 Jac. 4. 11. Exemplum in Ieroſolymitanis.

703147

Ezech. 22. 9. Gentilibus. Rom. 1. 30. 9. Qvia obtractatio polluit hominē, Marc. 7. 22. cum 23. 4. Qvia obtractator graviſsimis pœnis afficitur à Deo. Pſal. 52. 4. 7. & 140. 10. & ſeqq. 5. Qvia obtractatio moleſtiam exhauſtat proximo, Pſal. 140. 10. atqve adeò mala graviſsima, qvæ ei importat, propter qvæ detractiones, & calumniæ, tanqvam maximæ noxiæ comparantur in ſcripturis carbonibus juniperorum, gladio acuto, novaculæ acutæ, ſagittis acutis, lingvæ ſerpentis, veneno aſpidis 6. Qvia detractores perdendi ſunt á Regibus. Pſal. 101. 5. Dehortatio. Ne ergo detrahamus proximo honorem. Ne ergò falſum crimen ipſi imponamus, &c. ut dictum.

XXVII. *Qvid adverſatur læſioni famæ?*

Reſtitutio. Reſtituitur autem fama 1. per retractionem, ſeu confeſsionem mendacii, ut cum dicis; dixi te blaſphemum, ſed mentitus sum. 2. per veniæ poſtulationem, ut cum dicis, peccavi, ignoſce. 3. per compenſationem, qvæ fit, 1. in eodem genere, cum infamator prudenter procurat, ut ſepeliatur infamia; & ex occaſione honorificè loqvitur de perſona infamata, ſine ulla ſpecie affectationis; 2. in pecunia (ex ſententia judicis, vel viri boni) non propriè pro ipſa fama, qvæ non poteſt æſtimari, ſed pro iis damnis, qvæ ex infamia conſequuntur, & ad animum læſum placandum, ſi ſit illius conditionis ut poſsit eam recipere cum honore. Obſerva ergò,

Qvi læ-

Qvi læſit alterius famam tenetur ad eam reſtituendam. Patet. 1. an ita ſit, Ex 5. præcepto. Honora, id eſt, ne læde famam proximi, vel ſi læſiſti, reſtitue. Sic, Matt. 6. 12. & 18. 21. 35. & 5. 23. 24. Luc. 11. 4. & 17. 3. 4. & 6. 37. Eph. 4. 32. Coloſſ. 3. 13. ubi remiſsio, condonatio reconciliatio, ſupponit læſionem famæ, & reſtitutionem ejus per poſtulationem veniæ. 2. Cur ita ſit. 1. qvia non remittitur delictum, niſi reſtituatur ablatum. 2. qvia juſtitia correctiva hoc poſtulat. 3. qvia ſecus fur eris. Exhortatio. Ergò ſi læſiſti famam proximi vel convitio, vel detractione, reſtitue eandem illi, vel per retractationem, vel per compenſationē. Movent te rationes dictæ.

XXVIII. *Qvorum eſt honor?*

Eſt imparium, vel parium.

XXIX. *Qvi ſunt impares, ſeu inæqvales?*

Impares ſunt ſuperiores (ut ſenes, majora dona habentes, mariti, parentes, heri, magiſtratus, miniſtri) & inferiores (ut juvenes, minora dona habentes, uxores, filii, ſervi, ſubditi, auditores.) Qvid eſt honor, qvem ſuperiores debent inferioribus? Eſt in benè merendo excellere, id eſt, eſt inferioribus bene facere. Qvid verò eſt honor, qvem inferiores debent ſuperioribus? Eſt eos revereri, & pro meritis, & benefactis eorum gratias agere.

XXX. *Qvæ efficiunt homines impares, id eſt, ſuperiores, & inferiores?*

703147

Simplex aliqva qvalitas vel potestas.

XXXI. Qvotuplex est simplex qvalitas, qvæ homines inæqvales, id est, superiores, & inferiores facit?

Duplex: n. ætas, vel dona.

XXXII. Qvid est honor, qvem superiores ætate, id est, seniores debent ætate inferioribus, id est, junioribus?

Est iis exempli gravitate præire. Observa ergò. Officium senum est junioribus bonum exemplum præbere, id est, coram illis bonum opus facere, ut eos ad simile bonum opus impellant. Patet 1. an ita sit, Exod. 20. 12. Honora Patrem tuum, id est, superiores ætate, seu seniores, qvi scilicet, officium suum faciunt, id est, bono exemplo præeunt tibi. Nam senex virtute carens non est dignus honore, qvia honor est præmium virtutis, non senectutis. Sic Tit. 2. 1. hortantur senes, ut sint sobrii, &c. ut & juvenes eorum exemplo tales evadant. Et v. 3. cum 4. ubi anus hortantur, ut bonum exemplum præbeant adolescentulis, hortantur enim, ut sint habitu, qvi sanctimoniam decet, non calumniatrices; non vino multo addictæ, honestatis magistræ, ut sapere doceant adolescentulas, id est, ut suo bono exemplo impellant eas, ut & ipsæ sint habitu, qui sanctimoniam decet &c. 2. Cur ita sit, tum ex rationibus c. præced. th. 46. obs. 2. tum ex seqq. 1. Qvia juvenes à senibus

discunt benè vel malè vivere: Deut. 32. 7. Psal. 71. 18. Et ut dicitur: A bove majori discit arare minor. 2. Quia seues sunt Patres 1. Tim. 5. 1. At patres bono exemplo debent filiis suis præire. 3. Qvia væ senibus Scandalizantibus juvenes, Matt. 18. 6. 4. Qvia laudatur senex vitam suam piè & justè transigens, adeoqve bono exemplo aliis præiens. Prov. 16. 31. 5. Qvia redarguuntur senes Sodomæ obsidentes una cum pueris domum Lothi, ad violandum hospites ejus. Gen. 19. 4. Salomon, cujus cor post Deos alienos tempore senectutis suæ inclinarunt mulieres alienigenæ. 1. Reg. 11. 4. Asa qui tempore senectutis ægrotans è pedibus suis, non requisivit Deum; sed adhæsit Medicis. 2. Chron. 16. 12. atqve adeó senes, qvi non custodiunt mandata Dei, tanqvam prudentiâ destituti damnantur. Psal. 119. 100. & senex peccator maledictus pronunciatur. Esa. 65. 20. Exhortatio. Ergò 1. vos seniores bonum exemplum præbete junioribus, id est, coram illis piè, justè, temperanter vivatis, ut & illi sic vestro exemplo impulsi vivere pergant. 2. Vos verò juniores. 1. Senioribus pro bono exemplo gratias agite. 2. Eos reveremini. 3. Eos in bono imitamini.

XXXIII. Qvid est honor, qvem superiores donis, id est, docti, & divites debent inferioribus donis, id est, indoctis, & pauperibus?

Est iis dona sua promptè impertiri. Observa ergò. Qvi donis excellunt debent eadem ad ali-

703147

ad aliorum utilitatem prompte impertiri, id est, officium doctiorum, divitiorum est indoctis, & pauperibus doctrinam suam, & divitias suas lubenter communicare. An doctus indoctum docere debeat patet. Rom. 1. 14. Et Græcis, &c. id est, ego Paulus docere debeo, & libenter doceo Christum omnes Christum nescientes. Sic Coloss. 3. 16. Iob. 4. 3. & 27. 11. & 33. 33. Psal. 32. 8. & 34. 12. & 51. 15. & 105. 22. Gen. 41. 33. & seqq. Prov. 4. 11. & 9. 9. An dives debeat pauperi bona sua communicare libenter patet. Marc. 12. 41. Luc. 16. 8. & 19. 8. Sic Tim 6. 18. Cur ita sit patet. 1. Quia dona illa, quæ accepimus à Deo; non sunt plane nostra, quasi eorum essemus Domini absoluti; sed eorum sumus dispensatores, & in illa dispensatione respicienda est voluntas donatoris, & Domini, qui postulat ut ad ipsius gloriam referantur, in recto ipsorum usu, adversus alios homines. Rom. 1. 14. Debitor sum. 2. Quia occasiram talentum, seu donum Dei, sive donum illud sit animæ, sive fortunæ, damnatur. Matth. 25. 25. & seqq. & divites bona sua pauperibus non communicantes ablegabuntur in ignem æternum. Matt. 5. 41. & seqq. 3. Quia ita tenentur inferiores donis revereri superiores donis, & eis gratias referre, si hi illis bona sua communicaverint, ut colligitur ex th. 29. 4. Quia beatius est dare, quam accipere: quia datoribus facta est promissio; sed accipientibus nulla. Exhortatio. Ergò 1. Docti, & divites communicate dona vestra indoctis, & pauperibus. Moveant vos

rationes dictæ. 2. indocti, & pauperes doctis doctorum, & divitum utentes honorate eos, & erga eos grati sitis. Ames. l. 5. de consci. c. 19. q. 2.

XXXIV. 1. *Qui sunt illi, qui alios superant potestate?*

Sunt ii, qui jus habent alios gubernandi. 2. Cur vocatur potestas jurisdictio? Quia superiores potestate jus habent alios gubernandi. 3. Quid est honor, quem superiores potestate, ut mariti, parentes, heri, ministri, magistratus, debent suis inferioribus, ut uxoribus, liberis, servis, Ecclesiæ membris, subditis? Est erga eos justitiam, & charitatem (de qua præcedenti capite dictum) eminenti quadam ratione administrare, pro potestate illa, quam habent sibi commissam. Additur eminenti: Quia communi ratione omnes homines tenentur justitiam, & charitatem erga se invicem exercere, ut dictum præcedenti capite. Patet superiores potestate debere justitiam, & charitatem erga inferiores eminenti quadam ratione administrare. 1. Ex exemplo Jobi Principis, qui erga suos subditos magis exercuit justitiam, & charitatem, quàm alii erga se mutuo: sic enim loquitur: justitiam induebam, & induebat me ut pallium, & cidaria judicium meum. Ut oculi eram cæco; velut pedes claudo eram. 2. Ex Coloss. 4. 2 ubi dominis mandatur præcipue, ut jus, & æquum servis suis præstent, & consequenter aliis superioribus potestate, quamvis communiter omnes homines teneantur sibi invicem jus, & æquum præstare.

XXXV.

703147

XXXV. *Institia hæc in charitate qvæ modis administratur à superioribus potestate, n. maritis, parentibus &c?*

Duobus modis: 1. protegendo & regendo, hoc est, illi superiores potestate exercent justitiam, & charitatem erga suos inferiores, qvi eos protegunt, & regunt.

XXXVI. *Qvid est protectio?*

Protectio est, &c. hoc est, illi superiores potestate protegunt suos inferiores. 1. Qvi eos defendunt à malis tùm animæ, qvalia sunt inscitia, peccata, eaqve svadentes, tùm corporis, qvalia sunt, morbus, nuditas, fames, sitis, mendicitas, captivitas, damnum, occisio, &c. Patet superiores potestate inferiores defendere, vel defendere debere à malis tùm animæ scil. tùm corporis Esa. 32. 2. ubi Rex adeoqve omnis superior potestate dicitur absconsio à vento, & latibulum ab inundatione, id est, à malis dictis animæ, & corporis. 2. Qvi bona suis inferioribus necessaria procurant tùm qvoad animam, qvalia sunt eruditio, & salutis media, ut in genere fides & observantia, seu agnitio Dei, & cultus; tùm qvoad corpus, qvalia sunt, qvieta vita, sanitas, possessiones, victus, amictus, honesta vitæ ratio, commoda habitatio, &c. ut dicetur th. 44. Patet superiores potestate, ea bona procurare, vel procurare debere, qvæ suis inferioribus necessaria sunt ex 1. Tim. 5. 8. Dicit enim Apostolus: Qvod si qvis (scil. superior potestate) suis (scil. inferioribus) non providet (scil. de rebus necessariis qvoad animam, & corpus) fidem abnegavit, & est infideli deterior. Observa ergò, Superiorum potestate officium est inferiores suos protegere, id est, mariti uxores, parentes liberos, heri servos, ministri Ecclesiam, magistratus subjectos defendere tenentur à malo. Patet. 2. an ita sit. 1. Tim. 5. 8. Coloss. 4. 1. 2. Cur ita sit. 1. Qvia Rom. 13. 4. superior potestate, n. maritus, parens, Dominus, minister, magistratus, Dei minister dicitur inferiorum bono: Ergò debet inferiores, n. uxorem, filium, servum, Ecclesiam, civitatem defendere à malo. 2. Qvia omnis superior potestate est tanqvam absconsio à vento, & latibulum ab inundatione. Esa. 32. 2. 3. Qvia omnis superior potestate est pater, custos, pastor, columna, &c. Ergò. Exhortatio. Ergò superior potestate, id est, marite, parens, Domine, minister, magistratus, id est, judex, Princeps, Rex, Imperator. 1. defende inferiores tuos, id est, uxorem tuam, filios tuos, servos tuos, Ecclesiam tuam, civitatem tuam, regnum tuum à malo, tùm animæ, n. morte æternâ, adeoqve causis ejus, n. infidelitate, apostasia; adeoqve falsis doctoribus; & inobedientia contra Deum; adeoqve mala conversatione, & occasione peccatorum: tùm corporis, n. morte immaturâ corporali, & possessionum jacturâ; adeoqve ejus causis, n. morbis, hostibus, latronibus, prædonibus, vitam, & possessiones eripientibus. 2. pro-

703147

spice iis de rebus necessariis, De qvibus dictum.

XXXVII. Qvid est rectio?

Rectio est, &c. hoc est, illi superiores potestate regunt suos inferiores, qvi eos in dictis bonis animæ scil. & corporis conservãt, & promovent. Patet superiores potestate suos inferiores in bonis conservare, & promovere, ex Rom. 13. 4. ubi Magistratus, & consequenter omnis superior potestate ad nostrum, id est, inferiorum bonum volendum, & procurandum dicitur à Deo ordinatus esse. 2. ex 1. Tim. 2. 2. ubi etiam omnis superioris potestate finis ille dicitur esse, ut efficiant, ut inferiores pii sint erga Deum, justi erga se, & qvietam vitam vivere qveant. Observa ergò. Superiorum potestate officium est, inferiores suos regere, id est, mariti uxores, parentes liberos, domini servos, ministri Ecclesiã, magistratus cives in bono promovere debent. Patet 1. an ita sit, Rom. 13. 4. ubi superior potestate Dei minister dicitur inferiorum bono. Ergò ejus officium est inferiores promovere in bono. Sic 1. Tim. 2. 2. ubi superiores potestate nobis dicuntur procurare vitam tranqvillam, & qvietam. Ergò eorum officium est nos promovere in bono. Heb. 13. 17. 2. Cur ita sit. 1. Qvia Deus præcipit superioribus omnibus, ut inferiores promoveant in bono. Eph. 6. 4. 2. Qvia superior inferioribus suis non providens infideli deterior est. 1. Tim. 5. 8. 3. Qvia inferiores superioribus debent subjectionem, & obedientiam propter rectionem, seu promotionẽ in bono. Heb. 13. 17. ut dicetur infra th. 51. Exhortatio. Ergò superiores potestate, id est, mariti, parentes, Domini, ministri, magistratus inferiores vestros, id est, uxores, filios, &c. regite, id est, promovete in bono, tàm animæ, n. fide, & observantia, sapientia etiam rerum humanarum: tùm corporis, n. sanitate, victu, amictu, commoda habitatione, honesta vitæ occupatione. Regite, seu promovete in bono autem eos 1. dirigendo, seu proponendo illis rectum, & bonum. Eph. 6. 4. dando illis bonas leges, & easdem subinde promulgando. 2. remunerando, seu bonum facientes præmiando: bonum vero non facientes puniendo. 1. Petr. 2. 14. Sic Rom. 13. Qvo præmio, qvâ pœnâ superiores illi inferiores suos afficiant, intelligi, & colligi facilè ab iis potest.

XXXVIII. Superiores potestate qvot modis regunt, seu promovent in bono inferiores suos?

Duobus modis: 1. eos dirigendo, & remunerando.

XXXIX. Qvid est directio?

Directio est, &c. hoc est, illi superiores potestate regunt, seu promovent inferiores suos in bono, qvi id solum præscribunt, qvod in se bonum, & rectum est, & efficiunt ut illud observent. Patet superiores potestate suis inferioribus præscribere, vel præscribere debere rectũ & bonũ ex Eph. 6. 4. Patres, &c. id est, superiores

703147

riores potestate vestris inferioribus præscribite rectum, & bonum, & date operam, ut illud observent. v. g. dicite, ut freqventent templũ, & etiam eos inducite ut templũ freqventent,

XL. *Superiores potestate qvî præscribunt inferioribus suis bonum & rectũ?*

Eis 1. bonas leges præscribendo, qvales sunt leges divinæ, vel eis consentaneas, qvales articulos præscribunt boni superiores potestate suis inferioribus in œconomia, in civitate, in Regno, in Ecclesia, in Schola. 2. bonas leges præscriptas subinde publicãdo, seu coram eis legendo, eosqve rogando, ut secundum eas vitam suam instituere velint. Sic fecit Moses. Superiores potestate leges ferentes, & non publicantes similes sunt aranеis, vel venatoribus clanculum rectè pandẽtibus, & insidiantibus an aliqvid irretiatur, ut protinus occurrant, & occidant.

XLI. *Qvid est remuneratio?*

Remuneratio est, &c. hoc est illi superiores potestate regunt, seu promovent suos inferiores in bono, qvi suos inferiores juxta præscriptas leges viventes præmio afficiunt, & contra eas viventes puniunt, ut cum præceptores discipulos suos pios, & diligentes laudant, & ditant, impios verò otiosos, & eos negligunt, & eliminant. Patet superiores potestate viventes juxta leges præscriptas præmiare, viventes vero contra leges scriptas punire debere. 1. Petr. 2. 24. Tum ad &c. id est, omnes superiores potestate ideò ordinati sũt.

nati sunt à Deo, ut illos qvi leges observant, laudent, seu præmio afficiant: illos vero qvi leges violant puniant. Sic Rom. 13. 3. 4.

XLII. Hîc maxime &c. hoc est, si remuneratio sit officium eorum, qvi potestate superiores sunt, ut maritorum, parentũ, dominorum, ministrorum, magistratuum; tum justitia distributiva & emendativa præcipuè apparet in illis, qvi potestate superiores sunt: qvia in remuneratione apparet magis justitia distributiva, & emendativa: quia præcipuè in remuneratione, seu præmiatione, & punitione traditur, & redditur suum cuiqve, ut vidimus supra c. 16. th. 65. & seqq. Obj. præcea justitia distributiva, & emendativa æqvè apparet in aliis hominibus, atqve in superioribus potestate, ut vidimus supra c. 16. th. 65. & seqq. ubi egimus de justitia, qvam omnes homines exercere debẽt: Ergò justitia distributiva & emẽdativa nõ magis apparet in superioribus potestate, ac in aliis hominibus. Resp. Conseq. neg. hoc est, etsi eadem justitia distributiva, & emendativa sit in aliis hominibus, qvæ est in superioribus potestate, tamen in his magis elucet, qvam in illis, qvia hi eam cum potestate exercent, sed illi sine potestate.

XLIII. *Qvibus convenit ergò jus vindictæ, seu punitionis propriè?*

Superioribus potestate, id est, maritis, parentibus, dominis, ministris, magistratibus: qvod patet tùm an ita sit. Rom. 13. 4. 1. Pet. 2. 14. tùm cur ita sit: qvia justitia emendativa, cujus actus est vindicta (ut dictum c. 16. th.

703147

16. th. 73. cum th. 68.) maximè elucet in superioribus potestate, ut dictum th. præcedente. Correctio. Peccant ergò privati, id est illi, qvi sibi non subjectos puniunt, ut mariti, qvi alterius uxorem percutiunt, parentes, qvi aliorum filios castigant, heri, qvi aliorum servos vexant, ministri, qvi vicinæ Ecclesiæ membra disciplinant; judices, qvi aliarum civitatum, & pagorum incolas incarcerant, & excoriant, &c. Obj. Vindicta propriè Deo Convenit. Heb. 10. 30. Ergò vindicta propriè non superioribus potestate convenit. Resp. Conseq. neg. qvia subordinata non pugnant: qvia vindicta superiorum dicitur vindicta Dei, si ii eam rectè exerceant. 2. Chron. 19. 6. Additur rectè: qvia ut privata vindicta, sic vindicta publica seu superiorum potestate, si exerceatur non rectè, id est, ex odio, cupiditate, crudelitate, in nocumentum peccantis, non potest vindicta Dei dici, sed hominum: qvia Deus nunqvam exercet vindictam non rectè.

XLIV. *Superiores potestate, seu mariti, parentes, &c. qvæ commoda inferiorum debent curare?*

Commoda 1. animæ, ut scil. virtutibus inbuantur, salutis media, 1. verbum Dei, sacramenta, disciplinam habeant, & salventur. 2. Corporis ut habeant pacem, sanitatem, medicamenta, victum, amictum, commodam habitationem, honestum vitæ genus; &c. Plurimum peccant ergò dicti superiores, qvi dicta commoda suorum inferiorum negligunt, & tamen jus in eos prætendunt.

XLV. *Qvotuplices sunt superiores potestate?*

Duplices: 1. privati vel publici.

XLVI. *Qvi sunt privati?*

Maritus respectu uxoris, parentes respectu liberorum, heri respectu servorum. Qvalis est potestas mariti, parentum, heri? Potestas maritalis est æqvalitate qvadam delinita, id est, officium mariti, & uxoris ferè æqvale est, sunt enim socii. Potestas herilis est mere imperiosa, id est, officium domini, & servi est inæqvale, non sunt enim socii. Potestas paterna est qvasi mixta, id est, officium parentum & liberorum est partim æqvale, partim inæqvale, partim enim sunt socii, partim non sunt socii.

XLVII. *Qui sunt publici superiores potestate?*

Ministri Ecclesiastici, ut Doctores, Pastores, Presbyteri, Diaconi; vel Magistratus, ut Imperatores, seu Cæsares, Reges, Principes, Capitanei, Duces, Judices. Vidimus th. 36. 44. officia superiorum potestate in genere, & etiam inferiorum officia in genere videbimus; th. 57.—63. sed nunc videamus hic officia mutua inspecie singulorum. Observa ergò: 1. Unum officiorum mariti erga uxorem est habere eam pro socia conjunctissima, & qvasi parte sui in paritate qvadam honoris.

703147

Patet an ita sit, Eph. 5. 28. 29. Qværes, qvæ sunt erga reliqva officia mariti erga uxorem? 1. In omnibus gerere se se debet tanqvam caput uxoris, 1. Cor 11. 3. &c. Hinc 2. debet excellere scientiâ, ac prudentiâ ut possit rectè præire, præesse, & dirigere uxorem à se pendentem. 1. Petr. 3. 7. 1. Cor. 14. 35. Ex qva etiam prudentia cedere sæpè debet suo juri, & consulere uxoris infirmitati, & intolerâtia defectuum uxori præire. 1. Petr. 3. 7. 2. Debet eidem pro sua facultate, & conditionis ratione in omnibus necessariis providere. 1. Tim. 5. 8. 3. Debet eam gubernare in eis, qvæ pertinent ad bonos mores & administrationem domus. Num. 30. 14. Informatio. Ergò 1. Socialis & maximè intima dilectio intercedere debet inter maritum, & uxorem. 2. atrox, gravis, aut contumeliosa tractatio uxoris aliena est plane à conjugii natura. Coloss. 3. 19. 3. honor singularis practicè deberur uxori à marito. 1. Pet. 3. 7.

2. Unum officiorum uxoris erga maritum est subjicere se marito tanqvam capiti suo. Patet 1. an ita sit. 1. Cor. 11. 3. Eph. 5. 22. Coloss. 3. 18. 1. Petr. 3. 6. Qværes, qvæ sunt ergò uxoris erga maritum reliqva officia? 1. Debet ita se gerere, ut honorem, & (si fieri possit) emolumentũ adferat suo marito. Prov. 12. 4. & 14. 1. & 31. 10. 11. 12. &c. 2. Debet cum timore, ac submissa reverentia cavere, ne maritum offendat. Eph. 5. 33. 1. Petr. 3. 2. 3. Debet in omnibus ita se gerere, ut maritus in ipsa conqviescere possit, tanqvam in altero ipse. 2. Cur ita sit. 1. Qvia ad subjectionem hortatur scriptura uxorem. Eph. 5. 22. Coloss. 3. 18. 2. Qvia nihil est tàm proprium uxori, qvàm maritus suus: qvocirca ejus gratiâ libenter omnia subire debet, & præstare. 3. Qvia sic decet in Domino, qvi hanc ordinem instituit sibi probatam. Ita subjectionem mulierum confirmat Paulus Coloss. 3. 18. authoritate Dei, ut illæ cogitent, se non hominibus præstare obsequium; sed Deo, quum propter Deum maritis suis obediunt: Ac proinde cavendum, ne dum maritis rebelles sunt, Deo ipsi hujus subjectionis authori resistant. 4. Qvia mulier post virum demum à Deo creata est. 1. Tim. 2. 13. 5. Qvia mulier est ex viro, non vir ex muliere. 1. Cor. 11. 8. 6. Qvia mulier est creata propter virum, non vir propter mulierem. 1. Cor. 11. 9. 7. Qvia mulieris caput vir est. Eph. 5. 23. 8. Qvia mulier primum seducta, causa transgressionis marito fuit Gen. 3. 16. 1. Tim. 2. 14. Sic qvæ prima in defectione à Deo fuit, est postrema in honore. 9. Qvia mulier imitari in subjectione Ecclesiam Dei debet, qvæ se se Christo subjicit. Eph. 5. 23. 10. Qvia, & Sara subjecta fuit Abrahamo, qvã imitari uxores debent factæ filiæ Saræ. 1. Petr. 3. 6. 11. Ut mulier promtitudine subjectionis suæ maritũ si à vera religione alienus sit, Christo lucrifaciat. 1. Petr. 3. 1. 2. Correctio. Ergò peccant uxores his officiis contraria facientes.

3. Unum officiorum parentum erga suos liberos est, eos sustentare victu, & amictu. Patet an ita sit. 1. Tim. 5. 8. Qværes, qvæ sunt ea-

703147

sunt reliqva parentum erga filios officia. 1. liberos edueare in doctrina, & disciplina Domini, Deut. 6. 6. 7. Eph. 6. 4. Coloss. 3. 21. Parentum igitur est, liberis opera Dei narrare, delinqventes castigare, Psal. 44. 2. Prov. 1. 8. & 3. 1. & c. 4. 1. & seqq. c. 23. 13. 14. 2. Scandala non præbere liberis idololatriâ, ebrietate, libidinibus, aut aliis peccatis. 3. Moderatè patriâ potestate uti, ne liberos exacerbent, & ad iram provocent. Eph. 6. 4. In castigandis moribus lenitate sanandi potiùs liberi, qvàm auctoritate exasperandi. Castigatio liberorum delinqventium nentiqvam intermittenda: 1. Qvia mandata est divinitus, Prov. 19. 18. & c. 23. v. 13. 14. 2. Qvia est documentum veri amoris erga liberos. Prov. 13. v. 24. 3. Qvia liberis eximit stultitiam, & reddit illos intelligentes, Prov. 22. 15. Prov. 19. 25. & c. 21. 11. 4. Qvia proderit illis per totam vitam. Prov. 22. 6. 5. Qvia eripit liberos è malo in qvod se alioqvin præcipitarent parentum indulgentiâ, Prov. 23. 13. 14. 4. liberis si necesse sit, & nihil obstet, restè, & tempestivè prospicere de conjugio. 1. Cor. 2. 36. 5. Ante excessum ex hac vita disponere domum suam, & præcipere liberis, familiæque suæ, ut in obseqvio Dei fideliter maneant: eosqve gratiæ Dei commendare religiosis precibus, atqve sic eis ultimum valedicere. Id mandatum est Abrahamo. Gen. 18. v. 19. mandatum idem fuit Regi Ezechiæ. 2. Reg. 20. v. 1. Iesaiæ, 38. v. 1. & fecerunt Abrahamus, Isaacus, Iacobus. Gen 48. & 49. David, 1. Reg. 1. & 2. Psal. 72. Correctio. Ergò

Ergò peccant parentes, qvi hæc officia erga suos filios negligunt.

4. Unum officiorum liberorum erga parentes est honorare parentes. Patet 1. an ita sit. ex 5. præcepto. Qværes, qvæ sunt reliqva officia filiorum erga parentes? 1. Debent parentibus, sicut & parentes ipsis, singularem amorem, cujus privatio astorgia inter vitia maximè detestãda numeratur. Rom. 1. 31. 2. 3. 4. Debent subjectionem, & obedientiam, 1. Tim. Tit. 1. 6. Eph. 6. 1. Coloss. 3. 20. 3. Debẽt singulare tolerantiã in ferendis, & tegendis infirmitatibus parentũ, Prov. 23. 22. Gen. 9. 22. 4. Debẽt timoré Lev. 19. 3. 5. Debẽt ipsis cum omni gratitudine vicẽ rependere in benè illis faciendo, qvandó opus est. 1. Tim. 5. 4. Matt. 15. 4. 5. 6. Marc. 7. 12. 2. Cur ita sit. 1. Qvia parentibus Deus mandat honorem exhiberi à liberis, Lev. 19. 3. Prov. 23. 22. 26. 2. Qvia illorum manu Deus liberos vult educere, ac regere, Eph. 6. 4. 6. Col. 3. 19. 3. Qvia honoris parentibus debiti exhibitio est documentum hominis sapientis, Prov. 10. 1. & c. 15. v. 20. Correctio. Peccant ergò liberi. 1. Qvi parentes contemnunt, Lev. 20. 9. Deut. 27. 16. Pro. 20. 20. 2. Qvi irridẽt, & subsannant. Prov. 15. 5. & 30. 17. 3. Qvi percutiunt, aut maledicunt. Exod. 21. 15. 17. Lev. 20. 9. 4. Qvi contumaces sunt erga eos. Deut. 21. 18. 5. Qvi magis honorant parentes, qvàm Deum. Matt. 8. 21. 22.

5. Unum officiorum Dominorum erga suos servos est, moderatè uti suo in eos imperio. Patet an ita sit, Eph. 6. 9. Coloss. 4. 1. Qvæ

ergò

703147

ergò sunt reliqva officia Dominorum erga servos, & ancillas? 1. Illa tantum illis imperare qvæ cum divina voluntate consentiunt. Eph. 6. 9. Col. 4. 1. 2. Debent suis servis præstare qvod justum est. Col. 4. 1. id est, omnia qvæ pro labore jurè debentur. Iac. 5. 4. qvalia sunt alimenta servitio, aut famulatui congruentia, quo nomine victus, vestitus, & habitatio comprehenduntur. Prov. 31. 15. 3. Debent etiam istis præstare qvod æquum est, Col. 4. 1. id est, illa qvæ à servis non possint exigi qvasi jure suo debita, sed ex recta ratione debentur, qvalia sunt benevolentiam singularem declarare erga servum fidelem, & prudentem, Prov. 14. 25. eumqve ad honorem promovere. Prov. 27. 18. & 17. 2. Non deserere servum ægrotantem. Matt. 8. 6. 4. Debent insuper curare, ut servi instituantur in doctrina religionis, & assvefiant ad exercitia pietatis, nec non ducere ipsos in via recta, & abducere à peccato. Decal. præc. 4. Prov. 29. 12. 5. Debent servos protervos corrigere. Prov. 29. 19. aut si sint incorrigibiles, expellere domo. Psal. 101. 6. Correctio. Peccant ergò Domini, 1. qui immoderatè utuntur suo imperio in servos. Tales sunt, 1. qvi nimiis laboribus gravant servos suos, sicut asinos. 2, qui non placidè imperant, & officia sua negligentes objurgant, sed turbulenter & eos crudeliter verberant, vulnerant. 2. qvi &c.

6. Unum officiorum servorum erga suos Dominos est, eos omni honore dignos ducere, & non despicere. Patet an ita sit. 1. Tim. 6. 1. 2. Qvæ sunt reliqva officia servorum erga Dominos

minos. 1. Ex animo imperatos à dominis labores perficere. Eph. 6. v. 5. 2. Esse fideles in commissis sibi à Dominis ut bona eorũ conservent. Tit. 2. 10. 3. Morum integritatem custodire, ne uxor, ne filii & filiæ, vel alii conservi corrumpantur. 2. Cur ita sit. 1. Qvia officium illud mandat Dominus, quũ ita ait per Apostolum, Coloss. 3. v. 22. Servi auscultate Dominis vestris. Itaqve illi qvi serviunt, non tàm homines respicere debent, qvam Deum. Is enim est, qvi illis hoc onus imposuit, qviqve illis mandat ut dominis auscultent, donec Deo visum fuerit, libertate corporali eos donare. 2. Qvia officium illud non præjudicat qvicqvam libertati Spirituali, nõ illam adimit, imò ne imminuit qvidem: qvia auscultant in statu suo servili dominis secundum carnem, qvi in spiritum ipsorum nullum jus obtinent. Qvod est optimum, & præstantissimum, liberum est; servitus tantum est carnis, ac proinde non perpetua, sed ad breve tempus: dominium cui subsunt est secundum carnem, seu carnale, ac proinde temporale, & breve. Qviequid enim est carnale, est caduq cum, & non diuturnum. 3. Qvia id reqvirit timor Dei. Qvi enim Deum timet, officium sibi injunctum à Deo, studiosè, & non invitus facit. Qvi Deum timet, nihil mali facit, etiam si nemo videat. 4. Qvia officium illud Domino potius exhibetur, qvàm hominibus: qvia Domino Christo serviunt. Deum enim & servatorem nostrum Christum servi Christiani honorant, & doctrinam ejus ornant, quũ fideliter Dominis suis serviunt, Tit. 2. 10.

703147

Eph. 6. 5. 6. Coloss. 3. 23. 5. Qvia recepturi sunt à Domino mercedem hereditatis, hoc est, qvam obseqvio, & fidelitati ipsorum gratuitò rependet ut filiis, & hæredibus: nam hæc hæreditas ex adoptione est. Col. 3. 24. 6. Qvia qvi injuriam intulerit, referet injuriam qvam intulerit, hoc est, luet pro illa pœnas, nimirum, sive servus sit, sive Dominus. Coloss. 3. 25. Servus enim infert injuriam Domino, fraudulenter opus sibi demandatum faciens, aut intervertens aliqvid qvod heri est. Iam si iniqvè egerit, non solum hominem offendit, sed & Deum qvem in admissa adversus carnalem Dominum fraude contemplit. Herus verò infert injuriam si servum fidelem injustâ sævitiâ premat, & indignis modis tractet, operasqve ejus non compensat benevole. Correctio. Peccant ergò illi servi, qvi hæc officia erga Dominos suos negligunt.

7. Unum officiorum Magistratus erga suos subditos est eos eminenter protegere, seu tutos præstare ab omni perturbatione, metu, impedimento, bene vivendi. Patet 1. an ita sit. 1. Tim. 2. 2. Sic Esa. 32. 2. Qværes, qvæ sunt ergò reliqva officia magistratus erga suos subditos? Resp. 1. Debet ipsis eminentem directionem, prospiciendo scilicet ut suppetant illis omnia media, qvibus possint in benè vivendo promoveri. Psal. 72. 6. 7. 2. prima magistratus cura debet esse, religionem veram promovere, & impietatem prohibere. Esa. 49. 23. Psal. 2. 11. Exempla hujus curæ laudantur in Davide, Salamone, Iosaphat, Hezekia, Josia, &c. Jehovæ, & negotia Regis 2.

gis, 2. Chron. 19. 11. non sunt ita disparata qvasi cura, & cognitio eorum qvæ sunt Dei non pertineret ad Regem; sed ita distingvuntur, ut in modo procurâdi Rex politicè suas partes agat; & sacerdos Ecclesiastice suas. 3. Debet magistratus fovere etiam, & promovere, externam fœlicitatem subditorum, non exasperationibus iniqvis perturbare, & evertere ipsorum fortunas, Prov. 28. 15. 16. 4. In istos fines, incumbit magistratui singularis cura legum, & judiciorum, ut cum omni justitia, & æqvitate, tàm constituantur, qvàm executioni mandentur. Esa. 10. 1. Jerem. 5. 1. Deut. 1. 16, 17. 2. Chron. 19. 5. Debet exemplo bono subditis suis præire, eoqve pro ratione muneris eminenti. Psal. 101. 1. 6. In moribus debet se gerere ut fratem reliqvorum, & in officio ut Patrem. Deut. 17. 20. Esa. 22. 21. Correctio. Peccant ergo magistratus. 1. qvi subditos suos non protegunt, seu defendunt á malis, adeoqve improbos non coercent, & reprimunt. Psal. 101. 8. 2. qvi suos subditos non regunt, seu non prospiciunt, ut illis suppetant omnia media benè vivendi. &c.

8. Unum officiorum subditorum erga suum magistratum est pro ipsis singulariter orare. Patet. 1. an ita sit. 1. Tim. 2. 1. 2. Sic Psal. 20. Qværes, qvæ sunt ergò reliqva officia subditorum erga suum magistratum? Resp. 1. Debent ipsi singularem venerationē. Prov. 24. 21. Rom. 13. 7. Hujus autem fundamentum duplex est: 1. ordinatio, & imago Dei, qvæ in ipsorum eminentia elucet. Rom. 13. 2. Benedictiones illæ qvæ ad subditos

703147

derivantur per ipsos, tanqvam per instrumenta Dei. Psal. 72. 2. Debent ex singulari reverentia cavere, ne temerarium judicium ferant de ipsorum admistratione. Exod. 21. 28. Eccl. 10. 20. 2. Petr. 2. 10. Jud. 8. Fundamentum hujus cautionis est. 1. Candor ille qvi cum erga omnes debet adhiberi, tum singulariter erga superiores. 2. Difficultatas explorandi fontes, & causas negotiorum publicorum. 3. Moderatio illa, qva leves infirmitates, & offensiones tolerare debemus, & communi tranqvilitati condonare. 3. Debent ipsis subjectionem, & obedientiam. Rom. 13. 2. 5. Tit. 3. 1. fundamentum hujus est. 1. supereminentia potestatis qvam magistratus acceperunt ad directioem subditorum, qvæ finem suum conseqvi non potest absqve subditorum obedientia. Rom. 13. 1. 2. Bonum commune qvod ex hoc ordine imperii, & subjectionis emanat. ibid. v. 3. 4. 3. Timor. 4. Conscientia erga Deum. ibid. v. 5. 4. Debent ipsis officia præstare, & solvere tributa. ibid. v. 6. 7. Fundamentum est. 1. cura debita boni communis. 2. Debitum gratitudinis, propter beneficia qvæ ex publica administratione in omnes derivantur. 3. Debitum justitiæ propter operam publicam à Magistratibus navatam. 2. Cur ita sit. 1. Qvia subditorum bonum in ipsorum bono continetur. Jer 29. 7. Sic 1. Tim. 2. 3. 3. Qvia singularis Dei honor ex ipsorum potestate & administratione pendet. 1. Petr. 2. 17. Correctio. Peccant ergo subditi hæc officia magistratui suo denegantes. Tales sunt. 1. qvi pro suis

suis magistratibus non orant; sed imprecantur. 2. qvi suos magistratus nō venerantur &c. Hucrefer & mutua officia ministrorū, & membrorum Ecclesiæ ex l. 3. cas. c. 24.

XLVIII. *Magistratus, & ministri Ecclesiæ differuntne à se invicē?*

Sic. Patet 1. an ita sit. Luc. 20. 25. ubi dominium convenit Magistratibus, sed ministris Christi non item. Sic Rom. 13. 1. ubi magistratus sunt qvibus omnes homines subjiciuntur: ministri verò Ecclesiastici sunt qvi iis subjiciuntur una cum aliis hominibus. Sic 1. Tim. 2. 1. 2. ubi pro magistratibus orandum est: qvi autem orare debent, sunt præcipuè ministri Ecclesiastici. Sic Exod. 4. 16. ubi Aron minister Ecclesiasticus differt à Mose magistratu. 2. Cur ita sit. 1. Qvia magistratus, seu publicos gubernatores hujus potius, qvàm illius generis, id est, quoad formā vel monarchicam, vel aristocraticam, vel democraticam homines instituerunt. 1. Petr. 2. 13. ut dictum supra th. 7. sed ministros Deus instituit. Eph. 4. 11. Additur qvoad formam: qvia in communi Deus instituit ut sint magistratus, seu publici gubernatores. Rom. 13. 1. 2. 3. lib. 5. Cas. c. 45. q. 1. r. 2. 2. Qvia magistratuum causa efficiens est Deus creator, adeoque Deus dedit magistratus omnibus hominibus, qvia omnes homines sunt creaturæ; sed causa efficiens ministrorum Ecclesiasticorum est Christus mediator, seu Redemptor, adeoqve Christus ministros Ecclesiasticos donavit proprie & ordinario jure, eis so-

703147

eis solis qvi sunt (scil. vel actu, vel potentia) de Ecclesia ejus, qvia illi soli sunt redempti. Additur propriè, & ordinario jurè, qvia impropriè, & extraordinario jure Christus dare solet ministros etiam illis, qvi non sunt de ejus Ecclesia, & redempti, qvales sunt reprobi in ejus Ecclesia. 3. Qvia magistratus imperant aliis, adeoqve ii (si sint summi, ut Imperatores, Reges) possunt leges ferre & abolere, & suum officium vicario committere; sed ministri Ecclesiastici (ut ministri, nã etsi ut servi. 2. Cor. 4. 5. nõ imperẽt. 1. Petr. 5. 3. tamẽ ut legati ita. Tit. 2. 15. l. 5. cas. c. 24. q. 1. r. 1.) nõ imperãt aliis, sed tantũ mãdata Christi aliis annunciãt. adeoqve neqve leges ferre, neqve eas abolere, neqve suũ officiũ loeũ tenenti committere possunt, ut dictum l. 2. c. 33. 4. Qvia magistratus sibi commissorum bonum commune tum spirituale, ut veram Dei agnitionem, & verum ejus cultum, tum corporale, ut pacem, securitatem exeundi & intrandi, copiam victus, & amictus, commodamqve habitationem politicis mediis & potestate coercitiva, id est, malos refrænante, reprimente, puniẽte, propulsante, n. Confœderatione, consilio, pecuniâ, armatâ manu, præmio, & pœna corporali procurant, sed ministri Ecclesiastici sibi commissorum bonum spirituale, n. fidem & observntiam mediis Ecclesiasticis, n. verbo, sacramentis, disciplina sacra procurant. Ministri Ecclesiastici procurant sibi commissorum bonum tantum spirituale: illis enim non est mandatum à Christo, ut bonum corporale sibi commissorum procurent. Obj. Magistratus minister

minister Dei dicitur, Rom. 13. 4. Ergò magistratus non differt à ministro Ecclesiastico. Resp. Conseq. neg. qvia magistratus dicitur ibi minister non Ecclesiasticus, sed politicus. Refutatio. Ergò errant Clerici, qvi simul volunt esse & ministri Ecclesiastici, & magistratus politici, volunt enim habere & potestate Ecclesiasticam & civilem, ut vides in Scharpio de Antichristo.

XLIX. *Magistratus, & ministri Ecclesiastici nonne etiam rebus, personis; causis à se invicem differunt?*

Sic aliqvomodo: nam magistratus curant res, personas, causas politicas, Ecclesiastici verò ministri curant res, personas, causas Ecclesiasticas; sed non differunt accuratè, qvia politicè & magistratus possunt res, personas, causas Ecclesiasticas curare, & ministri possunt Ecclesiastice res, personas, causas politicas curare. Sic magistratus templa, vasa Sacra, administrationem sacrorum, ministros, controversias de fide curare politicè debent: Sic ministri habitacula, possessiones civium, ipsos cives, causas civium de cæde, de fundo Ecclesiastice curare debent. Mosem enim Aron, & Aronem Moses adjuvare tenetur.

L. *Pontifex, & Clerus exemptus est ne à potestate Magistratus?*

Non. Ergò potestne alios à potestate magistratus eximere? Non etiam. Ergò po-

703147

testne illos solvere ab obedientia magistratibus, & parentibus debita, qvi religiosi seu Ecclesiastici, & Clerici voluut fieri? Non etiam: 1. qvia (ut dictum) magistratus, & personas Ecclesiasticas potest politice curare. 2. qvia hoc repugnat perfectæ legi Dei de honorandis parentibus, magistratibus. Observa ergo ex differentia magistratuum, & ministrorum:

1. Efficiens, seu author magistratus est ipse Deus. Patet. 1. an ita sit. Deut. 16. 18. Pro. 8. 15, Dan. 2. 21. Rom. 13. 1. 2. Cur ita sit. 1. Qvia magistratus dicuntur filii Dei. psal. 82. 2. Qvia homines jussu Dei eligunt magistratus. Exod. 18. 21. 3. Qvia Christus jussit date Cæsari, qvæ sunt Cæsaris. Matth. 22. 21. 4. Qvia Deus præfecit populo suo Duces, Iudices, Reges. 5. Qvia Apostoli ubiqve submiserunt se magistratui, cum divinis legibus contraria non præcepit. Refutatio. Ergò errant Anabaptistæ dicentes magistratus in N. T. non esse à Deo. Obj. Homines eligunt magistratum: Ergò magistratus non est à Deo. Resp. Conseq. neg. subordinata non pugnant. Est magistratus à Deo per homines: Vend. l. 1. c. 29. th. 5. Scharp. curs. Theol. de magistratu. Correctio. Peccant ergo 1. qvi magistratum recusant, qvia illi Dei ordinationem recusant, 2. qui magistratus contemnunt: illi enim Deum contemnunt. 1. Sam. 8. 7. 3. qui injustè magistratum acqvirunt per fraudem vel per vim Gen. 36. 31. Judic. 9. 1. Reg. 15. 27. & 16. 11. 2. Reg. 11. Magistratus enim acqviritur

qviritur vel per electionem, eamqve divinam, ut Moses, Josua, David, vel humanam, ut Homri 1. Reg. 16. Sedechias. 2. Reg. 24. 19. vel per successionem hæreditariam, ut successit Salamon Davidi: Roboam Salamoni, &c. Et hæc adeptio Magistratus est præstabilior, qvia est naturalis. Pol. l. 9. c. 64.

2. Christianis licet magistratum gerere. Patet 1. an ita sit. Matth. 22. 21. ubi licet tributum dare magistratui: Ergò etiam licet magistratum esse. Sic 1. Tim. 2. 2. licet pro magistratibus orare: Ergò & magistratum gerere. Sic licuit in V. T. Melchisedecho, Mosi, Davidi, &c. in N. T. Regulo illi. Ioh. 4. 53. Proconsuli. Act. 13. 12. &c. magistratum esse: Ergò & hodie licet. 2. Cur ita sit. 1. Qvia magistratus est bona ordinatio: Rom. 13. 1. 2. 2. Qvia magistratus est minister Dei, & vicem Dei in hisce terris gerit. Rom. 13. vi 4. unde Principes appellantur Dii, & filii altissimi. Psal. 82. v. 9. 3. Qvia magistratus in officio suo potest servire Domino in timore, & osculari filium ejus: Psal. 2. 11. 12. Servite Domino in timore, & osculamini filium. 4. Christiani bona conscientia possunt, & debent obedire magistratui, idqve propter Dominum, 1. Petr. 2. 13. Ergò bona qvoqve conscientia iidem possunt gerere magistratum. 5. Qvia facit ad societatem in hac vita conservandam, ad confusionem prohibendam, ad bonos defendendos, & malos puniendos. 6. Qvia sub magistratu tranqvillam, & qvietam vitam possumus agere, cum omni pietate, & honestate; 1. Tim. 2. 2.

Sic.

703147

Sic Scarph. citato loco. Refutatio. Ergò errant Anabaptistæ negantes Christianum bona conscientia posse magistratum gerere. Obj. Christiani liberati sunt à Christo. Gal. 5. 1. Ergò iis nullus Christianus dominari debet. Resp. Conseq. neg. Qvia Christiani liberati sunt à Christo non ab obedientia magistratui debita; sed à dominio Sathanæ, peccati, mortis æternæ. Vend. l. 1. c. 29. th. 5. Scharp. citato loco. 3. Licet summo magistratui leges condere, Patet 1, an ita sit. Prov. 8. 11. 16. Esa. 33. 2. ubi Reges Legislatores dicuntur. 2. Cur ita sit. 1. Qvia magistratus summus, & legislatio conjungûtur, qvia concessa jurisdictione, seu summa potestate, ea etiam concedi debent, sine qvibus ea exerceri neqvit. 2. Quia lex est Regis jussio: Ergò si Reges jubere possunt, etiam leges ferre possunt. 3. Qvia Christiani sunt cives reipublicæ: Ergò debent habere regulam civilium suarum actionum. Regestio. Civilium actionum regulæ possunt esse leges forenses Mosaicæ. Resp. Simile simili non repugnat. Refutatio. Errant ergò negantes magistratum summum posse bonas leges ferre de rebus corporalibus. Obj. Adversatur libertati Christianæ populum legibus talibus obligare: Ergò. Resp. Anteced. neg. Qvia libertas Christiana adversatur non servituti talium legum; sed servituti peccati, mundi, diaboli, legis ceremonialis. Correctio. Peccant ergò qvi odio habent Reges propter tales bonas constitiones.

4. Qvamvis ad justas leges hominum justo modo

modo observandas obliget Deus homines in conscientiis suis, ipsæ tamen leges humanæ qva sunt leges humanæ, non obligant conscientiam, seu violantes leges humanas peccant; sed non ideò, qvod eas violaverint, verum ideo, qvod legem Dei, Exod. 20. 12. Rom. 13. 2. &5. postulantē, ut leges magistratuū servemus, violaverint, Patet 1. an ita sit, Rom. 2. 32. & 2. 15. 1. Cor. 7. 15. ubi sola lex Dei obligare dicitur conscientias hominum. 2. Cur ita sit. 1. Qvia anima, adeoqve conscientia nostra soli Deo est subjicienda. 1. Petr. 4. 19. 2. Qvia solus Deus potest animam, & conscientiam peccantem punire, Iac. 4. 12. Ergò etiam solus Deus potest aliqvid ipsi prohibere. 3. Qvia internos conscientiæ motus solus Deus novit: Ergò solus potest illis legem ponere, aut conscientiam in illis obligare. 4. Qvia peccatum est transgressio legis divinæ, non humanæ. 1. Ioh. 3. 4. l. 1. Cas. c. 2. & l. 5. cas. c. 25. q 4. Scharp. citato loco. Refutatio. Ergò errant docentes leges à magistratu latas obligare conscientiam, & qvidem non minus, qvàm divinas. 1. Obj. Bell. Cuivis legi essentiale est, ut obliget conscientiam: Ergò leges à magistratu latæ etiam obligant conscientiam non minus, ac leges à Deo latæ. Resp. Anteced. falsum. 2. Obj. Vendelinus contra dicit tibi l. 1. c. 29. th. 11. Ergò. Resp. Conseq. neg. Informatio. Ergò violatio legum à magistratibus latarum non est propriè peccatum, adeoqve propriè non lædit conscientiam nostram. Admonitio. Ergò 1, magis metuas leges Dei violare, qvàm humanas

703147

humanas. 2. ne mordeat te conscientia propter violationem legis humanæ, sed divinæ. 5. Bonum commune spirituale, qvod magistratus debet subditis procurare est vera religio. Ad magistratum politicum pertinet ergò veram religionem curare, id est, juxta verbum Dei asserere, & à corruptelis vindicare. Patet 1. an ita sit. tùm ex Esa. 49. 29. ubi Reges nutricii Ecclesiæ dicuntur esse, tum ex exemplis josuæ, Samuelis, Davidis, Salamonis, Ezechiæ, josaphati, josiæ. 1. chr. 13. 5. & c. 23. 2. Chron. 29. Et Nabucadnezaris caventis, ne qvis in sua monarchia Deum judæorum blasphemaret. Dan. 3. 2. Cur ita sit. 1. Qvia magistratus est publicus Dei minister, Rom. 13. 4. 2. Qvia etiam Patresfamilias tenentur enutrire suos in doctrina, & mónitis Domini, Eph. 6. 4. 3. Qvia magistratus in specie jubetur osculari filium, & servire Domino in timore, Psal. 2. 12. 4. Qvia magistratus est custos utriusqve tabulæ Decalogi. Refutatio. Errant ergò qvi docent magistratum debere tantum rempublicam civiliter curare. Obj. 1. 2. Chro. 26. 19. Ozias Rex leprâ percussus fuit, qvia templum ingressus sacrificare voluit: Ergò cura religionis ad magistratum non pertinet. Resp. jure, at si Sacerdotem in officio errantem reprehendisset, vel aliqvid malè gestum in religione reparasset, exemplo aliorum Regum, id illi non contigisset. Obj. 2. Oza Levita, qvi temere manum arcæ vacillanti imposuit, morte punitus fuit, 2. Sam. 6. 16. 1. Chro. 16. 29. Ergò cura religionis non pertinet ad magistratū.

Resp.

Resp. Conf. neg. qvia Oza nō fuit magistratus, Deinde Oza punitus fuit, qvia contra legem ipse cum aliis arcam non portavit, sed plaustro imposuit. Correctio. Peccant ergò magistratus 1. qvi religionem, & cultum Dei non curant. 2. Pastores qvi magistratum ad hoc officium non exstimulant. Admonetur ergò Magistratus, ut religionem veram fideliter curet: qvod sic faciet: 1 Si & ipse religiosus erit, id est, subdat collum suum jugo Christi, id est, doctrinæ & disciplinæ obediat, & admittat ministrorum verbi admonitiones. Religiosus ergò & pius debet esse magistratus; qvod patet. 1, an ita sit, 1. ex Psal. 2. 26. 11. 12. Deut. 17. 16, 20. josu. 1. 7. 8. 2. ex exemplo Regum Davidis, josaphati. 2. Chr. 19. 2. Cur ita sit. 1. Qvia ille etiam est membrum Ecclesiæ. 2. Qvia pietas magistratus magis impellit subditos ad pietatem, qvàm eorum edicta severissima & pœnæ. 3. Qvia propter peccata magistratus Deus totum populum punit. 1. Reg. 17. Gen. 20. 9. Correctio. Peccant ergò magistratus 1. qvi admoniti sui officii irascuntur verbi ministris, ut Asa. 2. Chron. 16. 7. Joas c. 24. 20. 22. 2. qvi pro inimicis habent & odio prosequuntur ministros verbi, ut Achab. 1. Reg. 20. 20. & 22. 2. Qvi eligunt Regem idololatricum. 3. Qvi in talis Regis aula nec ut subditi nec ut vocati vivunt, & aliqvo officio sungitur. Interim impii etiam possunt esse magistratus. 1. Qvia omnibus magistratibus sine exceptione pietatis jubemur obedire, Rom. 13. 1. 1. Petr. 2. 13. 2. Qvia magistratus

703147

impii dicuntur uncti Dei & servi. Esa. 45. 1. Jer. 27. 8. 3. Qvia pro impio magistratu est orandum. 1. Tim. 2. 4. Qvia dominium habet fundamentum in natura, non in gratia: Ergò cum natura maneat in impiis, dominia exercere possunt. 1. Obj. Hos. 8. 4. Creatunt Regem non ex me. Ergò ℣. Conseq. neg. 2. Obj. Dominium est à Deo: Ergò illud hostibus suis non confert. ℣. Conseq. negat: Matth. 5. 45. 2. Si operam dederit, ut subditi in religione vera ex solo verbo Dei instituantur. Et sustulerit & prohibuerit qvicqvid veræ religioni & in doctrina & in ceremoniis adversatur. 3. Si conventus Ecclesiæ ordinarios, ut conciones sacras, presbyteria authoritate sua tuitus fuerit, & eos contemnentes, deserentes, negligentes ad officium aduxerit. 4. Si extra ordinarios conventus, ut synodos qvoties opus erit indixerit, Jos. 23. & 24. 1. Chro. 15. 3. 2. Chron. 29. 4. Si Ecclesias visitari curaverit 2. Chron. 17. 7. & ipse visitaverit, ut Josaphatus. 2 Chro. 19. 4. & ministros admonuerit sertò officii sui, ut Josaphat. ℣. 8. 9. & Ezechias c. 29. 5. Si bona Ecclesiastica debito modo colligi curaverit, ut Joas. 2. Chron. 24. 8. 9. 6. Si bona Ecclesiastica rectè administrari curaverit. Cura enim rerum sacrarum jure divino ad Magistratum pertinet. qvod arguit Regum institutio Deut. 17. 19. & exemplum Joas, qvi cum videret pecuniam sacram non rectè administrari á sacerdotibus, immiscuit se illi curæ, & regia authoritate rem compescuit. 7. Si bona legata in pios usus justè abstulerit abutentibus,

tibus. 8. Si fidos Ecclesiarum ministros Pastores, Presbyteros honoraverit, audiverit, à contributionibus immunes præstaverit. Esdr. 7. 24. eosqve officio suo non satisfacientes deposuerit, & idoneos substituerit. 1. Reg. 2. 26. eosqve defenderit assertà eorum authoritate, assignatis ipsis stipendiis sufficientibus, honestis, ut David, Ezechias, Joas. 9. Si non invexerit, vel defenderit cultum vero Dei cultui contrarium, qvâ in re peccavit Salamõ Jeroboam, Achab. 10. Si non imperaverit ministris Ecclesiæ verbo Dei contraria, ut Achab. 2. Reg. 16. 10. & seqventibus. 11. Si non officia Ministrorum sibi usurparerit, ut Uzzias. 2. Chron. 26. 16. & seqq. 12. Si non obtemperaverit Principibus corruptelas religionis svadentibus, qva in re peccavit Joas. 2. Chron. 24. 17. & seqventi. 13. Si diversas Religiones tolerare coactus fuerit, earum assertores dociles institui curaverit, indociles verò inqvietos, blasphemos coercuerit & puniverit. Deut. 13. 1. & seqq. 14. Si instrumenta idololatriæ, & idola amoverit & abolleverit, ut Mojses vitulum aureum, & Asa 1. Reg. 15. 13. Hæc facere tenentur & subditi, si Magistratus non fuerit. 15. Si qva in re ad cultum Dei pertinente erraverit, cognito errore emendationem instituerit, ut David correxit, qvod antea peccatumerat in deportatione arcæ fœderis 2. Sam. 6. & 1. Chron. 15. Arcam novo plaustro vehi curaverat prater Dei præscriptum, cum á Sacerdotibus ad id sanctificatis portari debuisset, qvod deinde procurante ipso factum. 16. Si Scholas erexerit,

703147

xerit; conservaverit, locupletaverit.

6. Ad magistratum politicum pertinet ergó Scholas erigere, confetvare, locupletare, Patet. 1. an ita sit. 1. ex exemplo Josuæ, qvi Levitis assignavit civitates qvæ erant eorum Academiæ. Iosuæ c. 21. 2. ex synagogis, qvæ erant instar Academiarum. Act. 6. 9. qvas magistratus erexerat. 3. ex Schola Tyranni. Act. 19. 9. 2. Cur isa sit. 1. Qvia qvarti præceptum reqvirit, ut magistratus scholas erigant, conservent, ditent, ut vides in chatechesi Palatina. 2. Qvia sine scholis puritas religionis conservari neqvit. 3. Qvia Scholæ Christianæ sunt seminaria Ecclesiæ, qvia in illis fundamenta pietatis, & veræ religionis jaciuntur, & idonei tùm ministri verbi, tùm auditores redduntur. Hinc: 1. Iulianus Apostata nullum invenit efficacius remedium ad extirpandã Christi Ecclesiã, qvàm si Scholæ Christianorum clauderentur. Non absimiles sunt hodie nostri idololatræ & persecutores Iuliano Apostatæ. 2. qvi contemnunt, & negligunt Scholas, non possunt non ipsas qvoqve Ecclesias contemnere, & negligere. Negliguntur Ecclesiæ, & Scholæ, qvando sacri earum reditus in profanos usus convertuntur. 3. Qvia excinditur populus scientia carens. Hos. 4. 6. Ergò etiam scholis carens: qvia scientia non est sine Scholis. 4. Qvia Scholæ reddunt respublicas in toto orbe celebertimas. 5. Qvia tunc dicuntur esse fœlices respublicæ, cum philosophi Principes eas administrant. Ergò Scholas erigere Principes tenentur, qvia secus philosophi fieri nequeunt.

qveunt. 6. Qvia magistratus ornare tenentur respublicas: At Scholæ sunt ornamenta rerum publicarum, sunt enim earum soles, & sidera. 7. Qvia populus Scholis destitutus est barbaris similis, incultus est enim qvoad mores, sermones, victum, amictum, habitationem. 8. Qvia, ut Ecclesiæ ordinatiè esse non possunt sine Scholis; sic œconomiæ, & politiæ piæ justæ absqve scholis esse neqeunt: Correctio' Peccant ergò 1. Magistratus, qvi, 1. Scholas nec ipsi erigunt, nec aliis erigere permittunt. 2. ab aliis erectas destruunt. 3. non locupletant, & ab aliis locupletatas spoliant, ut sæpissimè in afflictissima nostra natione fieri solet. 7. Bonum commune corporale, qvod magistratus debet subditis suis procurare conspicitur. 1. In legibus. Debet magistratus ergo. 1. Generales leges à Deo de rebus corporalibus latas pro norma vivendi & judicandi habere. 2. Novas leges ad ordinem & salutem publicam spectantes condere. 3. Humanas leges divinis contrarias, vel reipublicæ noxias abrogare. 4. Sceleratos seu violatores legum impunitos non dimittere.

2. In judicibus. Magistratus ergó constituere debet judices & qvidem Dei timentes, sapientes, prudentes, temperantes, veraces, justos &c. Patet 1. an ita sit. Exod. 18. 21. Sic Gen. 41. 33. 2. Chro. 19. 5. & seqq. Psal. 101. 42. 7. Prov. 16. 12. Dan. 2. 48. 49. & 6. 2. 3. 2. Cur ita sit. 1. Qvia celebertimi Reges etiam nihil sine consilio procerum faciebant, veluti David, Salomon, Asa-

703147

sverus. 2. Qvia tales possunt dici fili Dei. Psal. 82. 6. 3. Qvia secus iniqve judicabunt populum. ℣. 2. 4. Qvia Deus secus judicabit illos. ℣. 1. 8. 5. Qvia tales conservabunt & amplificabunt, & locupletabunt populum, ut judices Davidis; Salamonis, &c. Correctio. Damnandi sunt ergò summi magistratus, qvi eligunt judices in Regno, civitate, pago, impios, insipientes, &c,

Iudices præcipuè justitiæ studere debent in causis & litibus forensibus cognoscendis decidendisqve: id enim præcipitur Exod. 23. ℣. 6. 7. 8. 9. Deut. 1. ℣. 16. 17. & Cap: 16. ℣. 18. 19. 20. 2. Chron. 19. ℣. 6. 7. Psal. 82. 3. 4. Iesai. 1. ℣. 17. Absit injustitia, absit favor iniquus injudicio, absit rigor injustus & nimius. Injustitia injudicio, est non tantum cum adimitur alicui qvod ipsius est, sed etiam cum processus in dijudicatione causarū à legibus deflectit: veluti si una tantum pars audiatur, altera non item, qvod neqvaqvam faciendum: 1. Qvia lege Dei est vetitum. 2. Qvia justitia causæ cognosci neqvit, nisi utroqve litigantium audito. Prov. 18. ℣. 17. Iustus videtur, qvi primus est in lite sua, donec adveniente proximo ejus, pervestiget illum. Favor iniquus in judicio, est peccatum cum judices alteri partium litigantium plus æqvo favent, velut pauperibus misericordiæ specie, vel divitibus ob amicitiam, aut dona, aut metum offensionis, & inimicitiarum, vel ob alias causas. Vocatur etiam personarum acceptio, qvæ est tribuere justa injustis, vel præmia non meritis; veluti si judex relinqvens

causæ meritum de qva judicat, alteri contra alterum suffragatur, qvia invenit aliqvid in persona qvod honore vel miseratione sit dignum. Vocatur etiam munerum acceptatio. Caveri debet favor iniquus in judicio. 1. Qvia prohibetur à Deo. Exod. 23. ℣. 3. 6. Levit. 19. ℣. 15. 2. Qvia Deo displicet, ut displicuit in judicibus Iezreelis, qvi Nabothum in gratiam Regis Achabi damnaverant & lapidaverant. 1. Reg. 21. 3. Qvia malus est. Prov. 18. v. 5. 4. Qvia execrabilis est omnibus. Prov. 24. v. 23. 24. 5. Qvia punitur à Principe seu Magistratu summo, aut hoc connivente, vel ignorante, à Deo ipso, ut Haman, qvi injustè morti adjudicaverat Iudæos, & in iis Mardocheum, justo supplicio punitus est à Rege Assvero. Esther. 7. v. 9. 10. Huc pertinet qvod dicit Ecclesiastes 5. v. 8. Si oppressionem pauperis, interversionemqve juris ac justitiæ videris in ipsa provincia, ne mireris de ista voluntate, nam altus superior alto observat, imò altissimus superior istis. Caveri ab iisdem debet munerum captatio & acceptatio. 1. Qvia prohibetur à Deo Exod. 23. v. 8. Deut. 16. 19. 2. Qvia coarguitur à Deo Iesa. 1. v. 23. Prov. 17. v. 23. 3. Qvia munera excæcant oculatos (id est, sapientes) & pervertunt verba justorum, Exod. 23. v. 8. Obj. Prov. 18. v. 16. dicitur: Donum hominis in lato collocat eum, & ante faciem magnatum deducet eum: Ergò munerum captatio est licita. R. Salamon Prov. 18. v. 16. docet qvid fieri soleat, non qvid sit faciendum. Rigor injustus & nimius

703147

in judicio, est peccatum quum vel insons contra jus damnatur & opprimitur, vel noxens gravius damnatur & premitur, qvàm juri sit consentaneum, etiam si id sub prætextu juris fiat. Caveri debet à judicibus. 1. Qvia Prohibetur à Deo Prov. 17. v. 26. 2. Qvia summum jus summa sæpè injuria est.

3. In domesticis: Magistratus ergò domesticos debet habere pios, justos, temperantes, veraces, syncetos, ne domus ipsius malè audiat propter domesticos ipsius. Prov. 16. v. 33. Bono exemplo iis præeat, ut de eo dici possit. 1. Reg. 10. 8. Davidem hic imitetur Psal. 101.

4. In jure dicendo: Magistratus ergo nõ debet detractare jus dicere; hoc enim facere expedit, imò debet. 1. Qvia id ei à Deo injunctum & mandatum. 2. Qvia id officium & vocatio ejus reqvirit, hoc fine Princeps, hoc fine Magistratus est. 3. Qvia non alia res imperium magis asserit & ostendit, qvàm hæc in bona vitamqve aliorum protestas. 4. Qvia contra potentes sæpè causæ aguntur, aut potentes deliqverunt: nec minores illi aut delegati judices satis in eos oris, aut roboris semper habent: Princeps autem sua aũthoritate & potentia illos coercere valet. Prov. 20. 8. 5. Qvia sæpè veritas subtiliter & sagaciter inquirenda & eruenda, qvod plerumqve omnium facillimè & dexterrimè Princeps aut summus Magistratus potest. Prov. 16. 10. ut exemplum ostendit Regis Salomonis. 1. Reg. 3. 6. Qvia Princeps seu magistratus summus habet exempla proba aliorum Regum & Principum,

cipum, qvos imitetur: ut Mojsis, Samuelis, Davidis, Salomonis, & aliorum.

5. In exactione tributorum: Magistratus ergò tributa exigere debet sine peccato, sine oppressione subditorum vel peregrinorum: 1. Qvia hæc est voluntas Dei. 2. Qvia idcirco magna tributa & vectigalia minus ad utilitatem Reipublicæ proficiunt, qvia eum peccati aliqva admistione colliguntur. 3. Qvia etsi earnis judicium sequentibus, parùm videtur Reipublicæ accedere utilitatis, si exigua tributa & vectigalia colligantur: tamen certum est inde multum Rempublicam adjuvari, si subditi non exhauriantur: Moderata durant. 4. Qvia vectigalium atqve tributorum magnitudo, & auctio alienat tandem subditorum animos & ad rebellionem qvem excitat, ut expertus est Roboamus filius Salamonis.

6. In Publicorum operum curatione. Debent ergò Magistratus munitionem civitatum exædificare, arma omnis generis comparare, ad defensionem subditorum adversus hostes. Docent exempla laudatissima: Davidis. 2. Sam. 5. 9. 10. 11. Salamonis, 1. Reg. 9. v. 15. & seqq. Asæ, 2. Chron. 14. 6. 7. 8. Iosaphati. 2. Cho. 17. 12. 13. Uzziæ, 2. Chron. 26. 14. 15. Ezechiæ, 2. Chron. 32. v. 2. & seqq.

7. In præcavendis aut sedandis motibus publicis. Ad præcautionem ergò & sedationem publicorum motuum reqviritur. 1. Ultronea cognitio gravaminum publicorum, qvæ est Magistratui necessaria, ad conservandam seu conciliandam subditorum benevolentiam

& prom-

703147

& promptam obedientiam. Exemplum eius est in Rege illo laudato Aegypti, qvi Iosephum proregem constituerat. Gen. 41. 55. In Iosepho. Gen. 47. 15. 18. 2. Onerum publicorum allevatio, qvæ interdum etiam est necessaria: nisi enim subditis communi eam concessu essitagitantibus fiat, animos eorum à Principe seu Magistratu alienat, & mutationi regiminis occasionem præbet, ut exemplum ostendit Roboami filii Salamonis, 1. Reg. 12. Eaqve fit moderando, vel plane remittendo tributa. Exemplum est in Nehemia Principe populi Iudaici. Nehem. 5. v. 14. 15. 18. Tum necessariam alimoniam aut pecuniam aut alia commoda submini strando subditis. Exemplum est in Nehemia. c. 5. 17. 18. Tum liberando pauperiores subditos ab onere servitutis, æris alieni, oppignorationis bonorum, Neche 5. v. 1. & seqq. 3. Patientia & dissimulatio prudens injuriarum, qvæ Principi sæpè est necessaria, ut testatur exemplum Mosis, qvo nullus Principum patientior fuit in dissimulandis injuriis sibi illatis. Exemplum itidem Gedeonis. Iud. 8. 1. 2. 3. & Saulis, 1. Sam. 10. 27. & Cap. 11. v. 12. 13. Davidis. 2. Sam. 19. v. 22. 23. 24. Ejusdem Davidis occiso Abnere, & Amasa à Ioabo, in qvē tum nihil potuit David instituere, qvin totum populum commoveret, & periclitaretur regnum. 2. Sam. 3. v. 28. 39. Cap. 20. 23. 1. Reg. 2. 5. 4. Amnesthia, seu oblivio perpetua injuriarū, qvæ ad motus sedādos perqvàm est utilis. Eam sanxit Rex David post seditionem ab Absalomo filio excitatam. 2. Sam. 19

Sam. 19. v. 12. 13. 5. Collatio honorum & dignitatum, qvæ magnam ad sopiendas seditiones efficaciam habet. 2. Sam. 19. 14. 15. 6. Clementia Principis, seu Magistratus, qvæ decora est & utilis, & necessaria sæpè ad præcavēdos aut sedādos publicos motus, ut ostēdit exēplū Davidis parcētis illis qvi partes Siba secuti erant, & contenti solius Siba pœnâ, 2. Sam. 20. parcentis etiam illis qvi Absolomo adhæserant. 2. Sam. 19. Hæc clementia populum ad officium & subjectionem reduxit. 7. Fides in servandis promissis, qvæ non tantum conveniens est Principi seu magistratui, verum etiam necessaria ad præcavendam rebellionem, seditionem, & motus publicos subditorum. David Rex factus servavit fidem promissam Ionathani, unde Beniamiitæ & alii Izraelitæ libentius in obsequio ejus fuerunt. Idem servavit fidem filiis Barzillai Gilhatidæ. 1. Reg. 2. 7. 8. Improbatio & punitio scelerum à potentibus perpetratorum, qvæ etiam necessaria est Principi seu Magistratui ad continendos in subjectione voluntaria alios subditos. Exemplo suo id docuit David cum Ioabus Abnerum interfecisset, 2. Sam. 3. 28. & seqq. 1. Reg. 2. 28. ubi pœna Ioabi memoratur. Observa hîc etiam: 1. Magistratus summi reos non debent omnino impunitos dimittere. Patet 1. an ita sit ex exemplo Salomonis puniētis Ioabum, Abietharem, Semei, Adoniam. 1. Reg. 2. 2. Cur ita sit. 1. Qvia leges divinæ & humanæ exigunt pœnæ exequutionem, Gen. 9. v. 6. Levit. 29. 20. Exod. 21. v. 12. Deut. 1. v. 17. &

703147

17. & 13. & 17. 18. & 19. 19. 1. Reg. 20. 42. Rom. 13. 4. & alibi. 2. Qvia in omni scelere puniendo tria sunt, pars læsa, Magistratus, & Respublica perturbata: at etiam si pars læsa condonaret, duo reliqva ultima Magistratum obligant ad pœnam infligendam, qvia illius est jus suum cuiqve tribuere & pacem publicam tueri, qvod fieri non potest nisi sceleratos coerceat. 3. Qvia peccatū qvod nó punitur, ex parte approbatur ab iis qvi punire debent; at author & approbator sunt ejusdem criminis rei. 4. Qvia supplicia sunt justa vel injusta, si injusta abolenda; si justa, tum injustitiæ est ea non infligere. Prov. 17. 15. 5. Qvia exemplum Saulis parcentis Agago 1. Sam 15. qvem Deus mori voluit hoc idem docet, vide etiam, 1. Reg. 20. 42. 6. Qvia judex non debet judicare legem; sed secundum legem, qvia omnis lex justa est à Deo 1. Chro. 19. 7. Qvia qvibus pœnas condonant Magistratus, illi sæpè in eadem vel alia crimina incidūt, & alii illorū exemplo impunè se peccare posse putant. Correctio. Peccant ergò summi Magistratus reos impunitos dimittentes, ut Saul Agagum. 1. Sam. 15. 9. & Achabus Benhadadum. 1. Reg. 20. 42.

2. Possunt tamen summi Magistratus aliqvando pœnas differre aut mitigare, prout Respublica, pax & aliæ circumstantiæ reqviruunt. Patet 1. an ita sit, ex exemplo Davidis qui pœnam Ioabi distulit, Abiatharis pœnam mitigavit, 1. Reg. 2. 26. Salamonis, qvi pœnam Semei mitigavit, 1. Reg. 2. 36. 2. Cur ita sit. 1. Qvia Magistratus est lex animata

animata: Ergò leges interpretari & moderari potest. 2. Qvia stricta justitia sæpè est summa injuria: Ergò æqvitas, id est, moderatio ratione circumstantiarum aliqvando reqviritur. 3. Laudatur clementia prudens in Regibus. 3. Reg. 20. v 1. & alibi. 4. Reges possunt pro ratione circumstantiarum pœnas legibus constitutas augere. 2. Sam. 12. 5. Ergò & mitigare. 5. Ipsa mandata Dei affirmativa non obligant prout negativa, qvia aliqvando exequutio non est necessaria, vel est impossibilis, vel impedire potest majus bonum: Ergò. Correctio, Peccant ergò summi Magistratus, qvi non differunt, vel non mitigant pœnam delinqventium. 8. Subditi, qvi Magistratui subsunt sunt homines, non tantum laici & seculares, sed etiam Ecclesiastici. Observa ergò Magistratui politico subjecti sūt clerici, sem Magistratus iurisdictionē, seu potestatē accepērūt à Deo etiam in Clericos. Patet 1, an ita sit. 1. Reg. 2. 27. Sic Exod. 4. 16. Act. 25. 11. Ioh. 19. 11. Et ex exemplis Regum Ecclesiasticis imperitantium. 2. Cur ita sit. 8. Qvia expresse jubet Apostolus, Rom. 13, v. 1. omnem animam, seu hominem Magistratui obedire: qvod & Petrus omnibus Christianis præcipit. Epist. 1. c. 2. v. 13. 2. Qvia etiā Christus, & Apostoli subjecerunt se Magistratui politico. Et Apostoli qvidem ad politicos vocati Magistratus, exceptionem de hoc privilegio nunqvam opposuerunt. 3. Qvia etiam Imperatorum constitutiones subjecerunt civilibus legibus Clericos in criminalibus. Re-

703147

futatio. Ergò errant pontifici Ecclesiastici Magistratibus politicis subesse negantes. Obj. Clerici non sunt animales; sed spirituales homines: Ergò politico magistratui non sunt subjecti. R. Anteced. neg. Sunt enim Clerici animales, & spirituales: Spirituales ratione vocationis singularis ad officium spirituus: Animales, ratione naturæ: qvam non exuunt. Imò in multis pius est animalitatis, qvàm spiritualitatis. 2. Conseq. neg. Nam & spiritualium cura suo modo ad Magistratum politicum pertinet, ut supra ostendimus. Correctio. Peccant ergò 1. Clerici nullo modo pendere volentes à Magistratibus, 2. Magistratus suo modo non utentes jure suo in Clericos. Vend. l. 1. c. 29. th. 14. Enery. Bell. tom. 2. pag. 132.

LI. Qvis est honor qvem inferiores, nimirum uxor, filii, servi, Ecclesiæ membra, subditi suis superioribus potestate, nimirum, Marito, Parentibus, Dominis, Ministris, Magistratui debent? Subjectio & obedientia. Inferiores ergò superioribus potestate debent subjectionem & obedientiam, seu agnitionem potestatis, & præstationem legis eorum: qvod patet tum an ita sit. Hebr. 13. 17. obedite &c. hoc est, inferiores superiorum vestrorum in vos authoritatem cognoscite, & eorum mandata facite; tum cur ita sit, qvia superiores potestate regant inferiores, ut dictum, Thes. 37. & seqq.

LII. Qvid est subjectio?

Est au-

Est authoritatis &c. hoc est, subjectio est qua inferiores, ut uxor, filii, agnoscunt, qvod sui superiores, n. Maritus, parentes, potestatem in ipsos à Deo acceperint. Observa ergo: Inferiores suis superioribus subjectionem debent. Patet 1. an ita sit. 2. Petr. 2. 18. Sic Eph 5. 22. 24. 1. Petr. 3. 5. Luc. 2. 51. 2. Cur ita sit. 1. Qvia obedientia inferiorum erga superiores non potest esse sine subjectione, seu agnitione potestatis eorum, qvamvis subjectio possit esse sine obedientia. 1. 5. cas. C. 24. q. 2. r. 4. 2. Qvia potestas superioris sine subjectione inferiorum non magis consistere potest actu, qvam relatū unū sine suo correlato, ut maritus sine uxore. 3. Qvia mandatur à Deo. Heb 13. 17. Correctio. Damnanda est ergo rebellio, insurrectio, seditio, defectio, qva inferiores suis superioribus se non subjiciunt, id est, eorum potestatem in se nō agnoscūt, vel contēnunt, sioccipēdunt, &c. Qvia qvi superioribus rebelliāt, Deo rebelliāt. 1. Sam. 8. 7. 2. Qvia rebellantes adversus Principem subditi morte sunt afficiendi. Luc. 19. 27. Ios. 1. 18. attamen authoribus rebellionis sublatis non est in populum, qvi eos sequutus est, sæviendum, ut Ioab. 1. Sam. 20. 22. Rex Babyloniæ Ier. 52. 9. 10. 24. 3. Qvia in eos qvi rebellionem movent adversus Principem Deus solet animadvertere gravissimè. Exemplum, Core & socii, Num. 16. 32. 33. 35. Sic, minatur Deus se peste, fame, gladio perditurum Sedechiam, & Populum Iudaicum, aliasqve omnes gentes, qvæ rebellaverint adversus Regem Babyloniæ, cui

703147

cas subjecerat: Ier. 27. 8. Vice qvoqve Cap. 41. Deniqve, justo Dei judicio fit; ut qvi rebellant adversus Principem, & ejus regnum occupant, plerumqve & ipsi misere pereant, iisdem pœnis affecti, qvibus alios afficerunt. Exemplum Ierobam. 1. Reg. 15. 29. Bahasa, 16. 9. Zimri ℣. 18. 2. Reg. 9. 31. Athalia, 11. 16. Scallum: 15. 10. 14. Pekach, ℣. 25 30. Hos. 17. 56. 4. Qvia rebellio adversus Patentes, qvæ est magnum peccatum, ut colligitur ex Esa. 1. 2. gravissimis pœnis ulciscenda: nam rebellis filius accusatus à Parentibus, morte mulctandus erat: Deut. 21. 18. 20. Exhortatio. Ergò inferiores vestris superioribus vos metipsos subjicite, seu, agnoscite qvod Deus illis potestatem dedit supra vos.

L. III. Qvid est obedientia?

Est præstatio &c. hoc est, obedientia est qva inferiores suorum superiorum præcepta faciant. Observa ergò. Inferiores n. uxor, filii, suis superioribus potestate, n. marito, parentibus obedientiam debent. Patet 1. an ita sit Eph. 6. 1. Liberi auscultate, seu obedite Parentibus vestris, id est, eorum præcepta facite. Sic Heb. 13. 17. Exemplum est in domesticis Iacobi, Gen. 35. 4. Israelitis, Det. 34. 9, Rubenitis, Ios: 1, 16.—18. Abimelecho. 1. Sam. 22. 11. Davide, ℣. 24. Michea 1. Reg. 22. 9. 15. Servis Centurionis. Matth. 8. 9. 2. Cur ita sit, 1. Qvia mandatur à Deo, Heb. 13. 17. Tit. 3. 1, 2. Christus obedivit Magistratui Matt. 17. 27. & 22. 21. 3. Qvia Deus graviter punit non obedientes suis superioribus. Ier. 27. 8. & in illo: ut din vivas in terra. 4. Qvia sine obedientia inferiorum erga suos superiores nec in cœlo, nec in solo potest esse pax. Exhortatio. Ergò. obediant 1. Mulieres suis viris, Gen. 3. Col. 3. Eph. 5. Tit. 2. 1. Petr. 3. 2. Liberi parentibus; Exod. 20. Eph. 6. Col. 3. 3. Servi Dominis. Eph. 6. Col. 3. 4. Ecclesiæ Christi Ministris, Matt. 10. qvi vos audit, me audit. Heb. 13. 17. 5. Subditi Magistratibus justa præcipientibus, Rom. 13. Tit. 3. 1. Pet. 2. Subditi debent Magistratibus singularem subjectionem, vel obedientiam, adeoqve homagium, & fidem constantem in Principem; Qværes hic? 1. Qvid homagium, seu juramentum fidelitatis? Qvo subditi se obstringunt se velle esse, & manere fideles Principi, & Reipublicæ. Hoc omnes subditi debent Magistratui præstare, idqve candide sine æqvivocatione, & mentali evasione, & secreta reservatione. Nec recusari à qvoqvam potest & debet ob Papæ interdictum; de eo enim Papa dispensare neqvit. 2. An principi suo legitimo etiam Ecclesiastici se subjicere & obedire debeant? Sic 1. qvia à Deo mandatum est hoc etiam iis. Rom. 13. 1.—7. Sic 1. Petr. 2. 13, 2. qvia Christus & ejus Discipuli hoc non recusarunt. Errat ergò Bellarminus contrarium docens l. de Clericis, c. 28. 3. An fideles & reformati debeant se subjicere & obedire Principi infideli & heterodoxo? Sic: si sub eo nati sint, vel in potestatem ejus devenerint, ut Israelitæ Pharaoni,

703147

honi, Iudæi Regi Babyloniæ. Ier. 17. 11. Christiani Romanis Imperatoribus. 4. Rectè faciuntnè subditi, nolentes Principi homagium præstare, nisi Religionem ipsorum amplectatur? Non; nam si magistratus non debeat urgere subditos ad suam religionem, multo minùs debent subditi Principem cogere ad religionem suam. 5. An Principi à Papa excommunicato subditi se subjicere, eique obedire teneantur? Sic, ut de excommunicatione diximus. 6. An subditi sint rei criminis læsæ Majestatis humanæ, qvi Principis sui religionem omnibus imperatam non amplectuntur, & eam firmissimis rationibus freti falsam, hæreticam & Antichristianam affirmant? Non, 1. qvia crimen læsæ majestatis humanæ non versatur in religione; sed in negotiis politicis. 2. qvia & amici Danielis recusantes adorare idolum aureum contra Nebucadnezaris edictum non fuerunt rei criminis læsæ majestatis humanæ. 7. An Evangelici sint rei criminis læsæ majestatis Imperatoriæ & Regiæ, qvia libere tuentur religionem Evangelicam contra calumnias & oppugnationes Iesuitarum & aliorum? Non: 1. qvia crimen læsæ majestatis Imperatoriæ & Regiæ non committitur eo qvod religio verè divina defenditur. 2. qvia Evangelici fideliores sunt Imperatoribus & Regibus, qvàm Romani Pontifices, & eorum asseclæ. Obj. Damnant Imperatorem & Regem Papanæ addictum religioni: Ergò 7. Non damnant: 1. qvia sciunt officium Iudicandi viros & mortalia non sibi esse demandatum, sed Christo. 2. qvia

qvia tantum demonstrant Iesuitis & aliis Papismi crassos errores, qvibus non tantum populum, sed & Imperatores & Reges seducere audent. 8. An ministri Ecclesiæ peccent contra interdictum Regis Evangelium Iesu Christi annunciantes, & an subditi etiam peccent contra interdictum Regis ad audiendum Evangelium Iesu Christi, & communes preces ad Deum convenientes? Non, 1. qvia faciunt id qvod Deus ipsis mandat, qvod nulla creatura habet jus prohibendi. 2. qvia Daniel contra Regis interdictum qvotidie Deum orabat. Sic etiam Apostoli & alii contra imperatorum interdicta Evangelium Christi annunciarunt, & audiverunt, precesqve ad Deum conjunctim habuerunt, ut ex actis Apostolorum apparet. Si propter hoc, vel aliud tibi Rex iratscatur, qvomodo te erga illum gerere debeas? 1. Ora Deum pro Rege iratscente, ut ei Deus erga te clementem & benignum animum largiatur. 2. Modestè te in tua statione contine, neqve rebellato: modestia enim & patientia tua sanabis Principem, & à magnis peccatis avocabis, malum alioqvin tibi eventurum vitabis, gratiam ejus recuperabis, & recuperatam retinebis. 3. Tolera & dissimula infirmitates Principis. Eccl. 8. 3. & 20. 17. 9. Qvid est fides constans in Principem & Rempublicam? Qva qvis juxta fidem Principi datam nihil contra eum facit vel dicit nec alios provirili contra eum facere & dicere permittit, ac proinde omnia mala à Principe & Republica averti, consilia hostium impedit, & detegit, omnia sua consilia & facta ad Prin-

703147

cipis & Reipublicæ conservationem dirigit. Hæc est sedulo præstanda. 1. Qvia hæc bonum civem & virum probum decet. 2. Qvia à Deo mandata est. 3. qvia commendatur, ut in Chuschai, 2. Sam. 15. 32. & seqq. & 17. 7. & seq. 10. An perstandū in fide Regis, si is tyrannus evasit? Si absolutam monarchiam habet est in fide ejus perstandum, etiamsi tyrannus evasit; Daniel enim in fide Nebucadnezaris perstitit, etsi ipse tyrannidem exerceret: sed si Rex monarchiam habet limitatem, id est, adstrictam certis conditionibus, qvas se servaturum promisit, penes status, seu primores regni est, Principis tyrannidem coercere. 11. Qvid repugnat fidei Principi datæ? 1. Perfidia in rempublicam & defectio à Principe seu magistratu, qvæ est scelus, cum qvis prodit Patriam, seu libertatem publicam, sive conspiret in legitimum Principem, sive in vere fidos Reipublicæ administratores & conservatores, qvalis fuit perfidia Achitophelis, & illorum, qvi deserta fide Davidi Regi data, adhæserunt Absolomo, eumqve Regem fecerunt 2. Sam. 15. & 16. qvalis fuit Ziphæorum perfidia Davi optime de Regno meritum & merentem, illudqve conservantem. tyranno prodentium. 1. Sam. 23. 19. & 26. Additur legitimum: qvia perfidia in Rempublicam & defectio non est, cum qvis illegitimum possessorem Republicæ deserit, & se adjungit legitimo, ut; Rahab. Ios 2. 3. & seq. Abner. 2. Sam. 3. 9. & seqq. Aut cum qvis conscio legi-

timo Principe hosti se adjungit ad explorandā & impedienda ejus consilia, ut fecit Chusai. 2. Sam. 15. 33 & seqq. 2. Dolosa fidei in Rempublicam simulatio, qvæ est scelus, cum qvis præ se fert sinceram curam conservandi Rempublicam, cum tamen longè aliud spectet, ut Ioabus, interficiens Abnerum, 2. Sam. 3. 24. Idem cum Abiathare Regem faciens Adoniam, 1. Reg. 1. 7.

LIV. *Qvalis debet esse obedientia inferiorum erga superiores?*

Non absoluta & independens à voluntate Dei, sed limitata & à voluntate Dei pendens. Patet 1. an ita sit Deut. 17. 18. Eph. 6. 1. Coloss. 3. 22 2. Cur ita sit, qvia potestas præcipiendi superiorum limitata est; 1. Qvia limitatur à Dei voluntate, Deut. 17. 18. & à voluntate hominum: qvia nec Dei præcipiendi potestas est absoluta; sed limitata; qvia tantum illa potest præcipere, qvæ velle potest. 2. Qvia tyranni usurpant sibi absolutam præcipiendi potestatem; illi enim dicunt: Sic volo, sic jubeo, &c. Ergò inferiorum obedientia etiam debet esse limitata: Talis debet enim esse obedientia inferiorum erga superiores, qvalis est potestas superiorum erga inferiores: At horum potestas non est absoluta, ut omnia præscribant, qvæ volunt; sed limitata, ut tantum illa præscribant, qvæ Deus vult: Ergò etiam eorum obedientia non est absoluta, ut omnia faciant, qvæ à superioribus præscribuntur; sed limites & fines habens, ut illa

tantum

703147

tantum faciant qvæ præscribuntur illis secundum voluntatem Dei. l. 5. cas. c. 25. q. 1. r. 3.

LV. Correctio. 1. Hinc &c. id est, obedientia inferiorum erga superiores debet esse limitata, seu à voluntate Dei dependens: Ergò inferiores non debent obedire superioribus in iis, qvæ sunt 1. Contra Præceptum Dei, seu in malis, qvæ Deus non vult, & prohibuit. v. g. Subditi Regi jubenti idololatriam non debent obedire, ut amici Danielis; quia in iis debent inferiores superioribus obedire, qvæ sunt juxta Dei præceptum: qvia obedire iis debent. 1. in Domino Eph. 6. 1. id est, in iis, qvæ Dominus præcepit. 2. Timentes Deum mala prohibentem. Coloss. 3. 22. At non timent Deum mala prohibentem, qvi faciunt mala à superioribus suis mandata, qvæ Deus prohibuit. 2. Contra præceptum hominum superiorum, seu in iis qvæ superiores nolunt, seu prohibuerunt. v. g. Servi non debent illa præcepta Dominorum suorum facere, qvæ Magistratus in Republica prohibuit. v. g. jubētibus Dominis nō debēt sy vāno strā cædere; qvia hoc magistratus prohibuit & non vult.

LVI. 2. Hinc etiam &c. id est, obedientia inferiorum erga superiores est limitata & à Dei voluntate dependens: Ergò obedientia inferiorum erga superiores non debet esse cæca, irrationalis, id est, inferiores primò examinent mandata suorum superiorum, an conveniant cum præceptis Dei, vel non, & deinde eorum mandata cum præceptis Dei convenientia faciant, ut Apostoli. Act. 4. 19. qvā examinando intelligentes seniorum mandatum

datū contrarium esse Dei præcepto, non eorum mandatum, sed Dei mandatum observarunt. Contra votum obedientiæ religiosæ, seu cæcæ & irrationalis, qvâ Monachi se suis superioribus in infinitum, sine ulla exceptione, vel in mandatorū causas inqvirendi libertate sibi reservata, obstringunt: cujusmodi votum est iniqvissimum. 1. qvia qvi ita vovent, se faciunt hominum servos, contra 1. Cor. 7. 23. 2. qvia unusqvisqve in animo suo debet plene certus esse. Rom. 18. 5. 3. qvia omnia exploranda, & qvod bonum est, retinendum. 1. Thess 5. 21.

LVII. Objectio præoccupatur. Superiores puniunt inferiores, si eorum mandata voluntati Dei adversa non fecerint, ut David Uriam, Achab Micheam, Nebucadnezar amicos Danielis, Darius Danielem, Primores Judæorum Apostolos: Ergò inferiores suorum superiorum mandata voluntati Dei adversa facere debent. R. Negat Consec. qvia in hoc casu inferiores tolerare debent magis pœnam superiorum, qvàm mala eorum mandata observare: qvia in hoc casu inferiores superioribus suis non faciendo mala eorum mandata obedire tenentur; sed eorum pœnas injustè inflictas patienter tolerando. 1. Petr. 2. 19. 20. Deo verò in hoc casu obediunt inferiores, & non faciendo mandata mala superiorum, & pœnas ob id ab ipsis injustè inflictas tolerando. Observa ergò; 1. Impia servitus in rebus voluntati Dei repugnantibus, ac inprimis idololatricis & injustis neqvaqvam præstanda Principi, seu Magistratui politico. 1.

Qvia

703147

Quia injusta est & prohibetur à Deo. Num. 22. ℣. 12. Act. 4. ℣. 18. 19. 2. Quia Deū ad iram provocat Num. 22. ℣. 22. 23. Quia à Deo reprehenditur in qvibusvis, ut Bileamo Num. 22. ℣ 32. 2. Petr. 2. 15. in Uria Sacerdote; 2. Reg. 16. 10 11. Si igitur edicta Principis seu Magistratus voluntati Dei repugnent, ac proinde sunt impia & injusta, tum fideles non tenentur iis obedire propter sequentes rationes: 1. Qvia oportet Deo potius obedire, qvàm hominibus. Act. 5. 29. Heb. 10. 24. 25. 2 Qvia probata aliorum fidelium exempla idem docent, ut obstetricum Aegyptiarum. Exod. 1. 15. 16. 17. Parentum Mosis Exod. 2 ℣. 2. Hebr. 11. v. 23. ministrorum seu apparitorum Saulis nolentium Sacerdotes Jehovæ interficere. 1 Sam. 22. ℣. 17. amicorum Danielis, Dan. 6. 11. Judæorum contra interdictum Xerxis & Artaxerxis Longmani ædificationem templi resummentium Ezr. 4. & 5. Chagg. 1. Apostolorum Christi, Act. 4. 18. 19. Cap. 5. 27. 28. 29. fidelium contra edicta Magistratus politici religionem Christianam exercentium, docentium & repugnantium. Heb. 10. 32. Apoc. 2. 13.

2. Injuriæ iniqvorum hominum patienter sunt tolerandæ, 1. Qvia ista tolerantia grata est Deo: idqve inprimis si injustis affiamur propter conscientiam Dei, hoc est, propterea qvod bona conscientia studemus Deo servire, confitentes doctrinam salutis nobis ab ipso patefactam, hoc argumentum continetur 1. Pet. 2 ℣. 19. & 20. 2. Qvia ad hoc sumus vocati

in principio ℣. 21. id est, qvia tolerantia injuriarum pars est officii nobis à Deo injuncti: ut nimirum ita conformemur capiti nostro Christo, 3. qvoniam & Christus passus est pro nobis, relinqvens nobis exemplar, ut insequeremur vestigia ipsius, reliqua parte v. 21. 4. Qvia non prorsus sumus innocentes, nam etsi innocentes simus coram mundo, necmetiti simus apud homines, ut nos oderint, & malis nos afficiant, tamen non sumus innocentes coram Deo: qvippe apud qvem meriti sumus non solum odium & persequutionem hominum impiorum; sed etiam æternam mortem, hoc argumentum innitur v. 22. à dissimili conditione Christi. 5. Qvia Deus justè judicat, ac proinde suo tempore innocentiam nostram asseret, tolerantiamqve injuriarum remunerabitur: injustos verò nisi maturè resipuerint, æternis pœnis ulturus est.

LVIII. Qvis porro est honor, qvem inferiores suis superioribus, sive ætate, sive dono, sive potestate, debent?

Submissa, seu humilis gratitudo; qvia ergà superiores grati debemus esse non simpliciter, ut erga alios, sed submisse, & humiliter.

LIX. Qvid est gratitudo?

Est studium compensandi beneficia accepta.

LX. Cur dicis gratitudinem studium?

Qvia gratitudo est benevola qvædam affectio proportionem habens ab beneficium alte-

703147

rius, seu æqualis beneficio accepto, grati enim tantum affectant seu desiderant gratificari benefactoribus suis, qvantum ab ipsis acceperunt, ut vides in Szegedino. Obj. præcupatur: Gratitudo est benevola affectio erga eum, à qvo beneficium accepisti: Ergò sufficit affectu gratum esse erga eum á qvo beneficium accepisti. R. Conseq. neg. qvia requiritur, ut iste affectus in conatu etiam congruo manifestetur: conatus, seu affectus, qvo grati suum affectum erga benefactores suos declarant, est eorum beneficium apud alios celebrare, pro eo iis gratias agere, iis omnia bona precando, necessitates eorum consilio, re, seu dono, opera, seu servitio sublevare. Gratitudo enim est animi vel facti. Illâ est qvâ beneficium acceptum agnoscimus, & compensare studemus, seu affectamus, desideramus: hæc verò est, qva beneficium acceptum apud alios celebramus, pro eo gratias agimus, omnia bona benefactoribus à Deo precando, eos nostro consilio, dono, officio adjuvamus.

LXI. Obj. præocc: Gratitudo est officium etiam æqvalium & superiorum, qvia & illi possunt ab aliis beneficio affici: Ergò non tantum inferiorum erga superiores, contra th: 58. R. Conseq: neg. qvia gratitudo accipitur generaliter: vel singulariter. Iam, gratitudo generaliter accepta est officium omnium hominum Colos. 3. 15. qvia omnes homines possunt ab aliis beneficio affici; sed gratitudo singulariter accepta est officium tantum inferiorum erga superiores suos, 2. Tim. 3. 4. 1. Cor. 9. 9.

9. 9. Gal. 6. 6. qvia inferiorum gratitudo vocatur submissa. Submissi enim & humiles proprie inferiores debent esse erga suos superiores. Deinde, qvia inferiores à suis superioribus afficiuntur singulariter beneficio, ut vidisti th. 44. & seqq.

LXII. *Quomodo debemus grati esse erga benefactores nostros?*

Ut dictum: 1. affectu, eorum beneficium agnoscendo, compensare desiderando. 2. effectu, eorum beneficia celebrando, eis pro illis gratias agendo, eos, si egeant vel consilio nostro, vel bonis nostris, vel laboribus nostris, adjuvando, ut Iosephus Patrem suum. Gen. 47. 9. Additur, si egeant: nam cum benefactores nostri non egent nostro consilio, nostra re, nostra opera, tantum reliqvis modis debemus erga illos grati esse.

LXIII. *Qvomodo vocatur ista gratitudo, qvam debemus Parentibus, Patri scilicet & Matri, Patriæ, aut qvi eandem cum illis personam sustinent, v. g. Tutoribus, Præceptoribus, Patronis, Dominis, Pastoribus, Magistratibus?*

Vocatur pietas: qvod patet tum ita sit. 1. Tim. 5. 4. Qvod si qva vidua liberos habeat, discant prius erga Matres suas pietatem, id est, gratitudinem exercere: tum cur ita sit: 1. Qvia à pietate erga Deum oritur. Iustitia enim ideo vocatur religio, qvia à religione oritur

703147

(ut dictum supra c. 5. th. 8.) Ergò etiam gratitudo nostra erga Parentes ideo vocatur pietas, qvia á pietate oritur. 2. qvia gratitudo nostra erga Parentes proximè accidit ad pietatem, id est, valde similis est pietati, qvia, ut pietas in benevolo affectu consistit (ut vides c. 5. th. 7.) sic etiam gratitudo erga Parentes. Deinde, ut pietas & religio submissionem requirit (ut vides c. 9. th. 17.) sic gratitudo erga Parentes, ut dictum thes: 58. cum 61. Honor erga Parentes proximè accidit ad pietatem, religionē seu honorē Dei (ut dictum th. 13.) seu similis est pietati, religioni, seu honori Dei; qvia, ut honor Dei est testificatio virtutis alterius: sic honor erga Parentes. Ergò & gratitudo erga Parentes proximè accidit ad pietatis naturam: qvia gratitudo erga Parentes est pars honoris eorum. Qvi vocatur ergò gratitudo nostra erga alios homines; Gratitudo simpliciter sic dicta, seu justitia, qvia justum est, ut grates sis erga eum, à qvo beneficium accepisti. Observa ergò. Gratitudo erga benemeritos est studiosè declaranda. Patet 1. an ita sit, ex illo: honora Parentes, id est, gratus sis erga eos. 2. Ex exemplo Regis Sodomæ Gen. 14. 21. 24. Abrahami, 23. 7. 12. Iosephi, 39. Pharaonis, 41, 39. 40. Mosis. Num. 10. 29. Iosuæ. Ios. 6. 17. 22. 23. 25. Naomi Ruth. 1. 8. 9. Nebucadnezaris Dan. 2. 48. Pauli. Act. 28. 8. 9. cum v. 2. 7. 2. Cur ita sit. 1. Qvia post Deum bene factorum beneficio subsistimus. 2. Qvia est præcepta à Deo, Gal. 6. 6. Communicet autem qvi instituitur in sermone, cum eo qvi se instituit, omnia bona. Præcepta est qvibusvis; etiam Regibus & Principibus, sicut David Salomoni Regi præcepit. 1. Reg. 2. 7. Erga filios Barzillai Gilhaditæ exercito benignitatem, ut sint inter comedentes cibum mensæ tuæ: qvia similiter appropinqvarunt ad me, qvum fugerem propter Absalomum fratrem tuum. Sic 1. Tim. 5. 4. 2. Qvia demonstrat hominem ea præditum, esse veracem & justum. Qvi enim agnoscit & prædicat qvæ & qvanta beneficia ab alio acceperit, verax est; qvi verò voluntatem habet referendi gratiam, justus est. 3. Qvia maximè decet fideles. 4. Qvia ad eam nos invitant exempla laudatissima aliorum: ut Davidis, qvi gratus extitit erga Ionathanem, conservando in vivis & beneficiis afficiendo Mephibosethum filium Ionathanis. 2. Sam. 9. 1. Dixit David an ullus est adhuc qvi relictus sit de familia Saulis, ut exerceam erga eum benignitatem propter Ionathanem &c. Ejusdem Davidis qvi gratus exitit erga Barzillaium qvi sustentaverat dum residit Machanaimis pulsus regno ab Absolomo, 2. Sam. 19. v. 34. & seqq. 5. Qvia etiam à Gentilibus ipsis merito commendata fuit. Sic enim Senec: ait 4. de benefic. 16. Nihil tam laudabile, nihil tam æqvaliter in omnium animos receptum, qvàm referre benemeritis gratiam. Correctio. Ergò. 1. Ingratitudo erga benemeritos est sedulò fugienda. 1. qvia prohibita est à Deo, 1. Thess. 5. 15. 2. qvia est vitium etiam ipsis Gentilibus exosum, & detestabile. 3. Qvia pœnas accersit certas & graves. Prov. 17. 13.

703147

2. Damnadi sunt ergò 1. Ingrati erga benefactores suos. Tales sunt, 1. qvi beneficia accepta nec agnoscunt, nec compensare student. 2. qvi verbis gratias non agũt. 3. qvi beneficia se accepisse verbis negant. 4. qvi consilio, re, opera benefactores egentes non adjuvant. 5. qvi pro beneficiis malefitia rependũt. 2. Gratificatio etiam pro beneficiis illicita (cum qvis in gratiam ejus, à qvo beneficiis affectus fuit, facit ea, qvæ Deus prohibuit,) est damnanda.

LXIV. Qvid est honor qvem omnes æqvales sibi invicem debent?

Est, ut alii alios honore antevertant. Hoc facere æqvales tenentur: qvod patet 1. an ita fit, Rom. 12. 10. Eph. 5. 21. 2. Cur ita fit. 1. Qvia inter inæqvales inferior tenetur superiorem honore antevertere: Ergò inter æqvales, æqvalis æqvalem honore antevertere tenetur. 2. Qvia humilitas æqvalium hoc postulat, ut alii alios honore antevertant. Superbus est qvi inter æqvales anteverti honore, seu primò honorati, postea honorare vult: Ergò humilis est inter æqvales, qvi antevertere honore, seu primò honorare, & postea honorari, cupit. 3. Qvia sic conservatur pax inter æqvales. 4. Qvia Deus postulat, ut æqvales sibi invicem subjiciantur. 1. Petr. 5. 5. Ergò æqvalium alius alium honore antevertere debet. Exhortatio. Ergò æqvalis æqvalem antevertas honore. Signa ergò honoris, ut sunt aperire caput, salutare, dextras societatis dare &c. prius contendas æqvali tuo exhibere.

LXV. Qvid est honor, qvem aliqvi æqvales, n. amore conjunctiores, sibi invicem debent?

Est amicitia. Amicitia æqvalium, seu socialis est, qvâ duo vel plures ætate & moribus æqvales se mutuo amore, ob boni alicujus amabilis opinionem prosequuntur. Est qvæ perfecta vel imperfecta. Illa est qva duo vel plures homines probi se mutuo vera benevolentia complectuntur, ob virtutem, ad præstanda sibi invicem officia honesta & possibilia. Qvalis fuit inter Ionathanem & Davidem, 1. Sam. 18. 1. Davidem & Chusehajum 2. Sam. 15. 37. Hæc verò est, qvæ suscipiuntur propter bonũ non per se bonũ, sed qvod nobis videtur, n. utile & jucundum. De tali amicitia dicitur. Prov. 19. 4. 5. Hinc amicitia est. 1. honesta, cum aliqvi se mutuo amant, & conversantur, propter bonum, honestum, id est, virtutem, ut pietatem, justitiam, temperantiam &c. 2. utilis, cum aliqvi diligunt se, & familiariter conversantur ob bonum utile, n. cibum, potum, pecuniam, de qva illud: Vulgus amicitias utilitate probat. 3. jucunda, cum aliqvi diligunt se, & familiariter conversantur, ob bonum jucundum, seu delectabile, ut colloqvium, ludum, &c. Amicitia colitur inter bonos, vel malos. Amicitia bonorum est cum pii diligunt, se, & familiaritatem colunt ob virtutes. Amicitia impiorum est, cum qvis diligit impios, & cum illis consortium init propter aliqvam commoditatem. Vel cum impii diligunt se, & familia-

703147

riter vivunt propter vitia. Additur æqvalium, vel socialis, qvia propriè amicitia est patium. Amicitia ergò qvæ est inter Deum, & fideles, superiores, & inferiores, impropriè sic vocatur. Observa esgò. 1. Amicitia piorum est valde expetenda, & colenda. Patet 1. an ita sit ex exemplo Davidis, & Ionathanis, Davidis & Chusai. 2. Cur ita sit. 1. Qvia illa mandatur à Deo. Prov. 18. 24. Viro cui sunt amici, colenda est amicitia: Est enim amicus conjunctior fratre. 2. Qvia piorum tota vita est similis luci splendidæ, pergenti lucere usqve ad stabile, seu perfectum diei. Prov. 4. 18. id est, fœlix est, & abundat bonis, præeunte illis semper luce Dei, donec plenam beatitudinem consequantur. 3. Qvia illi tecum amant Dominum tuum, & Regem tuum, de qvo nunqvam erubescet amator ejus, qvia non solum ipse non potest vinci, sed etiam dilectores suos reddet invictos. 4. Qvia amicitia Iobi profuit amicis ipsius, qvos insolentia penè perdiderat, nisi Iobus pro illis sacrificasset. Iob. cap. ult. Exhortatio. Ergò ob rationes dictas piorum amicitiam desideremus, & diligenter colamus.

2. Amicitia impiorum est fugienda. Patet 1. an ita sit ex damnata amicitia Iosaphati cū Achabo & Achazia. 2. Cur ita sit. 1. Qvia prohibetur à Deo. Prov. 1. 10. & seqq. & 3. 31. & 4. 14. 15. & 9. 6. & cap. 23. 17. 20. 1. Ioh. 2. 15. Prov. 24. 1. Eph. 5. 6. 7. 11. 2. Thess. 3. 6. 2. Qvia ejus causa efficiens est odium Christi, & pietatis. ut Pilatum, & Herodem amicos fecit commune odium in Christum, Luc. 23. 12. 3. Qvia summè pernicios est. Est enim causa multorum peccatorum, & multarum calamitatum, Prov. 1. 16. & seqq. 1. Cor. 15. 33. Ne errate, mores bonos commercia corrumpunt mala. 4. Qvia displicet Deo, & reprehenditur asperè, ut in Iosaphato. 2. Chro. 19. 2. 5. Qvia illam à se submoveri, & depelli orant pii, ut David. Psal. 26. vers. duobus ultimis & Psal. 14. 14. 6. Qvia illam á se repellunt pii, ut David Psal. 101. v. 3. & seqq. & Psal. 119. v. 115. 7. Qvia illi beati sunt qvi malorum amisitiam, & consortium vitant, Psal. 1. ℣. 1. 2. Qvia ámicitia malorum est inimicitia adversus Deum. Iac. 4. ℣. 4. 1. Ioh. 2. 15. 9. Qvia mali non conqviescunt, nisi ipsi perpetravetint maleficia, aut alios ad ea perpetranda adduxerint; anteponunt maleficia cibo, & potui Prov. 4. 16. 17. & c. 16. ℣. 27. 28. 29. 30. & c. 24. 2. 10. Qvia illorum via similis est caligini: Nesciunt in qvid impacturi sint. Prov. 4. 19. hoc est, densissimis malis velut tenebris circum fusa est, qvas nulla calliditate possunt effugere, qvin justo Dei judicio corruant, non possunt cavere atqve avertere judicia Dei. Dehortatio. Ergò ob dictas rationes fugiamus sedulò amicitiam malorum.

Amicitiæ malorum species est fœdus cum infidelibus, & impiis temerarium, & non necessarium: qvod Deo displicet; qvale fœdus cum Cananæis inire Deus Israelitis prohibuit. Exod. 23. 32. 33. Qvale fœdus fuit Iosaphati cum impio Achabo. 1. Reg. 22. & cum impio Achazia Rege Israelitarum. 2. Chron. 20. 35.

703147

20. 35. & seqq. Qværes, 1. An fidelibus omnia fœdera cum infidelibus sint illicita? Illicita sunt illa fœdera, qvæ fideles cum infidelibus ineunt, 1. Si oriantur ex diffidentia auxilii divini, cupiditate magnarum opum terrenarum. 2. Si fiant ob malos fines, 1. ad placendum infidelibus, ad deprædandos vicinos, ad movenda injusta bella, &c. 2. Si occasiones præbeant corrumpendi puri cultus Dei, vel serpentes corruptelas augendi. Talia fœdera Deus prohibuit Exod. 34. 12. & ℣. 15. Talia erant fœdera Israelitarum cum Aegyptiis, Assyriis, Chaldæis; qvæ Deus damnat, Ezech. 16. 26.—29. Tale fuit Iosaphati cum impio Achabo, qvod damnatur, 2. Chro. 19. 2. Licita verò sunt illa fœdera, qvæ fideles cum infidelibus ineunt, 1. Si infideles illi non sint persequutores Ecclesiæ Dei, ne adversus illam injustè invasam ab idololatris, injustè pugnare cogantur, ut hodie Hajdonibus accidit, & olim Davidi prope acciderat, cum se junxisset Philistæis. 2. Si ea ineunt vel ad mutuam defensionem adversus violentiam non tam bellatorum (qvia impiorum auxilia piis, aut raro, aut nunqvam in bellis gerendis fausta sunt) qvàm latronum. Tale fuit fœdus Abrahami cum Eschole & Hannele, Gen. 14. 13. vel ad se mutuo non lædendum. Tale fuit fœdus Abrahami cum Abimelecho, Gen. 21. 27. Salomonis cum Hiramo. 1 Reg. 5. 12. 3. Si ea veram religionem erga Deũ nec lædant, nec minuãt 2. An fidelibus licita sit promiscua, seu indiscreta conversatio cum infidelibus, hæreticis & idolatris?

lolattis? Non. Patet 1. an ita sit, Psal. 26. ℣. 4. 5. & 119. 115. Ierem. 9. 2. & 15. 17. 2. Cur ita sit, Nam qvi conversantur cum impiis & improbis. 1. pravis eorum moribus facile inficiuntur. Prov. 22. 24. 25. Apoc. 18. 4. plurimaqve in gratiam eorum agere coguntur, qvæ recta non sunt, ut Iosephus conversans cum Aegyptiis, jurare per vitam Pharahonis didicit, Gen. 42. 15. Mojses conversans cum populo impatienti & pervicaci ad impatientiam abripitur. Num. 10. ℣. 10. 11. vide qvoqve Deut. 1. 22. David agens apud Philistæos, & qvidem sub coacta potestate contra officium & conscientiam regi Akioperam suam pollicetur adversus Israelitas. 1. Sam. 31. 12. 13. Iosaphat, cum invisisset Achabum, profectus est cum ipso adversus Syros, etiamsi à Propheta audivisset Deum bellum istud improbare. 1 Reg. 22. 29. Esaias habitans in medio populi polluti labiis, ipse labiis polluitur: Esa. 6. 5. Petrus abnegat Christum conversans inter hostes Christi, in ædibus Caiaphæ. Matt. 26. 69. 70. Ioh. 18. ℣. 18. 25. 2. iisdem pœnis involvuntur cum ipsis. Apoc. 18. 4. Prov. 13. 20. 2. Qvia prohibetur à Deo. 1. Cor. 5. 9. 10. 11. Exod. 34. 15. 1. Reg. 13. 9. Apoc. 18. 4. 3. Qvia damnatur Rex, qui cum derisoribus, id est, perditis hominibus conversatur. Hos. 7. 5. Correctio. Peccant ergò qvi contra faciunt. Obj. 1. Christus cum publicanis, Pharisæis & peccatoribus est conversatus. Marc 9. 20. 23. Luc. 15. 2. & seqq. Ergò &c. ℣. Consequentia negatur; qvia Christo aliorũ malitia non potuit of-

703147

tuit officere. 2. Conjunx fidelis potest consistere & manere cum conjuge infideli. 1. Cor. 7. Ergò. ℟. Consequentia negatur: quia illud Deus jubet, sed hoc non item. 3. Si fidelibus nō liceat conversari cum infidelibus, ita mundo exeundum erit. ℟. Conseq. negatur; qvis licet fidelibus cum infidelibus conversari, sed non promiscue, seddiscretè. 4. Abrahamus versatus est inter infideles, n. Cananeos, & Aegyptios. Ergò ℟. Conseq. negatur; qvia fecithoc ipse ex mandato Dei. 5. Lothus cum improbis Sodomitis conversatus est: Ergò. ℟. Conseq. negatur; qvia ille cum illis versatus est, ut eos converteret, qvo fine hodie etiam licet constantibus & benè doctis cum improbis conversari. Sic conversabatur & Christus cum Pharisais & pulicanis. 6. Iosepus P. cum infidelibus Aegyptiis conversatus est: Ergò. ℟: Conseq. negatur, qvia fecit hoc ipse invitus, non voluntarie. 7. Naman Syrus ad suos idololatras rediit: Ergò: ℟. Conseq. negatur.

LXVI. Qvæ est causa proximos honorandi?

Humilitas est causa proximos honorandi præsertim superiores & æqvales: qvia honorans alium debet eum excellentiorem agnoscere: At facere hoc qvis potest per solam humilitatem. Additur præsertim: qvia honor superiorum & æqvalium oritur magis ex humilitate, qvam inferiorum, qvia humiles esse debemus præsertim erga superiores & æqvales.

LXVII. Qvid est humilitas?

Humilitas est virtus &c. hoc est, humilitas est, cum qvis tantum debitum honorem appetit, debitum honorem oblatum acceptat, se qvoad multos defectus, aliis postponit. Observa. Humilitati erga homines studendum est. Patet 1. an ita sit ex exemplo Iosephi. Gen. 41. 15. 16. Davidis. Psal. 131. 1. Baptistæ Matth. 3. 11. Mosis. Num. 12. 3. Pauli. 1. Tess. 2. 6. 2. Cur ita sit, 1. Qvia est causa proximum honorandi. 2. Qvia nobis à Deo præcipitur: Rom. 12. 3. Iacob. 1. 9. 10. 2. Qvia Christus erga nos humilis fuit. Matt. 11. 29. 3. Qvia est signum animi sapientis, Prov. 11. 2. 4. Qvia est medium per qvod pervenitur ad excellentiam; Luc. 4. 8. Matt. 23. 12. 5. Qvia melior est, qvam jactantia cum egestate coniuncta, Pro. 12. 8. Reliqvas rationes vide in Ravanello de humilitate. Exhortatio. Ergò coram hominibus simus humiles, modesti, id est, 1. honorem convenientem nobis appetamus. 2. honorem debitum & convenientem oblatum acceptemus; adeoqve munus nobis divinitus impositum ne detractemus, id enim non licet nobis, ut nec Mosi. Exod. 3. & 4. 3. Aliis nos, qvoad multos defectus postponamus. Humilitas etiam postulat 1. ne aliorum honorem postulemus. 2. ne officium vites nostras superans appetamus, acceptemus. 3. de nobis nihil fastuose testemur. Prov. 27. 2. 4. in conventibus præpositis cedamus. 1. Cor. 14. 28—12 5. in consultationibus demisse loqvamur, aliorū

703147

sententias (si necesse sit) modeste improbemus, ut Chusai, 2. Sam. 17. 7. 6. Si vocatio ita postulet, etiam in loeis obscuris libenter permaneamus, ut Christus. Ioh. 7. 9. 7. Ne agnoscamus laudes, qvibus vel adulatoriè, vel nimium extollimur. 8. Ne ultro nos ingeramus Principum alloqviis: nec ad illos accedamus, nisi vocati simus, & tum qvoqve modeste nos geramus. Humilitas tamen vetat intempestivam humilitatem seu modestiam, qvâ qvis nimis abjecte & demisse loqvitur & agit, officia aliorum temere recusat, nulla habita ratione officii sui & ædificationis aliorum. Vocatur etiam immodesta humilitas seu modestia, qvâ qvis alium, ut ejus favorem cupetur, magni Prætoris loco habet, se verò nec loco lixæ. Fugienda est hæc immodesta humilitas: 1. qvia illam Christus vitavit, asseruit enim suam innocentiam & authoritatem, cum opus fuit, veluti cum ait. Ioh. 8. 46. Matth. 12. 6. & ℣. 41. & ℣. 42. 2. qvia illam reprehendit Christus in Petro, qvi recusabat officium lotionis pedum, qvod Christus humilitatem commendaturus discipulis suis exhibebat. Ioh. 13. 6.—8. 3. qvia illam fugit Apostolus Paulus, veluti cum authoritatem sui apostolatus assenit, cum sinceritatem suam professus est, & confirmavit maxime in 2. Epistola ad Corinthios: Idqve tam sedulo fecit, ut necesse habuerit ambitionis suspicionem à se removere, ut 2. Cor. 2. 16. & seqq.

LXVIII. Qvæ adversantur humilitati?

Superbia & Invidia,

LXIX. Qvid est superbia?

Superbia est inordinata &c. hoc est, superbia est vitium per qvod qvis indebitum honorem ambit, oblatumqve acceptat, se etiam superioribus æqvat, vel præfert. Additur, inordinata: nam affectatio honoris est 1. ordinata, cum qvis honorem debitum appetit, oblatum temere non recusat, non oblatum verò conveniente modo postulat ad gloriam Dei & proximi salutem Hoc modo licet fidelibus gloriam & honorem appetere. Patet 1. an ita fit ex exemplo Davidis. Psal. 73. 24. & 4. 3. Pauli 1. Cor. 9. 15. 2. Cur ita fit. 1. Qvia Deus præcepit Phil. 4. 8. 2. Qvia bene agentibus Deus promisit. 1. Reg. 3. 13. Psal. 84. 6. 12. Esa. 61. 9. Ezech. 30. 26. Soph. 3. 20. Rom. 2. 6. 7. & ℣. 10. 3. Qvia est beneficium Dei. Exod. 11. 3. 4. Qvia pro ea Deo gratias agunt fideles. Psal. 8. 6. 5. Qvia est necessaria nobis coram proximis: qvia sine bona fama eos ædificare neqvimus. 6. Qvia est pars imaginis Dei: est enim ejus attributum. Psal. 111. 3. 7. Qvia crudelis est (ut Aug. ait) qvi famam negligit. 8. Qvia efficit, ut virtutes, ut causas ejus sectemur: vitia verò infamiæ causas fugiamus. Hæc gloria qvam sic ambire licet est gloria, vera ac divina, qvia oritur à vera & divina causa, n. 1. ex cognitione Dei & operum ejus. Deut. 4. 6. Ier. 9. 24. 2. ex obedientia erga Deum. Deut. 28. 9. 10.—13. Rom. 2. 10. Prov. 15. 33. & 18. 12. 3. ex Christo, in qvo reperiuntur veræ causæ veræ nostræ gloriæ & gloriationis no-

703147

strx, n. sapientia, justitia, sanctificatio, redemptio nostra; 1. Cor. 1. 30. Interim hoc modo etiam non tam honorem & gloriam ambire debemus, qvam veras honoris causas, qvibus positis honorem non ab hominibus petamus & expectemus, sed à Deo. Differt hæc gloria à gloria humana, & mundana, qvæ est gloriatio extra Christum, in sapientia mundi, & disciplinis mundanis, in honoribus hujus seculi, in divitiis. Hæc gloria mundana fidelibus non appetenda, sed contemnenda est. Patet 1. an ita sit ex exemplo eorum, qvi eam contempserunt, n. Mosis. Heb. 11. 24. Pauli, 1. Cor. 4. 3. 1. Thess. 2. 6. 2. Cur ita sit 1. Qvia impedit veram fidem in Christum. Ioh. 5. 44. & 12. 42; 43. 2. Qvia Christus eam contempsit. Ioh. 1. 41. Matth. 3. 4. & honores mundanos fugiebat. Ioh. 6. 15. & 7. 3—9. 3. Qvia damnatur in Israelitis, qvi ut famam compararent inter gentes, earum idololatriam amplexi erant. Ezech. 16. 15. 4. Qvia ei præferenda est infamia Christi causa. Heb. 13. 13. Sic fecit Moses c. 11. 26. & Apostoli. 5. Qvia ônia bona opera ingrata reddit coram Deo Matt. 6. Correctio adversas eos, qvi hanc gloriam ambiũt. 2. Inordinata, cum qvis honorẽ indebitũ appetit, oblatũ acceptat non oblatũ non suo modo postulat, ad gloriã, & utilitatem suam. Talis honoris affectatio est jactantia, arrogantia, &c. Observa. Superbia adversus homines est fugienda. Patet. 1. an ita sit, Prov. 14. 3. Sic 21. 4. 2. Cur ita sit. 1. Qvia humilitati repugnat. 2. Qvia Deo displicet. Prov. 15. 10. & graviter ab ipso punitur, ut videre est in exemplo Mirjami sororis Mosis & Aronis. Num. 12. 2. item in exemplo Corachi, Dathanis, Abirami, Num 16. Item in exemplo Regis Ezechiæ thesauros suos ôstentantis vanæ gloriæ causa. 2. Reg. 20. 12. & seqq. 3. Qvia illam Christus sumopere fugit. Noluit enim Rex ab hominibus fieri, sed modestiæ & veræ magnanimitatis viam ostendit illis. qvos à Deo superbia & ambitio separaverat. 4. Qvia illam verè fideles & sancti homines fugerunt, ut David, qvi recusabat gener Regis Saulis fieri. 5. Qvia in profanis etiam hominibus est detestabilis, ut in Hamane. Est. 6. ℣. 6. 6. Qvia excludit regno cœlorum. Matt. 18. 3. Dehortatio. Ergò ne simus adversus homines superbi, id est, ne ab eis appetamus honorem indebitum, honorem abiis indebitum oblatum ne acceptemus; aliis nos, & præsertim superioribusne æqvemus, vel præferamus: adeoqve jactantiam, arrogantiam, &c. fugiamus.

LXX. *Qvi vocatur alias superbia adversus homines?*

Iactantia, arrogantia, inanis gloria, ambitio, præsumptio. 1. Iactantia est, cum qvis bona qvæ habet, propriæ laudis causâ, magis prædicat, qvam in seipso sint, v. g. eum qvis insolentius prædicat se esse sapientem, nobilem, potentem &c. ut ab aliis honoretur supra alios. Iactantia hæc est fugienda: qvod patet tum an ita sit ex Iac. 4. 16. & ex exemplo damnato Lamec. Gen. 4. 23. Pharaonis, Exod.

703147

nis, Exod. 5. 2. Matris Siseræ. Iud. 5. 28 30. Goliathi, 1. Sam. 17. 8. Adolescentis, Matt. 19. 20. Pharisæi Luc. 18, 10. 12. Tum cur ita sit. 1. Qvia est peccatum, propriè humilitati oppositum, est enim species superbiæ humilitati adversæ, non veritati, ut Thomas dicit, 2. 2. q. 112. art. 2. 2. Qvia jactans se jurgia concitat, Prov. 28. 25. 3. Qvia jactantia continet in se etiam mendacium. 4. Qvia prohibetur. Eccl. 6. 2. Arrogantia est cum qvis honoris consequendi causâ sibi tribuit, qvod non habet, v. g. cum qvis dicit se esse medicum, sapientem, divinum, ut ab aliis honoretur. Arrogantia hæc est vitanda: qvod patet tum an ita sit ex damnato exemplo Pharaonis. Exod. 15 ℣. Goliathi, 1. Sam. 17. 4. 8. Adolescentis. Matt. 19, 20. Pilati. Ioh. 19. 10. Antichristi. 2. Thess. 2. 4. tum cur ita sit. 1. Qvia est species superbiæ. 2. Qvia arrogãs est mẽdax etiam, dicit enim se habere qvod non habet. 3. Qvia arrogans est sapiẽs apud semetipsũ, qvi damnatur. Pro. 3. 7. Rom. 12. 16. 5. Qvia est ex mũdo. 1. Ioh. 2. 16.

3. Inanis, seu vana, & fasa gloria est cum qvis studet comparare, tum bene, tum male factis, laudem apud homines, ut omnes eum in precio habeant. Hæc inanis gloria est evitanda: qvod patet tum an ita sit ex Gal. 5. 26. Phil. 2. 3. & ex damnato exemplo eorũ, qvi eam venantur Ioh. 7. 18. 1. Thess. 2 6. Ioh. 5. 44. & 12. 43. tum cur ita sit, 1. Qvia propria est hypocritarũm. Matt. 6. 2. & eorum qvi supra modum superbiunt. 2. Chro. 26, 19. 3. Qvia prohibetur à Christo. Matt. 23, 8. &

23. 8. & ✠ 10. Gal. 5. 26. 3. Qvia eam Christus fugit. Ioh. 5. 31. 34. 41. 4. Qvia eam fideles fugerunt, ut David. Psal. 131. 1. Paulus. 1. Thess. 2. 6. Petrus. Act. 3. 12. 5 Qvia propria laus sordet: adeoqve turpis est. 6. Qvia præcipuè in mendaces cadit Prov. 20. 6. ut docet exemplum senis Porphetæ Bethelani. 1. Reg. 13. 18. 7. Qvia probro afficit Deũ, cõtemnit enim aliũ Pro. 17. 5. 8. Qvia eã pœna comitatur, Prov. 17. 19. Correctio. Peccãt ergo qvi inanem gloriam venãtur, ex qvibus est ille, qvi alios sine legitima vocatione docere cupit, cõtra illud Christi. Matth. 23, 10. Et Iacobi illud. c. 3. 1. 1. Obj. Honor, seu gloria, & fama est virtutis præmium: Ergò ambire ab hominibus possumus ✠. Propter dona Dei honorare tenentur se invicem omnes, sed nemini licet honorem ab hominibus dicto modo ambire. Licet honore afficere, & affici. 1. Petr. 2. 17. sed non licet honorem venari. Ioh. 5. 44. Vide Marlolat: in h. l. 2. Obj. Licet fidelibus suas virtutes magnifice prædicare, ut Samuli. 1. Sam. 12. 5. Davidi. Psal. 18. & 119. Ezechiæ 2. Reg. 20. 3. Paulo &c. Ergò ✠. Licet justæ apologiæ causâ, sed hoc non est honorem ab hominibus captare; & necessitate hoc exigente. 1. Reg. 18. 12. 13. 4. Ambitio est cum qvis affectat dignitates, id est, officia secularia (ut judicatum, principatum &c.) vel Ecclesiastica (ut Pastoratũ, doctoratum, presbyteratum, diaconatum,) vel immeritò, vel meritò qvidem, sed debitò ardentius, & in fines malos, n. ut inter alios emineat, & amplas divitias consequatur, non

703147

in bonos fines, n. Dei gloriam, & proximi salutem & utilitatem. Hæc ambitio est fugienda: qvod patet tum an ita sit ex damnato exemplo Adami & Evæ, Gen. 3. 5. Extructorum turris Babylonicæ. c. 11. 4. Mariæ, Aaronis. Num. 12. 1. Core, Dathani, Abirami. c. 16. 1. Abimelechi. Iud. 9. 1. 5. 7. 8. Ioabi, qvi timens, ne honore privaretur, occidit Abnerum, & Amasam. 2. Sam. 3. 27. & 20. 10. Absolonis c. 15. 2. 3. Pharisæorum, Matth. 23. 6. tum cur ita sit. 1. Qvia est species superbiæ fugiendæ, adeoqve peccatum, licet aliqvi negent in Thoma. 2. 2 q. 131. art. 1. 2. Qvia damnata fuit indiscipulis Luc. 9. 47. 3. Qvia suadet exemplum Christi. Ioh. 6. 15. Mosis Heb. 11. 24. & Exod. 3. & 4. ubi & officium immediate á Deo oblatum fugere volebat, licet non bene. 4. Qvia qvi se extollit, deprimetur. Matt. 23. 12. Correctio. Peccant ergò qvi officia injuste n. per machinationes, vel per apertam violentiam invadunt, & adipiscuntur. 5. Præsumptio est cum qvis honoris supra álios conseqvendi causâ, nimium sibi fidens ea agere assummit, qvæ vires suas superant. v. g. cum qvis perrumpit per castra hostium, ut pro gloriosissimo habeatur. Præsumtio hæc est fugienda: qvod patet tum an ita sit. 2. Sam. 23. 16. 17. tum cur ita sit. 1. Qvia est peccatum, licet negent qvidã in Thoma. 2. 2. q. 130. art. 1. 2. Qvia opponitur spei, ut habitum fuit. 3. Qvia est tentatio Dei, & ejus causâ, ut etiam dictum. 4. Qvia adversatur humilitati, qvia est species superbiæ, qvæ humilitati contrariatur.

LXXI.

LXXI Qvid est invidia?

Est tristitia de bono proximi ideo facta, qvia bonum illud nostram propriam excellentiam minuere cogitamus. Sic Num. 11. 29. Iosue invidiam habebat, ideo enim tristabatur de spiritu prophetiæ Eldad & Medad, qvia spiritum illum eorum suum honorem minuere cogitabat. Species invidiæ sunt qvatuor. Prima, est cum qvis dolet alium frui vel fruiturũ illo bono, qvo ipse fruitur, sed solus eo frui vellet, ut si qvis invideat alii eundem secum honorem &c. Sic invidebat Saul Davidi regiam dignitatem: Iudæi inviderunt Gentibus qvod & ipsæ populus Dei fieri deberent, cum illi soli populus Dei esse vellent Act. 13. 45. Secunda, est cum qvis ægrè fert, alterum frui bono aliqvo, qvo ipse frui non potest, ut si qvis ægrè fert videns alium se meliorem &c. Sic invidet Diabolus nobis gratiam Dei. Talis invidia fuit in Camo, Gen. 4. 3. 5. in fratribus Iosephi, Act. 7. 9. in Arone & Sorore ejus, Num. 12. 2. in Saule 1. Sam. 18. 7. 8. in Samballato & Tobia, Neh. 2. 10. in Proceribus Medis & Persis, Dan. 6. 4. 5. Sadducæis, Act. 5. 17. Tertia, cum qvis molestè fert aliis contigisse à Deo tale bonum, qvale illi habẽt. qvos illi diligũt. Talis invidia fuitt in Iosua, Num. 11. 27. 28. in discipulis Iohannis, Ioh. 3. 26. in discipulis Christi. Matt. 9. 38. Qvarta, est cum qvis destruit bona sua, vel aliorum ne qvisqvam eo fruatur. Talis fuit invidia Philistæorum, Gen. 26. 34. 15.

Diaboli

703147

Diaboli eorrumpentis verbum Dei, ne fidelibus prosit. Impiorum, cupientes & alios impios reddere, Diaboli volentis ne alii etiam possint in regnum Cœlorum pervenire. Summorum Sacerdotum, scribarum, &c. Christū Pilato interficiendum tradentium, ne eo qvisqvam gaudere posset, Matt. 27. Hæc invidiæ species hominem reddit merito exosū & maledictis aliorum obnoxium, instar stellionis, qvi est animal nimis invidum, cutem enim qvam qvotannis exuit, protinus devorat, ne fieret homini comitialis morbi remedium Plin. l. 30. c. 10.

LXXII. Qvare additur in definitione invidiæ, qvia minuere videtur propriam nostram excellentiam?

I. Qvia tristitia de bono proximi ideo facta qvia exillo bono proximi aliqva mala proventura videmus, vel aliis, vel nobis, non est invidia, sed timor honestus, qvi licitus est, Prov. 28. 28. Iusti non invident evectionem improbis, sed honestè metuunt, cum ideo tristantur de eorum erectione, qvod multa mala sibi vel aliis piis ex ea oritura vident, & conficiunt.

LXXIII. II. Qvia tristitia de bono proximi ideo facta, qvia bonum illud proximi & nos non habemus, non est invidia, sed æmulatio, qvæ licita est. Sic Rom. 11. 14. Iudæi non invidiam; sed æmulationem habuissent, si ideo tristati fuissent de bono spirituali gentium, quod bonum illud etiam ipsi non habuissent.

LXIV. III. Qvia tristitia de bono proximi ideo facta, qvod bonum illud indignus habeat, non est invidia; sed indignatio, qvæ licita est. Sic Prov. 29. 2. Populus non invidet; sed indignatur, cum ob impiorū dominatum suspirat, seu de eo tristatur. Differt ergò (ut vides) invidia à metu honesto, æmulatione. Nam invidia est tristitia de bono proximi, qvia minuere videtur nostram propriam excellentiam; sed timor honestus est tristitia de bono proximi, qvia ex eo aliqva mala nobis vel aliis proventura videmus, & sic deinceps.

LXV. Obj. præoec. Timor honestus, æmulatio, indignatio, invida dicuntur in scripturis, adeoqve peccata, ut Psal. 37. 1. 7. 8. Prov. 3. 31. Ergó non differunt ab invidia, qvæ illicita est. R. Conseq. negatur; qvia etsi metus honestus, æmulatio, indignatio, qvæ fiūt supra modum dicantur in scripturis invidia; tamen intra modum ab ea distinguuntur, ut vidimus. Si ergò supra modum metuas, æmuleris, indigneris, invidus eris; sed si intra modum hoc facias, non item. Observa. Invidia hæc est sedulò fugienda. Patet 1. an ita sit ex citatis damnatis exemplis. 2. Cur ita sit. 1. Qvia humilitati repugnat. 2. Qvia prohibeturà Deo Psal. 37. 1. Prov. 3. 31. 3. Qvia reprehenditur à Deo. Reprehensa enim fuit in Caino, Gen. 4. 6. in Mirjamo Sorore Mosis & Aaronis, Num. 12. 8. 4. Qvia impellit ad gravia delicta, veluti ad homicidium; imo etiam ad parricidium, ut ostendit exemplum Caini, Gen. 4. & exemplum Iobi occi-

703147

bi occidentis Abnerem, 2. Sam. 3. 23. & Amasam. 2. Sam. 20. impellit ad obtractationem, ut ostendit exemplum Mirjami sororis Mosis & Aaronis, Num. 12. Impellit ad sediciones, ut ostendit exemplum Chore, Dathanis & Abirami. 5. Qvia attrahit pœnas: ut docet exemplum Mirjami sororis Mosis. 6. Qvia est veluti rubigo hominem consumens. 7. Qvia efficit inqvietam vitam, & omne opus pravum, Iac. 3. 16. Dehortatione simus ergo invidi, ob dictas rationes, & alias, qvas in Ravanello vides.

CAPUT. XVIII.

De Humanitate erga proximum.

HUmanitas explicatur: 1. A generibus remotis: 2. justitia, 1. respiciente personam proximi. 2. respiciente proximi vitam. th 1. 2. cujus justitiæ notatur nomen, & præceptum th. 3. ubi, justitiam sexto præcepto imperatam rectè vocari humanitatem confirmatur ibidem: cujus confirmationis ratio redditur. th. 4. II. A definitione. th. 5. III. A modis eam exercendi. th. 6. IV. A distinctione ejus officii. 1. in officium spirituale. th. 7. qvod 1. definitur th. 8. 2. notantur ejus species 1. omnibus communes. th. 9. qvæ ab objectione liberantur th. 10. & 11. ubi peccata istis opposita vitam spiritualem lædentia enumerantur, & graviora dicuntur esse peccatis vitam corporalem lædentibus, th. 12. 2. aliqvi-

aliqvibus propriæ, th. 13. 2. in officium corporale qvod 1. definitur, th. 14. 2. ejus gradus, seu species in genere & in specie cū suis oppositis enumerantur. th. 15.—31. 2. horum officiorum oppositorum commune nomen, 1. homicidium, indicatur, th. 32. qvod explicatur 1. à definitione th. 33. 2. à requisitis. th. 34. 3. specie qvadam, vel potiùs causa, 1. ira temeraria, th. 35. cujus ratio redditur. th. 36. cujus rationis ratio redditur. th. 37. qvæ ratio tribus casibus, seu qvæstionibus conscientiæ, aut exemplis illustratur. th. 38. 39. 40. qvorum ultimus iterū duobus exemplis illustratur. th. 41. 42. unde 1. colligitur belli ex altera parte inhonestas. th. 43. qvæ confirmatur. ibidem, & th. 44. 2. notantur conditiones bellum honestantes. th. 45. & milites licentiantes ad bellum gerendum. th. 46. 4. à casu qvodam. th. 47. qvi ab objectionibus liberatur. th. 48. 49.

EXPLICATIO.

I. *Unde pendet hoc caput, & qvotuplex est justitia respiciens conditionem proximi absolutè consideratam?*

Pendet à Cap. 17. th. 2. & est duplex: respiciens proximi personam, vel externa ejus commoda, diciturqve justitia commutativa, de qva infra c. 20.

II. *Qvotuplex est justitia personam proximi respiciens?*

703147

Duplex: respiciens proximi vitam, vel ejusdem puirtatem, diciturqve castitas, de qva Capite seqventi.

III. *Iustitia respiciens vitam proximi qvomodo vocatur, & qvoto præcepto mandatur?*

Vocatur humanitas, & sexto præcepto mandatur: n. non occides. Iustitia respiciens vitam proximi sexto præcepto imperata rectè vocatur humanitas: qvia sexto præcepto propriè conservatio vitæ humanæ mandatur. Additur propriè:

IV. Qvia in sexto præcepto proprie conservatio vitæ brutorum non imperatur: qvod patet; 1. Qvia licet hominibus bruta occidere. Gen. 9. 3. 2. Qvia bruta non habent cõmunem cum homine societatem: Ergò non etiam habent communem cum homine de cõservanda vita legem. Additur proprie: Qvia per modum appendicis, seu improprie, sexto mandato imperatur etiam clementia erga vitam brutorum, seu conservatio vitæ eorum, & prohibetur inclementia erga vitam brutorum, seu occisio eorum: (ut vides, l. 5. eas, c. 34. q. 4.) qvia clemens erga hominem, & alienus ab ob occisione hominis, clemens etiam est erga bestias, & alienus ab earum mactatione: & inclemens erga bruta, & paratus ea occidere, inclemens etiam est vel redditur erga hominem, & paratus eum occidere, in multis enim similis est homo brutis, & bruta in multis similia sunt homini, Sic igitur explicabis

cabis sextum præceptum: Non occides, id est, hominem & bruta recrees, conserves; contra hominem & bruta ne vexes, mactes, scilicet Deo non præcipiente, & necessitate non reqvirente: secus enim & hominem, & bestias non tantum noxias, sed etiam innoxias occidere licet.

V. *Qvid est humanitas?*

Est vitus &c. hoc est, ille est humanus, qvi proximi sui tranqvilitatem, & ejus vitam spiritualem, & corporalem legitimis mediis conservat. Sensus ergò respectu hominis sexti mandati hic est: Non occides, id est, proximi tui tranqvilitatem ne turbes, vitam ejus spiritualem, & corporalem ne lædas, & tollas; sed eam legitimis mediis foveas, & conserves. Additur 1. tranqvilitatem, qvia turbulenta vita, qvotidiana mors est. 2. legitimis mediis: qvia illegitimis mediis, ut mendacio, perjurio, ereptione é manu magistratus &c. non licet tranqvilitatem, & vitam proximi conservare. Observa ergò. Humanitas erga proximum est exercenda. Patet 1. an ita sit. Exod. 20. 13. Ne occidas, id est, erga proximum tuum esto humanus, id est, pro eo preceris, eum admoneas, bono exemplo ei præeas, esto mansvetus, patiens, longanimis, placabilis, concors, benevolus, proximum sanes, cibes, vestias: Contra erga proximum tuum ne sis inhumanus, id est, ne ei impreceris, ne consentias cum ipso in peccato, ne ei scandalum des, ne sis lentus, iracundus, discors, malevolus, eum verberans, fame, siti pre-

703147

meus, cum occidens. 2. Cur ita fit, 1. Qvia eam Deus præcipit, Deut. 22. 1—4. 2. Qvia eſt ſignum reverentiæ Dei, Lev. 19. 14. 3. Qvia magis amat eam Deus, qvam jejunium, Eſai. 58. 6. Exhortatio. Ergò ſimus humani ob dictas rationes; & contra ne ſimus inhumani; Nam inhumanitas 1. prohibetur à Deo. Pſal. 62. 4. Prov. 3. 29. Deut. 22. 6. 7. Lev. 19. 14. 2. Non manet impunita Pſal. 62. 4. 3. Inhumanitas eſt pernitioſa. Pſal. 7. 15. 16. 17. Prov. 11. 6. 4. Eſt abominationi Deo, Prov. 6. 16. 5. Eſt indicium hominis neqvam. Prov. 16. 27.

VI. Qvot modis conſervamus legitimis mediis tranquilitatem, & vitam proximi ſpiritualem, & corporalem?

Duobus modis: 1. Subſidio ferendo, & noxis depellendis, ſeu omnia illa præſtando, qvibus vita proximi ſpiritualis vel corporalis, juvatur, & conſervatur: qvalia ſunt precatio, admonitio, bonum exemplum, manſvetudo, &c. & contra abſtinere ab omnibus illis, qvibus vita proximi ſpiritualis, & corporalis lædituv vel deſtruitur: qvalia ſunt imprecatio, conſenſus cum aliis in peccato, ſcandalum datum, lentitudo &c. Obſerva ergò. Noſtrum officium eſt omnia iſta præſtare, qvibus utraqve vita proximi fovetur, conſervatur, & ab omnibus illis abſtinere, qvibus ea lædi-

tur, deſtruitur. Patet 1. an ita ſit, ex præcepto: Ne occidito, id eſt, fac omnia illa, qvæ vitam proximi etiamqve juvant, conſervant, & ne facilla, qvibus ea lædituv, tollitur. 2. ex illo: Diligis proximum tuum, ut te ipſum. Sic etiam Amos. 5. 14. 15. 2. Cur ita ſit. 1. Qvia omnes cognati ſumus, ſumus enim omnes exuno ſangvine. 2. Qvia unam ſocietatem & civitatem incolimus. 3 Qvia Deus his officiis glorificatur. Exhortatio. Ergò faciamus illa omnia, qvibus vita proximi utraqve fovetur, conſervatur. Exhortamur ergò ad precationem, admonitionem, conſolationem, bonum exemplum, manſvetudinem &c. Et contra dehortamur à contrariis peccatis, & etiam ab ebrietate, crapula, impuditicitia, qvibus vita noſtra utraqve lædituv & tollitur.

VII. Qvotuplex eſt officium humanitatis?

Duplex: 1. Spirituale & corporale: qvia vita hominis, qvæ à nobis conſervari debet duplex eſt, 1. ſpiritualis, qvæ in unione & communione cum eo conſiſtit, (Med: l. 1. c. 16. th. 7.) qvæ fit per fidem & obedientiam (unde etiam fides & obſervantia erga Deum vocatur vita ſpiritualis Med. l. 1. c. 2. th. 1.) vel corporalis, qvæ in conjunctione animæ cũ corpore conſiſtit, ut vices, Med. l. 1. c. 12. th: 30.

VIII. Qvid eſt officium ſpirituale?

Eſt omnia illa facere, ſecundum poteſtatem noſtram, qvæ ædificat onem proximi poſſunt promovere, id eſt, pro viribus efficere, ut proximus noſter conjunctior reddatur Deo,

703147

adeoque in fide & obedientia erga Deum melior reddatur, seu ut credentior, & obedientior fiat.

IX. Quæ sunt illa officia spiritualia, quibus ædificationem proximorum promovere possumus, seu quibus eos conjunctiores reddimus Deo, adeoque credentiores & obedientiores?

Officia illa sunt vel communia omnibus, vel propria superioribus potestate, de quibus infra th. 13. Officia ergò 1. omnibus communia sunt, 1. precatio, qvâ proximo unionem cum Deo ejusqve media, n. fidem & obedientiam, vel earum augmentum petimus. 2. Admonitio, qvâ proximum ad unionem cum Deo servandam, & ad ejus media, n. fidem & obedientiam, & earum augmentum hortamur, & ab earum contrariis dehortamur. 3. Exemplum bonum, qvo coram aliis credimus in Deum & ei obedimus, ut & illi hoc faciant, ficqve Deo uniantur, vel uniti maneant. Hæc officia omnibus communia dicuntur, qvia fraternè, & charitative omnes homines, id est, & superiores, & inferiores, & æqvales, tenentur his mediis proximi vitam spiritualem conservare & promovere.

XI. Objec: præcc: Precatio, admonitio, bonum exemplum sunt officia charitatis, ut vidimus supra. Cap. 16. th. 30. & seqq. Ergò non sunt officia spiritualia humanitatis, qvibus scilic: vita proximi conservatur. N. Conseq.

Conseq. neg. qvia etsi immediate & qvoad finem proximum precatio, admonitio, & bonum exemplum sint generalia officia charitatis, tamen mediante charitate, & qvoad finem remotum sunt humanitatis officia spiritualia, qvibus scil. vita spiritualis proximi conservatur: qvod patet, ex Iac. 5. 20. ubi avertens qvis peccatorem à peccato (scil: per precationem, precando pro ejus conversione; admonitionem, dahortando eum à peccato; bono exemplo, benefactis inducendo eum ad benegendum,) servare dicitur eum à morte, scil. spirituali, qvæ in separatione à Deo, & variis animæ passionibus consistit. Precationis, admonitionis, boni exemplì finis immediatus & proximus, est declaratio dilectionis nostræ erga proximum nostrum: finis verò mediatus & remotus est conservatio vitæ spiritualis proximi nostri. Vel, precatio, admonitio, bonum exemplum in genere sunt officia charitatis; sed in specie sunt officia spiritualia humanitatis, qvæ est species charitatis: Qvæ enim in genere dicuntur de charitate, illa etiam dici debent in specie de ejus speciebus, n. honore, humanitate &c.

XI. Sic etiam imprecatio, consensus cum aliis in peccato, scandalum aliis datum, immediate & in genere opponuntur precationi, admonitioni, bono exemplo, ut sunt actus charitatis; sed mediate & in specie opponuntur precationi, admonitioni, bono exemplo, ut sunt officia spiritualia humanitatis: qvod patet: qvia ut precatio, admonitio, bonum exemplum conservant vitam proximi spiritua-

703147

sem, sic imprecatio, consensus cum aliis in peccatis, scandalum aliis datum, lædunt & destruunt semper vitam proximi spiritualem: quod patet ex Ier. 13. 18 ubi, falsi prophetæ consensu cum suis auditoribus in peccatis eorum, & scandalo dato, morte afficere dicuntur animas eorum auditorum. Sic c. 23. 6. 8. Rom. 14. 15. 1. Cor. 8. 11. Vides hic humanitatis officia spiritualia, quibus vitam proximi spiritualem conserves: & contra actus spirituales inhumanitatis, quibus eam destruere caveas.

XII. Peccata vitam spiritualem proximi lædentia (in imprecatio consensus cum aliis in peccato, datum scandalum) peccatis corporalem proximi vitam lædentibus, in percussione, tortura occisione, &c. gravora sunine?

Sic: quia ut anima nobilior est corpore, sic vita spiritualis preciosior est vita corporali. Obj. Prooc: Peccata vitam spiritualem proximi lædentia graviora sunt, quam peccata vitam corporalem lædentia: Ergò illa magis lædunt proximum quam hæc: At falsum hoc: Ergò & illud. ℞. Conseq. negatur, hoc est, quamvis peccata vitam spiritualem proximi lædentia graviora sint, quam peccata corporalem vitam proximi lædentia, tamen peccata quæ vitam spiritualem proximi lædunt, minus lædunt proximum, quam peccata, quæ vitam corpo-

rporalem proximi lædunt: quia peccata hæc lædunt & occidunt corpus nolentis, & realiter, seu manu efficiendo mortem corporalem; illa verò lædunt animam volentis, & moraliter, seu verbo & exemplo, suadendo peccata, unde sequitur spiritualis mors, si peccetur: ac proinde persuadens alicui apostasiam moraliter tantum occidit animam persuasi, seu apostatantis, persuasus verò ipse, seu apostatans animam suam realiter occidit. Sic, Diabolus occidit animas primorum Parentum, moraliter, persuadendo iis apostasiam, unde sequuta est eorum mors, cùm spiritualis, tùm corporalis: primi verò Parentes animas suas occiderunt realiter. Sique immediata causa occisionis corporalis est homicida; sed immediata causa occisionis spiritualis est non ille qui peccatum suader; sed ille qui peccavit; tua enim peccati suasio meam animam occidere non valet, si juxta tuam suasionem non peccem. Observa ergo. Maxime abstinere debemus ab illis peccatis, quibus proximi spiritualis vita læditur. Patet 1. an ita sit ex illo: Non occides, id est, maximè vitam spiritualem proximi ne lædas, tollas. Sic Ezech. 36. 6. 8. 2. Curita sit, 1. Qvia vita spiritualis proximi nobilior est vita ejus corporali. 2. Qvia occisio animæ erit æterna. 3. Qvia privatio vitæ spiritualis privat proximum omni solatio vitæ corporalis. 4. Qvia vitæ spiritualis læsione læditur directè gloria Dei, qvia non lædatur hæc vita, nisi per peccatum tàm illius qui lædit, qvàm illius qvi læditur. qvamvis corporalis vita possit auferri, sine peccato homi-

703147

nis læsi. Dehortatio. Ergò maximè vitemus illa peccata, qvibus læditur & tollitur vita proximi spiritualis: ut 1. doctrinas hæreticas, 2. Consilia prava, & mores corrumpentia, 3. ab exemplis pernitiosis & scandalosis, &c.

XIII. Officia spiritualia superioribus potestate, n. Mantis, Parentibus, &c. propria sunt illa, qvibus illi pro sua potestate suorum inferiorum, n. uxorum, liberorum &c. salutem promovent, diligenter curando, ut ii habeant media salutis, n. verbum, sacramenta, disciplinam, ut dictum supra c. 17. th. 44.

XIV. Qvid est officium corporale?

Qvo vita corporalis proximi tuta & tranqvilla conservatur. Vita corporalis proximi tuta & tranqvilla conservatur mansvetudine, patientiâ, longanimitate, placabilitate, concordiâ, benevolentiâ, victu, amictu: contra vita corporalis proximi læditur contrariis vitiis, n. lentitudine, iracundiâ, discordiâ, inimicitiâ, privatione victûs, percussione, vulneratione, vexatione, spoliatione. Vides hic officia humanitatis corporalia, qvibus vitam corporalem proximi conservabis, & contra inhumanitatis vitia corporalia, qvibus vitam corporalem proximi lædere, & tollere cavebis. Observa ergò. Nostrum necessarium officium est abstinere ab iis omnibus, qvæ tendunt ad corporalem vitam proximi lædendam. Patet 1. an ita sit ex illo: Non occides, ubi, dum occisio corporalis prohibetur, prohibentur etiam omnes cautæ & occasiones ejus. 2. Est ita sit. 2. Qvia homo conditus est ad imagi-

nem Dei, Gen. 9. 6. & seq. 2. Qvia Deus solus est Pater spirituum, & Dominus vitæ. 3. Qvia hæc est omnium injuriarum gravissima. Dehortatio. Ergò diligenter caveamus nobis ab omnibus illis peccatis, qvibus proximi vita corporalis læditur: ut 1. à lentitudine, 2. iracundia, &c.

XV. Qvæ sunt species, seu gradus officii corporalis, qvo vita corporalis proximi tranqvilla, & tuta conservatur?

1. In genere sunt omnes illæ virtutes, qvibus à læsione vitæ corporalis proximi alieni reddimur.

XVI. 2. In specie verò sunt mansvetudo, patientia, longanimitas, placabilitas; peccata enim qvibus propensi reddimur ad lædendam vitam corporalem proximi sunt lentitudo, iracundia, impatientia, illonganimitas, implacabilitas, ut in seqrentibus vides.

XVII. Qvid est Mansvetudo?

Est virtus, qvæ moderatur, id est, minuit, justam iram, id est, justum appetitum vindictæ, adversus peccantem, & lædentem. Mansvetus ergò est qvi minuit appetitum puniendi & corrigendi peccantem, seu lædentem, ut Moises. Observa ergò. Mansvetudini studendum est, seu pii mansveti esse debent Patet 1. an ita sit. Prov. 17, 27. ubi commendatur vir cohibens sermones suos, id est, vir mansvetus. Sic 1. Cor. 13. 4. ubi, charitas iram

703147

iram cohibet, id est, hominem mansvetum facit. Sic Num. 12. 3. ubi Moses laudatur à Deo propter mansvetudinem, Gal. 5. 22. ubi, fructus spiritus dicitur esse iræ cohibitio, id est, mansvetudo. 2. Cur ita sit. 1. Qvia mansvetudo illa à Deo præcipitur. Psal. 34. 15. Eccl. 7. 21. Tzephan. 2. 3. Marc. 9. 50. Rom. 12. 17——18. Colos. 3. 8. & ℣. 12. 15. 2. Qvia mansvetudo fœlicitatem temporalem adfert, efficiens ut ejus sectatores possideant terram hæreditario jure, id est, ut qvietè & pacificè possideant qvæ habent, & inter alios tranqvillè vivant, Psal 37. 11. Matth. 5. 5. 3. Qvia mansvetudo est fructus spiritus, & signũ regenerationis, Gal. 5. 22. & eorum, qvibus beatitudo æterna à Deo promissa est Matth. 5. 9. 4. Qvia mansvetudo necessariò reqviritur in iis, qvi preces suas cupiant exaudiri à Deo, ejusqve iram avertit. Tzephaniæ. 2. 3. Exhortatio. Ergó simus mansveti. 1. Qvia ad mansvetudinem invitat nos exemplum: 1. Dei, Matth. 18. 27. 33. Est enim mansvetus, mitis, longanimis. 2. Christi. Matt. 11. 29. & 21. 5. Esa. 53. 7. Matt. 26. 62. 63. & 27. 12—14. 1. Petr. 2. 23. 3. Fidelium. 1. Abrahami, qvi noluit contentiones esse inter se & Lothum, & pastores suos & illius. Gen. 13. 8. Iosephi Patriarchæ, qvi injurias à fratribus acceptas, & venditionem sui in Aegyptum non est ultus. Gen. 50. 19.—21. Mosis. Num. 12. 3. Qviqve ℣. 13. intercessit pro sorore sua, qvæ contra illum obloqvi ausa fuerat. Davidis, qvi Saulem non interfecit, cum potuisset, 1. Sam. 24. 26. Pauli Apostoli, qvi de se pro-

se profitetur, 1. Tess. 2. 7. Vide plura argumenta excitantia, L. 5. de cas. c. c. 27. q. 3.

XVIII. *Qvæ peccata opponuntur Mansvetudini?*

Lentitudo, & Iracundia.

XIX. *Qvid est lentitudo?*

Est privatio iræ justæ, seu est, defectus, seu nimia diminutio appetitûs puniendi, & corrigendi lædentem & peccantem. Lentus ergò ille est, qvi nullum, vel minimum appetitum, seu voluntatem habet puniendi, & corrigendi peccantem, & lædentem, ut Heli. Observa ergò. Lentitudo, seu lenitas vitiosa, est fugienda, seu non debent pii esse lenti. Patet 1. an ita sit. 1. Sam: 2. 29 ubi damnatur indulgentia Eli ergò suos filios. Sic 1. Reg. 20. 42. ubi indulgentia Achabi erga Benhadadum damnatur. Damnatur etiam indulgentia Parentum erga suos liberos. Prov. 13. 24. & 19. 18. & 23. 13. 14. 2. Cur ita sit. 1. Qvia lentitudo est peccatum, qvia est omissio officii debiti. 1. Cor. 5. 2. cum 2. Cor. 7. 10. At qvale? Vid. l. 5 de cas. c. 28. q. 1. 2. Qvia stultæ hominis est & sensu carentis non irasci, cum oportet. 3 Qvia cũ peccatoribus non irascimur, illos supra Deum honoramus, 1. Sam: 2 29. 4. 4. Qvia ei, qvi non irascitur illi, cui Deus irascitur, Deus valde irascitur, 1. Reg 20. 42. 5. Qvia fœderis natura postulat, ut illi irascamur, cui Deus irascitur. Dehortatio. Ergò lentitudinem, indulgentiam, omissionem iræ fugiamus. Irascamur ergò cum irascendum est,

703147

XX. Qvid est iracundia?

Est inordinata iræ concitatio, seu est excessus, seu nimia auctio appetitûs puniendi & corrigendi peccantem. Iracunda ergò ille est, qui nimium appetitum habet lædentem vindicandi & corripiendi. Qvi sunt effectus iracundiæ? Privata ultio, contentiones & jurgia, lites forenses injustæ. Observa ergò. 1. Iracundia est vitanda, seu pios iracundia non decet. Patet 1. an ita sit, Gen. 49. 7. 2. Cur ita sit. 1. Qvia prohibetur. Eccl. 7. 9. 2. Qvia propria est stultorum & stultorum, furiosorum. Eccl. 7. 9. & Prov. 14. 17. 3. Qvia iræ ingentis exitus furor est: immodica ira gignit insaniam: iracundiæ comes tristitia est. 4. Qvia peccatum est. At qvale? Ex. l. 5. de cæs. c. 28. q. 2. Ne simus ergò iracundi, id est, nimium appetitum vindicandi peccantem habentes. Moveat nos exemplum Dei, & Christi, & Mosis sæpe otiantium prosuis lædentibus. Inprimis fugiamus iracundiam adversus Pastores. 1. Qvia talis indignatio inprimis à Deo prohibetur. 2. Qvia non tantum in privatis hominibus; sed etiam in Regibus à Spiritu Sancto culparus, ut in Achabo. 1. Reg. 20. 43. 2. Ultio privata (de qva etiam supr. c. 16. ad th. 75.) non est usurpanda. 1. Qvia cuiqve à Deo est interdicta in præcepto Decalogi: Non occides. Matt. 5. 39. Rom. 12. 19. 2. Qvia perturbat rationem ordinis publici, qvæ constantissima esse debet. Frandat enim authoritate sua judices, ad qvos cognitio pertinet. 3. Qvia

1. Qvia ejus authoribus, svasoribus & Patronis Pharisæis & Scribis Christus ipse restitit Matt. 5. 38. 39. Pharisæi enim & scribæ talionem unicuique homini permittebant, & privatas ultiones animo cujusqve indulgebant, & armabant contra publicum ordinem privati cujusqve manum. 3. Contentio vitari debet ab omnibus. 1. Qvia propria est stultorum. Prov. 18. 6. & 20. 3. 2. Qvia causa est multorum malorum. Prov. 17. 19. Non igitur contendendum cum ullo homine immeritò sive privatis jurgiis, sive litibus in jure. Prov. 3. 25. Imó nec adversus contradicentes veritati divinæ est iracunde agendum; sed contentio fugienda & consulendum ædificationi, qvæ inter rixandum nulla est, donec Deus opportunitatem exhibeat commodam ad ædificandum. 1. Qvia sic præcipit Deus Philip. 3. 15. q. d. si qvi nondum veritatem intelligant, iis turbanum movendæ; sed benignè tolerandi sunt, dum & ipsi eruditantur à Deo. 2. Qvia & alii fideles non contenderunt cum contradicentibus. Exemplo est Ieremias, qvi Chananiæ Pseudoprophetæ protervè in se irruenti cessit. Ier 28. 11. Sic Paulus ait. 1. Cor. 11. 16. Qvod si qvis videtur contentiosus esse, nos ejusmodi consvetudinem non habemus, neqve Ecclesia Dei. 4. Contentio vitari debet in primis à Christianis & propinqvitate junctis. 1. Qvia prohibetur à Deo. Gal. 5. 20. 2. Qvia neqvaqvam decet fratres, id est, qvi religionis ejusdem & sanguinis communione sunt juncti. Sic Abram dicebat Lotho quum esset itemidem inter Pastores ipsorum contentio,

703147

tio. Gen. 13. 8. Ne qvæso sit contentio inter me & te, aut inter pastores meos, & Pastores tuos, nam viri fratres sumus, id est, tum singulare jus sanguinis & religionis communis inter nos, tum ipsa humanitas colere nos pacè jubet. 5. A litibus injustis forensibus (qvas qvis prosequitur habens causam injustam, aut etiamsi justam causam habeat, tamen injusto modo eam prosequitur, nempe vel ex iracundia, cupiditate vindictæ, & studio molestias exhibendi proximo, damnisqve eum afficiendi, vel coram judicibus infidelibus) abstinendum est. 1. Qvia sunt a Deo prohibitæ. 1. Cor. 6. 1, 6. 7. 2 Qvia sunt indicium defectus magni & pudendi fidelibus. 1: Cor. 6. 7. 3. Qvia proficiscuntur ex injustitia, qvæ punietur exclusione è regno Dei, ut Paulus testatur. 1. Cor. 6. 9.

XXI. *Qvi sunt iracundiæ gradus, seu quibus rebus augetur nimis appetitus, seu voluntas vindicandi lædentem?*

Primo irritatione animi, cum læsus multis argumentis impellitur ad appetitum vindicandi lædentem hoc, vel simili modo: Maxima est mea hac læsio, facta enim est. 1. à beneficiario. 2. coram ofore meo. 3. à vili, &c. Secundo excandescentia, cum læsus istis argumentis impulsus, vehementi ira, seu appetitu vindictæ ardet erga lædentem. Tertio, odio, cum qvis ardentem illum vindictæ appetitum fortiter retinet (odium enim est ira inveterata

terata) & si pote executioni mandat, vehementer scilicet puniendo lædentem. Odium hoc in proximum est fugiendum: de qvo vide supra c. 16. ad th. 16.

XXII. *Qvid est patientia?*

Patientia erga proximum (loquuti sumus enim supra de patientia erga Deum c. 6. ad th. 17.) est virtus, &c. hoc est patientia erga homines nos lædentes est, qva qvis proximum se maximis injuriis, n. convitio, detractione, vulneratione, spoliatione, &c. afficientem, si fieri possit, vel non vult punire, vel puniri; vel si secùs fieri neqveat, placide eum punire, vel puniri vult. Vel, qvà qvis pacato & sedato animo tolerat & fert læsionem, & lædenti parcit. Obj. Patientia negatur esse virtus, Thom. 2. 2. q. 136. art. 1. Ergò non est virtus. R. Negatur conseq. Observa ergò. 1. Contumelias, exagitationes, maledictiones, derisiones spernere & æqvo animo ferre decet, cum unumqvemqve tùm in primis Principes & Magistratus, qvi ut contumeliarum, etiam coram factamm patientes esse: ita si qvis absentibus convitiatus fuerit aut in occulto detraxerit, neqe deferentem audire, neqve delatum punire debent. Patet 1. an ita sit, Luc. 21. 19. Sic Coloss. 1, 11. 1. Thess. 5, 14. Iram cohibete, id est, patientes estote. 2. Cur ita sit. 1. Qvia alienos nos reddit à proximi vita corporali lædenda, ut dictum. 2 Qvia providentiâ & justo judicio Dei contingant, qvod agnoscit David maledictis & lapidibus petitus à Semejo, 2. Sam. 16. 20, 11. 3. Qvia

703147

illæ aut merito contingunt, aut immerito. Si merito, corrigere debent ea propter qvæ fiunt; sicut Philippus Rex Macedoniæ dicere solebat gratias se debere Athenienſium oratoribus, qvod convitiis ſuis redderent ſe meliorem, dū illos factis conatur refellere. Sin immerito: diſſimularè debent, nam ultione earum, qvid niſi plures ſermones & plurium provocarent? Ne move, qvod motum magis exhalet: ne move, qvod movendo non ſedes. 4. Qvia illarum patientia ingens inſtrumentum eſt ad tutelam potestatis, 1. Reg. 12. 7. 5. Qvia contumeliæ à perditis, proſligatisqve hominibus profectæ, nullius gloriam dignitatemqve violant: Illæ potentiam principum & Magiſtratuum lædere, & gloriam (ſi bene agunt) adimere non poſsunt. 6. Qvia illarum impatientes, parum idonei ſunt ad Rempublicam gerendam, ſedatus enim animus decet imperantes. 7. Qvia laudatiſsimi qviqve Principes & Magiſtratus manſveto animo tulerunt. Exempla. Moſes dux & gubernator populi Iſraelitici in deſerto ſre qenter murmura, coovitia, jurgia, contumelias á rebellibus & ſeditioſis & invidis ſuſtinuit: ſed ut erat manſvetus valde, præ omnibus hominibus, qvi erant in ſuperficie terræ, injuriatum erat patientiſsimus. Num. 12. David Rex Iſraelitarum pulſus à filio ſuo Abſalomo & profugus, cum manu tamen fortium virorum, cum Bachurima verſus progrederetur auſus eſt Semei è Saulis cognatis, petere virum non tantum convitiis, ſed & lapidibus, qvos ex alto in eum jecit. Indignati comites, & ex iis

ex iis Abiſajus: Itane (inqvit) canis iſte mortuus Domino meo Regi maledicat, idqve impunè? Ibo, mi Rex, & recidam ei caput, domicilium protervæ iſtius lingvæ. At mitiſsimus virorum David: ſine eum ut maledicat. En filius qvem genui, ſangvis meus, ſangvinem hunc qværit: & indignemur, ſi convitiatur alienus? 2. Non tantum offendentes, ſed etiam offenſi aliorum qvantumvis frequentibus & magnis injuriis, vel primi reconciliationem qværere debent, & eos, á qvibus offenſi ſunt omnibus charitatis & humanitatis officiis proſeqvi. Patet 1. an ita ſit, ex exemplo Chriſti, qvi ad hoſtes ſuos venit reconciliandos. Ioh. 1. Et dicit: Diligite inimicos veſtros. Mat. 5. 2. Cur ita ſit. 1. Qvia Chriſtus Dominus, ſervator noſter id mandat tum offendenti, tum offenſo: velut Mat. 5. 23. 24. 25. & Cap. 18. 15. & 21. 22. 2. Qvia Deus à nobis offenſus graviſsimè, non expectavit dum nos ſupplices fieremus ipſi & reconciliationem expeteremus, ſed ultro nos primus qvæſivit & ingratiam recepit: sic enim fecit in Paradiſo qvum Adamus & Eva in peccatum lapſi eſſent. Huc pertinet qvod Paulus ait. Rom. 5. 8. & 10. 2. Cor. 5. 18. & ℣. 19. 20. 3. Qvia etiam gentiles laudatiſsimi id fecerunt, à qvibus Chriſtianos patientiâ ſuperari turpe foret.

XXIII. *Qvid eſt longanimitas?*

Eſt continuatio patientiæ, qvamvis diu fuerit læſa, id eſt, qvâ qvis tranqvillo animo vel ſemper, vel diu ſuffert læſionem, & lædenti

703147

pareit, seu vel nunqvam, vel diu non vult punire, vel puniri peccantem. Observa ergò longanimitatati est studendum, seu erga proximos nostros longanimes debemus esse. Patet 1, an ita sit. 1. Thess. 5. 14. Itam cohibete, id est, longanimes estote, seu patientiam continuate, exemplo Domini, Matt. 18. 27. collato cum versu 26. 2. Cur ita sit. 1. Qvia longanimitas alienos nos reddit à læsione proximi, ut dictum th. 15. 2. Qvia præcipitur à Deo. Eph. 4. 2. Ambuletis cum itæ cohibitione, id est, longanimitate. Et commendatur: Prov. 16. 32. præsertim in Ministro Ecclesiæ. 2. Tim. 4. 2. Exemplum in Paulo c. 3. 10. 3. Qvia longanimitas est fructus Spiritus Gal. 5. 22. charitatis, 1. Cor. 13. 4. Prudentiæ, Prov. 19. 11. 4. Qvia longanimis abundat intelligentiâ, Prov. 14. 29. Sedat litem. c. 15. 18. pellicit ductorem c. 25. 15. 5. Qvia Deus est longanimis. Exod. 34. 6. Num. 14. 18. Luc. 18. 7. Rom. 2. 4. atqve adeo Christus. 1. Tim. 1. 16. 6. Qvia longanimitas est virtus, & qvidem distincta à patientia, licet qvidam negent in Thoma. 2. 2. q. 136. art. 5. Exhortatio. Ergò simus longanimes, diu placide sufferamus eos qvi nos injuriant, ob dictas rationes, & illa, qvæ sunt l. 5. de Cas. c. 27. q. 3.

XXIV. *Qvid est Placabilitas?*

Est virtus, qva injuriam nobis factam facile condonamus, seu qvâ qvis peccata proximo suo remittit libentèr. Observa, ergò Placabilitati est studendum, seu erga proximos nostros placabiles debemus esse. Patet 1, an ita sit. Luc. 17. 3. Remitte ei, id est, placabilis esto illi, id est, injuriam tibi factam cito condones. Sic Matt. 18. 21. 22. 2. Cur ita sit, 1. Qvia placabilitas alienos reddit nos ab omni læsione proximi, ut dictum th. 15. 2. Qvia placabilitas est virtus: qvia inclinat nos ad recte agendum. 3. Qvia placabilitas à Deo mandatur. Matt. 18. 21. 22. 4. Qvia implacabilitas peccatum est: adeoqve vituperatur in gentibus, Rom. 1. 31 & in hominibus, qvi victum sunt extremis diebus, 2. Tim. 3. 3. 5. Qvia Deus est placabilis erga nos: 1. Qvia cum non haberemus qvo eum placaremus, ipse proposuit nobis placamentum, qvo erga nos placati posset. Rom. 3 25. 2. Qvia vult ut nos placabiles simus: ergò ille est placabilis. 3 Qvia condonat facile omnes iniqvitates nostras, Psal. 103. 3. Exhortatio Ergò simus placabiles, id est, facile condonemus proximo injuriam nobis factam ab illo, ob dictas rationes, & illa, qvæ sunt l. 5. cas. c. 27. q. 3.

XXV. *Qvæ porrò sunt species seu gradus officii corporalis, qvo vita corporalis proximi tuta, & tranqvilla conservatur?*

In genere sunt omnes illæ virtutes, qvæ proximorum vitam conjungunt, & qvæ vitæ conjunctionem fovent: in specie verò sunt concordia, benevolentia.

XXVI. *Qvid est concordia?*

Est vir-

703147

Est virtus, qva cum aliis, in iis qvæ bona sunt consentimus, seu est unio cordium & voluntatum circa bonum appetendum, seu qvâ bonum, ut pacem, uno corde volumus, appetimus. Additur, qvæ bona sunt: qvia concordia laudabilis de qva nos loqvimur, non est in malo; sed in bono, concordia enim in malo non tàm est concordia, qvàm convecordia, l. 5 cas. c. 29. q. 1. 1. Observa ergò. Necessariò est studium concordiæ. Patet, 1. an ita sit, Phil. 1. 2. uno animo, id est, concordi ter, Sic c. 2. 2. unanimes, id est, concordes. & 4. 2. idem sapiant, id est concordes sint. 2. Cur ita sit. 1. Qvia concordia vitam corporalem proximi tutam & tranqillam conservat: qvia vitæ conjunctionem fovet. 2. Qvia concordia res parvæ crescunt; qvia virtus unita est fortior. 3. Qvia Apostolus hortatur fideles ad studium concordiæ, Eph. c. 4. 3. studentes servare unitatem spiritus, id est, concordiam; unitas enim spiritus est concordia: cujus hortationis Apostolus varia argumenta affert ℣. 4. 5. 6. 1. qvod sint inter se unum corpus, 2. qvod regantur ab uno Spiritu, 3. Spiritu Sancto. 3. qvod habeant unam spem, n. vitæ æternæ. 4. qvod habeant unum Dominũ, n. Christum. 5. qvod habeant unam fidem, n. Christi. 6. qvod habeant unum baptisma, n. in nomen Christi. 7. qvod habeant unum Deum & Patrem. Exhortatio. Simus ergò concordes, id est, uno animo bonum appetamus ob dictas rationes, & illas, qvæ l. 5. cas. c. 29. q. 2. habentur.

XXVII.

XXVII. Qvid est benevolentia?

Est virtus, qvâ volumus aliis omnia læta, seu bona, ut bona corporalia, & præsertim spiritualia, seu est voluntas illa, qva cupimus aliis bene esse. Observa ergò: Benevolentiæ est studendum. Patet. 1. an ita sit, 1. Cor. 13. 4. Charitas est benigna, id est, benevolens. 2. Cur ita sit. 1. Qvia vitam corporalem proximi tutam & tranqvillam conservat, qvia vitæ conjunctionem fovet. 2. Qvia Deus mandat. Rom. 12. 15. Inprimis autem mandat Deus, ut Ecclesiæ ipsius bene cupiamus. Iesa. 66. 10. 3. Qvia ad eam nos exemplo suo invitant tùm boni Angeli, tùm sancti homines. Angelorum exemplum est, Luc 3. 10. 11. 12. 13. 14. & Luc 15. 10. Exempla sunt in Iethrone socero Mosis. Exod. 18. 9. in Paulo, Rom. 1. 8. 1. Cor. 1. 4. Phil. 1. 3. Col. 1. 3. 1. Thess. 1. 2 & cap. 3. 6. & seqq. in Iohanne 2. Ioh. 4. & 3. Ioh. 3. 4. 5. 4. Qvia efficit, ut ex aliorum, ac imprimis Ecclesiæ Dei prosperitate ad nosqvoque consolatio redundet, Iesa. 66. 11. 12. 13. 14. 5. Qvia est signum amoris, etenim amorem sequitur. 6. Qvia Deus est benevolus. Exhortatio. Ergò Proximis nostris benevelimus, id est, omnia bona spiritualia & corporalia cupiamus, ob dictas rationes.

Qvæ virtutes adjungantur concordiæ, & benevolentiæ? 1. Comitas, qvæ est virtus, per qvam eos, qvos ad alloqvium admisimus, aut alloqvio dignati sumus, candidâ animi lætitiâ, qvæ ipso vultu & oculis à nobis significatur, &

703147

tur, & svavitate sermonis retinemus, & ea omnia qvæ probanda, & ut probanda sunt, probamus, offendimurqve contrariis. Comitati ergò est studendum: qvod patet tùm an ita sit. Qvia vitam corporalem proximi tranqvillam conservat, qvia conjunctionem vitæ fovet, concordiam & benevolentiam conservat. Fugiamus ergò. 1. Severitatem tetricam, qvæ est vitium cum qvis ipso vultu demonstrat tristitiam qvandam in colloqvio cum aliis, eosqve gravatum audit, nec minus gravatim eis respondet, atqve sic exceptos dure habet & tractat, præter modum & rationem, nemini ne in iis qvidem qvæ honesta sunt placere volens sed omnia aliorum dicta & facta improbans & suggillans. 2. Comitatem virtuperabilem, qvæ est vitium, qvum qvis nulla habita ratione personarum, locorum & temporum, jucundè cum qvovis communicat sermonem, sic ut neminem ullâ in re offendere velit, etiamsi necessitas & honestas id postulet, sed omnibus placere cupit in omnibus. 3. Comitatem simulatam, qvæ est vitium, qvâ qvis comem se extrinsecus exhibet ei, à qvo tamen animo maximè aversus est, & ei nocere cupit.

II. Affabilitas, qvæ est virtus, per qvam libenter, & cum significatione benevolentiæ alios qvantumvis pauperes & extraneos & infimæ sortis, ad congressum & colloqvium nostrum admittimus, eosqve benignè audimus, aut eosdem benignè alloqvimur, ubi opus est propter causam necessariam, vel probabilem. Ergò Affabilitati studendum: qvod patet

patet tùm an ita sit. 1. Petr. 3. 8. ubi comis dicitur etiam affabilis, unde comitas & affabilitas à qvibusdam pro una & eadem virtute haberi solent: tum cur ita sit. 1. Qvia vitam corporalem proximi tranqvillam reddit: qvia vitæ conjunctionem fovet, qvia conservat concordiam; & benevolentiam. 2. qvia nobis à Deo mandatur. 1 Petr. 3. 8. 3 Qvia jucundam conversationem cum aliis efficit. 4. Qvia communi omnium hominum consensu requiritur. Sicut vetus dictum habet. Omnibus te affabilem præbe. Fugiamus ergò. 1. Morositatem, qvæ est vitium, qvum qvis nec visu facilis nec dictu affabilis ulli est, nimia & intempestiva gravitate. 2. Colloabilem affabilitatem, qvæ est vitium qvum qvis absqve discrimine cuivis se visu facilem & dictu affabilem exhibet, nulla habita ratione gravitatis decentis personam suam aut etiam honestatis: ut si qvis se affabilem præbeat scortis aut similibus infamibus personis. 3. Simulatam affabilitatem, qvæ est vitium, qvum qvis affabilem qvidem se extrinsecus præbet aliis, qvos mallet procul à suo alloqvio arcere & abesse. 3. Æqvanimitas, qvæ est illa moderatio in conversatione cum hominibus, qva concordia, benevolentia & pax conservatur, Phil. 4. 5. Hæc moderatio consistit proprie in summi & rigidi juris relaxatione, prout ratio svadet omnibus circumstantiis rite consideratis. Hæc autem relaxatio, ut virtutis naturam participet, debet moderatum tenorem observare inter duo extrema: ita ut neqve nihil, neqve tamen omnia sine discretione relaxet aut condo-

703147

net. Observari debet hæc æqvanimitas, 1. in sermone, ne tantum arrogemus nobis verbis, qvantum in rigore est juris nostri. Phile. 18. 19. 2. in factis, ne jure qvidem illo nostro qvod verbis defendimus, reipsa semper utamur. 1. Cor. 9. 15. 3. in aliorum infirmitatibus multis, quas sanare non possumus, placide tolerandis. Rom. 15. 1. 1. Thess. 5. 14. 4. in aliorum dictis ac factis interpretandis; ut scilicet bona qvaliacunqve probemus; ambigua in meliorem partem, qvoad fieri potest, accipiamus mala non nimis exaggeremus. 1. Cor. 13. 5. 5. In injuriis manifestis, (qvando vel Dei gloria, vel publicum vel privatum hominum bonum inde potest expectari) dissimulandis & condonandis, 1. Cor. 13. 7. Aequvanimitati studendum est: qvod patet tum an ita sit, Phil. 4. 5. tum cur ita sit; qvia concordiam & benevolentiam & pacem conservat. Simus ergò æqvanimes, id est, in conversatione cum hominibus moderatione, seu relaxatione utentes, tum in sermone, tum in factis &c. non rigore vel in sermone vel in factis &c.

XXVIII. *Qvæ peccata opponuntur concordiæ & benevolentiæ?*

In genere qvæ vitam corporalem proximorum à se invicem disjungunt: in specie verò concordiæ opponitur discordia, seu dissidium: benevolentiæ verò opponitur inimicitia, seu malevolentia. Qvid est discordia? Est peccatum, qvo ab aliis dissentimus in iis, qvæ sunt bona, seu est disjunctio cordium & voluntatum circa bona appetenda, seu est cum unus

unus vult bonum, ut pacem, alius autem non vult. Observa ergò. Discordia hæc est fugienda: qvod patet. 1. an ita sit. Prov. 17. 1. Sic 1. Cor. 14. 33. Exagitationis, id est, discordiæ. 2. Cur ita sit. 1. Qvia discordia tollit vitam proximi corporalem: qvia disjunctionem vitæ efficit. 2. Qvia à Deo prohibetur. 2. Cor. 12. 20. 2. Tim. 2. 23. 3. Qvia discordia est pernitiosa. Luc. 11. 17. Gal. 5. 15. 4. Qvia discordia est opus carnis, Gal. 5. 20. 5. Qvia discordia maximæ res dilabuntur: qvia virtus separata diminuitur. 6. Qvia discordia est peccatum, licet negent qvidam in Thoma. 22. q. 37. art. 1. Dehortatio. Ergò discordiam fugiamus ob dictas rationes, & damna a exemplo, qvæ extant in Caino contra Abelem. Gen. 4. 8. Pastoribus Abraham & Loth. Gen. 13. 7. Israelitis & Beniamitis. Iud. 20. 10. Absolone adversus Patrem suum. 2. Sam. 15. 10. Qvid verò est inimicitia, seu malevolentia? Est peccatum, qvo aliis omnia mala corporalia & spiritualia volumus. Estqve fugienda: qvod patet tum an ita sit: Non occides, id est, ne sis inimicus proximo tuo. 2. Cur ita sit. 1. Qvia inimicitia, ut opus carnis damnatur. Gal. 5. 19. 20. 2. Qvia graviter a Deo punitur Ezech. 35. 5. Gal. 5. 21. 3. Qvia Christus inimicitias, qvæ erat propter diversitatem religionis, politiæ, morum, inter Iudæos & Gentes abolevit, cum morte sua hos duos populos in unum copulavit. Eph. 2. 15. 16. 4. Qvia ne inordinate se gerentem debemus inimicum ducere. 5. Qvia nec inimicis debemus esse inimici: qvia eos di-

703147

eos diligere debemus Matth. 5. 44. ut Christus. Rom. 5. 8. non enim odio habendus est inimicus. Matt. 5. 43. inimicis benefaciendum Luc. 5. 27. ii sunt cibandi & potandi. Rom. 12. 20. ut Elizæ 9. 2. Reg. 6. 22. 25. pro iis orandum. Matt. 5. 44. ut Christus. Luc. 23. 34. & Stephanus, Act. 7. 60. Non debemus eos execrari. Num. 22. 6. 11. de eorum afflictione lætari. Prov. 24. 17. 18. mortē eorum petere, ut Iob. 31. 30. impiorū enim est petere mortem inimicorum. Psal. 41. 6. pii enim deflere solent potius mortem inimicorum suorum, ut David. 2. Sam. 18. 33. Correptio. Peccant ergò, qvi inimicitiam & malevolentiam fovent.

XXIX. Qvi porrò sunt gradus, seu species officii corporalis, qvo vita corporalis, proximi tuta & tranqvilla conservatur?

Sunt omnes illi conatus nostri, qvibus vitam corporalem proximi defendimus, promovemus, refocillamus.

XXX. Qvæ officia continet in se noster conatus defendendi, promovendi, refocillandi vitam corporalem proximi nostri?

Omnia illa officia, qvibus causæ conservantes possumus esse humanæ vitæ corporalis, qvæ in genere possunt vocari officiositas, qvæ est honesta nostra officia aliis offerre, & præstare: adeoqve 1. Morbidos sanare. Marc. 7. 32. Matt.

32. Matt. 9. 2. 2. Damna rei familiaris aliorū avertere. Exod. 23. 4. 5. Deut. 22. 1.—4. 3. Famelicos cibare, nudos vestire &c. 4. Bestiis parvere, ut pluribus hominibus serviant. Deut. 22. 6. 7. Prov. 12. 9. 5. Prævenire pericula, in qvæ incidere alii possent, Deut. 22. 8. 6. Pauperi & extraneo spicilegium in messe & racemationem in vindemia relinqvere Levit. 19. 9. 10. 7. Pro aliis curam gerere, pro illis apud alios deprecari. 2. Cor. 8. 4. 8. Commendare pios & bonos aliis, Rom. 16. 1. 9. In servitutem iniqvi redactos libertate donare, onera relaxare. Ies. 58. 6. 10. Mutuum dare pauperi, Matt. 5. 42. idqve sine usura. Exod. 22. 25, imò & sine pignore, Exod. 22. 26. 27. Observa ergò. Officiositas hæc præstanda, seu hæc officia diligentèr exercenda sunt: qvod patet tum an ita sit ex exemplo Christi, & aliorum sanctorum: tum cur ita sit. 1. Qvia per hæc officia conservamus vitam proximi corporalem. 2. Qvia Deus præcipit. Rom. 16. 1. Gal. 5. 13. Fugiamus ergò. 1. Intempestivam seu imprudentem officiositatem, qvæ est cum qvis officia præstat ei cui non debebat, aut qvalia non debebat, aut non in loco, aut tempore: veluti si qvis spondeat pro qvovis temere, Sponsiones seu fide jussiones pro aliis non temere & imprudenter faciendæ. 1. Qvia disvadetur à Spiritu Dei Prov. 6. 1. & seqq. 2. Qvia noxiæ sunt spondentibus, illi enim confringuntur Prov. 11. 15. id est, gravissimam faciunt jacturam, & maximum rei suæ familiaris ac facultatum detrimentum patiuntur, illo-

703147

rum bona pignoris loco à creditoribus capiuntur. Prov. 20. 16. 3. Qvia indicium sunt hominis stulti & improvidi. Prov. 17. ℣. 18. Intempestive officiosus fuit senex ille Propheta, Bethelemis erga virum Dei è Iuda missum ad reprehendendũ Ierobeamũ sacrificantem Bethele, dum eum reduxit ex itinere Bethelem, 1. Reg. 13 15. & seqq. 2. Inhonestam officiositatẽ, qvæ est eam qvis ad officia inhonesta & illicita est promptus; qvalis erat officiositas Ionadabi erga Ammonem filium Davidis, 2. Sam. 13. 3. 4. 5. 3. In officiositatem, qvæ est vitium, cum qvis debita necessaria atqve honesta officia aliis recusat.

XXXI. *Qvæ opponuntur officiis, qvibus vita corporalis proximi conservatur?*

Illa peccata qvæ vitam corporalem proximi lædunt: qvalia sunt sævitia, crudelitas & similia, qvæ in genere possunt vocari inofficiositas, qvæ est cum qvis officia sua necessaria aliis nec offert, nec præstat: adeoqve proximos morbidos efficere, damnificare &c. Observa ergò sævitia seu crudelitas erga proximi vitam corporalem est fugienda, Patet 1. an ita sit. Non occides, id est, ne sævias in proximum tuum. Sic Deut. 25. 2. 3. Ne pergat numerosiore plaga his cædere eum, id est, ne sæviat, Esa. 47. 6. Supra senem aggravasti jugum tuum valde, id est, crudelis fuisti adversus senem, qvod non probo. 2. Cur ita sit. 1. Qvia crudelitas erga proximos nostros damnatur à Deo Prov. 12 9. Esa. 2. 4. 2. Tim. 3. 3. Iac. 2. 6. & 5. 4. 5. 2. Qvia crudelis alios malis afficiendo, seipsum damno afficit, Prov. 11. 17. & crudeles crudeliter tractantur. Exempla. Adonibesec, Iud. 1. 7. Athalia, 2. Chron. 23 15. atqve adeo gravissime puniuntur, qvi crudelissime sæviunt in afflictos, Matt. 25. 41. 42. 2 Thess. 1. 6. Iac. 2. 13. & 5. 4. 5. 6. Exempla. Abimelec & Sichemitæ. Iud. 9. 56. 57. Izraelitæ, 2. Chron 28. 9. 11. Idumæi Ezech. 25. 2. 15. Philistæi Ezech. 25. 11.—17. Sidonii. Ezech. 28. 23 24. Damasceni, Amos. 1. 3. Gazæi, ℣. 6. Tyrii, ℣ 9. Ammonitæ. ℣ 13. Moabitæ c. 2. 1. Zachar. 1. 15. 6. 9. 20. 21. 3. Qvia crudelitas proprie est, 1. Idololatrarum, qvi crudeles solent esse in veros Dei cultores & ministros, qvi amant sanguinem effundere eorum. Exempla. Manasses. 2. Reg. 21. 16. Ioram. 2. Chron. 21. 13 Nabucadnezar, Dan. 3. 19. Bestia seu Antichristus, Apoc. 13. 15. Iezabel, 1. Reg. 19. 2. 3. 2. Hostium seu inimicorum: q. crudelis sumitur pro hoste sævissimo, Iob. 30 21. 3. Iratorum: q. crudelitas vocatur excandescentia, Prov. 27. 4. At nos non debemus esse Idololatræ, hostes, irati, Ergò 4. Qvia in bestias non est sæviendum: Ergò multo minus in homines. Dehortatio. Ergò ne simus crudeles.

XXXII. *Humanitatis officiorum contraria n, imprecatio, consensus cum*

703147

aliis in peccato, malum exemplū lentitudo, iracundia &c. quî vocatur in sexto præcepto?

Homicidium. Non occides, id est, ne impreceris, ne consentias cum aliis in peccato, ne des aliis scandalum, ne sis lentus, iracundus, illonganimis, implacabilis, discors, malevolus, alios fame, siti, frigore, percussione premens, & injustè occidens. Ut vita hominis est Spiritualis & corporalis; sic homicidium etiam est Spirituale, qvo qvis proximum sunum á Deo, per consensū cum aliis in peccato, & scandalum datum separat; vel corporale, qvo qvis per lentitudinem, iracundiam &c. proximi unionem animæ cum corpore laxat, vel interdum ejus animam à corpore separat. Et sextum præceptum hanc animæ separationem à corpore vetat præcipue.

XXXIII. Qvid est homicidium?

Est injusta hominis occisio, id est, cum qvis proximi animam á corpore suo illegitimè separat.

XXXIV. Qvæ occisio hominis est injusta, seu illegitima, qvæ verò justa, seu legitima?

Illa hominis occisio est injusta, 1. qvæ fit sine justa causa, id est, à Deo non probata in lege; ut cum qvis occiditur propter factum simplex, vel sine ulla causa, ut occisus est Naboth us ab Achabo, Uriæ à Davide, Abner & Amasa à Ioabo. 2. qvæ non à publica per-

sona, seu Magistratu; sed á privata aliqva persona fit, ut facta est occisio Abelis à Caino. 3. Qvæ fit sine ordine justo, id est, processus juris neglecto, ut occisio Sacerdotum à Saule facta. 4. Qvæ fit sine intentione recta, nempe ex ira, odio, vindictæ privatæ cupiditate, aut alio aliqvo inordinato effectu, ut facta est occisio Abneris, Amasæ à Ioabo, Hæc hominis injusta occisio, vocatur homicidium, qvod sextum præceptum prohibet, qvod nulli patrare licet. Contra illa hominis occisio est justa, qvæ sit: 1. à Magistratu, 2. ex justa causa, 3. ordine justo, id est legitimo juris processu observato, 4. ex recta intentione, nempe ex justitiæ zelo. Talis fuit occisio Adoniæ, Ioabi, Semei, qvia facta est; 1. à Salomone, 2. propter justam causam, nempe rebellionem 3. juxta juris processum, 4. ex justitiæ Zelo, seu intenso amore. Hæc hominis justa occisio non vocatur homicidium, nec sextum præceptum eam prohibet, & est licita. Observa ergò. Homicidium neqvaqvam perpetrandum est. Patet 1. an ita sit ex 6. mandato, Non occides, 2. Cur ita sit. 1. Qvia justa Dei capitis supplicio á Magistratu vindicandum. Gen. 9. 6. Exod 21. 12. 14. 2. Qvia violat; imò abrumpit illud arctum fraternitatis vinculum, qvo Deus homines vult esse inter se conjunctos. Gen. 9. 5. 3. Qvia destruit eum, qvem Deus ad imaginem suam creavit, Gen. 9. 6. 4. Qvia vindicatur à Deo etiam in Regibus, ut in Achabo, 1. Reg. 21. 19. & Cap. 22. 38. 5. Qvia est ingens scelus. Series loc. com. K. ex Decalogo Brandmylleri.

XXXV.

703147

XXXV. *Ira temeraria continetur ne etiam homicidii nomine?*

Sic qvatenus tendit ad læsionem vitæ proximi. Patet iram temerariam esse homicidium ex Matt. 5. 22. cum 21. ubi eadem dicitur esse pœna homicidii & iræ temerariæ nr. judicium. Additur. 1. qvatenus tendit ad læsionem proximi, nam ira temeraria, qvatenus non tendit ad læsionem proximi non est homicidium, ut ira temeraria Parentum non est homicidium. 2. temeraria.

XXXVI. Qvia duplex est ira vel temeraria, seu injusta, cum qvis vel sine justa causa, nr. sine gravi injuria, & obdurationе in peccatis irascitur proximo, ut irascebatur Cain Abeli, Saul Davidi, vel cum qvis irascitur proximo ob justam causam qvidem, sed magis qvam deberet, ut irascebatur Simeon & Levi Sichemitis: vel prudens & justa, cum qvis irascitur proximo ob justam causam, nr. atrocē, injuriam, qvæ vel Deus, vel proximus afficitur; vel ob durationem hominum in peccatis: Et eo modo, qvo debet, ut irascuntur superiores potestate, nr. Parentes &c. suis inferioribus, nr. liberis &c. Iam Christus, Matt. 5. 22. damnat iram temerariam, & eam refert ad homicidium, non iram justam, qvæ in scripturis laudatur ut mox dicemus. Observa ergò. 1. Ira justa exerceri debet. Patet 1. an ita sit ex exemplo Iacobi, Gen. 30. 2. Mosis. Exod. 11. 8. & 16. 21. Elisæi, 2. Reg. 13. 19. Ionathanis, 1. Sam. 20. 33. 34. Davidis, Psal. 119. ℣. 136. ℣. 139. & ℣. 158. Pauli, Gal. 1. 9. & ca. 5. 12. 2. Cor. 13. 10. 2. Cur ita sit. 1. Qvia fuit in Christo, Marc. 3. 4. 1. Ioh. 2. 4. cum 2. Sam. 16. 10. Matth. 8. 29. Luc. 8. 28. 2. Qvia acceptæ est Deo, & laudatur à Spiritu Sancto, in Sanctis hominibus, ut in Phinee Sacerdote. 3. Qvia calcar est virtutis. 4. Qvia est Zelus Dei. Zelus domus tuæ exedit me. Fugiamus ergò. 1. Stupiditatem in tolerandis sortumeliis & injuriis, qvibus Deus aut proximus afficitur. 2. Asperitatem nimiam & turbulentam oppositā justæ iræ qvæ est qvum indignatio qvæ alioqvin justa futura erat, modum transit asperius tractando alios, qvam par est. Illa est vitanda qvia publicum etiam statum perturbare potest: ut factum est, cum Iudæi nimis aspere responderunt Israelitis ægre ferentibus Davidem à solis Iudæis reductum ad regnum. 2. Sam. 19. & 20. 1. Simulatam iram justam, qvæ est vitium cum qvis præ se fert indignationem & tristitiam propter contumeliam & atrocem injuriam in Deum vel proximum, sed depellere eam nec audet, an ne vult quidem. 2. Ita injusta vitari debet, qvod patet tam an ita sit ex 1. Ioh. 3. 15. Qvisqvis odit, id est, qvisqvis sine justa causa irascitur fratri suo homicida est, & ex damnato exemplo Caini, Gen. 4. 5. cum 1. Ioh. 3. 12. Esavi. Gen. 27. 44. Simeonis & Levi 49. 6. 7. Eliabi, 1. Sam. 17. 28. Saulis, 18. 8. Hamani Esth. 3. 5. Nebucadnezaris, Dan. 2. 12. Fratris prodigi, Luc. 15. 28. tum cur ita sit. 1. Qvia damnatur & tum prohibetur Ioh. 5. 2. Prov. 12. 16. Matth. 5. 22. Gal. 5. 20. tum

Psal.

703147

Psal. 4. 5. Et Eph. 4. 26. Agitur hisin locis non de ira justa, ut qvidam volunt, sed injusta, qvia ira justa non est deponenda ante solis occasum, sed perpetuo vigere debet in nobis, tum Iac. 1. 20. 2. qvia ira injusta pœnam meretur. Matt. 5. 25. 3. Qvia non decet tenatos Spiritu Christi. Luc. 9. 55. 4. Qvia plus nocet, qvam injuria. 5. Qvia vitanda est sanitatis causa. Peccant ergó iram injustam & odium injustum foventes & exercentes.

XXXVII. Patet posse fieri iram aliam esse temerariã, seu illicitã, & à Christo citatoloco damnatam; aliam verò justam, seu licitã & à Christo probatã; qvia ira prohibetur sexto, præcepto, peculiare autẽ seu propriũ hoc fere est in sexto præcepto, ut illa qvæ prohibentur alia ratione, seu diverso respectu possint fieri aliqvando non male, aliqvando etiam rectè, & bene ex obedientia erga Deum. Sic occisio hominis sexto præcepto prohibetur, qvæ qvatenus sit contra requisita justæ occisionis these 34. enumerata, non potest fieri; sed qvatenus non sit contra illa requisita potest fieri: 1. aliqvando non male, ut cum sit ex casu mero, & necessariæ defensionis causã, ut dicetur thesibus 38, 39. 2. aliqvando verò etiam recte & bene ex observantia erga Deum, ut cum sit ex jussu Dei, ut dicetur thesi 40. Additur 1. fere, qvia hoc aliis etiam præceptis contingit, ut octavo ubi uno respectu licet, alio vero non licet auferre bona aliorum, ut vides Exod. 12. 35. & lib. 5. cas. c. 1. q. 1. 2. 2. alia ratione: nam illa qvæ sexto præcepto prohibentur, sub uno

sub uno respectu non possunt fieri, & non fieri, ut occisio hominis qvatenus est injusta nunqvam potest fieri & non fieri. 3. Non male, & recte, dicuntur enim non male & recte: nam qvi mero casu & necessariæ defensionis causa occidit hominem, non male facit qvidem; sed tamen recte non facit, qvia non opus præceptum fecit. Rav. de Homicid. num. 2.

XXXVIII. *Peccatne, qvi casu mero alium occidit, seu casu mero occidens hominem committitne homicidium, seu estne homicida?*

Occidens hominem casu mero, id est, rei licitæ dans operam, ubi & qvando licita est, ut ligna cædens domi vel in sylva, & diligenter curans, utrum aliqvis sit obvius, nec ne, non peccat, seu non est homicida, & non cõmittit homicidiũ, adeoqve non luit homicidii pœnam; qvod patet tum an ita sit Deut. 19. 5. tum cur ita sit: Qvia illa qvæ sexto præcepto prohibentur cum casu mero fiant, possunt non male fieri, ut dictum ad th. præcedentem. Vel casu mero occidit hominem, qvi præter suam intentionem eum occidit. Occidit autem qvis alium præter suam intentionem & in se, & in sua causa. Occidere hominem & in se & in sua causa præter intentionem, est & velle alium occidere, & non agere tale qvid, ex qvo immediate mors alterius sequatur, ut ligna cædere extra frequentiam

703147

hominum; Occidere verò hominem præter intentionem in se, sed ex intentione in causa, est nolle aliqvem occidere; sed interim tale qvid agere, ex qvo immediate mors alterius sequitur, ut graviter aliqvem perentere: ficarium fovere in domo: sclopetum explodere in confluxu hominum: homicidas tolerare: ex gravi periculo aliqvem qvando fieri potest non eripere. Observa ergò. 1. Qvi occidit hominem præter intentionem tam in se, qvam in sua causa non peccat, seu non est homicida. Patet 1. an ita sit. Exod. 21. 13. Sic Num. 35. 22. 23. Deut. 19. 5. 2. Curita sit. 1. Qvia peccatum debet esse voluntarium. At talis occisio hominis nullo modo est voluntaria, ut patet ex citatis locis. 2. Qvia talis occisio hominis non est homicidium, qvia non fit juxta conditiones homicidii, enumeratas th. 34. Ergò non est etiam peccatum. 3. Qvia talis occisio non prohibetur à Deo præcepto de non occidendo. Institu: Ergò occidens hominem casu, id est, sine intentione & in se & in sua causa, non est occidendus juxta legē. Exod. 21. th. 14. Ravan. de homicid. n. 2. 2. Qvi occidit hominem præter intentionem in se, sed ex intentione in sua causa peccat, seu homicida est. Patet 1. an ita sit. 1. Exod. 21. 23. ubi ille qvi inter certandum prægnantē mulierem, ita læsit, ut fœtus mors secuta sit, homicida dicitur, licet non intenderit fœtus occisionem in se. Sic Prov. 24. 11. ubi peccant illi, qvi eos, qvi injustè occiduntur, cum possunt non liberant, licet non intenderint talium mortem. 2. Cur ita sit. 1. Qvia talis homi-

minis occisio in sua causa est voluntaria: Ergò est peccatum; qvia omne peccatum aliqvomodo est voluntarium. 2. Qvia talis hominis occisio est homicidium: qvia sit juxta ultimam conditionem homicidii th. 34. Ergò est peccatum. 3. Qvia hominis occisio prohibetur sexto præcepto & in se, & in sua causa: Ergò est peccatum, qvia peccatum est transgressio legis. 1. Ioha. 3. 4. Informatio. Ergò homicidii peccatum committunt. 1. qvi alium ita percutiunt, ut mors ejus ex illa percussione sequatur. 2. Qvi se ebrietate, otio, & luxu confeiunt. 3. Qvi homicidam notam fovent. 4. Qvi explodunt bombardam, projiciunt jaculum, nihil curantes utrum obvius sit aliqvis, nec ne. 5. magistratus, qvi non faciunt officium in homicidis, & corū causis, vel occasionibus è medio tollendis. 6. Qvi non succurrunt alteri qvando possunt, in gravi periculo. Mare. 3, 4. Ratio. q. etsi hi nolint occisionem aliorum in se se, tamen intendunt eorum occisionem in sua causa, qvatenus volentes talia agunt, ex qvibus immediate sequitur mors eorum. l. 5. cas. c. 31. q. 7.

XXXIX. *Peccatne seu committitne homicidium, seu est ne homicida qvi suum invasorem, seu se occidere volentem occidit?*

Qvalis etiam est ratio necessariæ defensionis, id est, sicut ille non est homicida, qui meo casu hominem occidit: sic nec ille est homicida, qvi suum invasorem, seu se occidere

703147

volentem occidit, si silicet 1. absit vindictæ cupiditas, id est, non cupiat invasorem occidere. 2. Si invasio seu aggressio sit propriè dicta & violenta. 3. Si mortis subeundæ periculum, ex probabili conjectura, sit præsens. 4. Si defensio propria & vera sit in ipso aggressionis actu, sine præventione, aut subsequente vindicatione. 5. Si sit plane necessaria & invasio declinari non possit. 6. Si sub specie defensionis nihil fiat, qvod ad finem illum non sit necessarium. Vend. p. 861, ex Amesio Libr. 5. cas. c. 31 q. 4. Patet hoc: qvia illa qvæ sexto præcepto prohibentur necessariæ defensionis causa possunt fieri non male, ut dictum ad th: præcedentem. Deinde, qvia hæc est inculpata tutela cuiqve concessa. Inculpata seu inculpabilis tutela seu defensio nostri est, cum invasorem nostrum, seu occidere volentem, observatis conditionibus dictis occidimus: Culpata verò seu culpabilis tutela, seu defensio nostri est, cum invasorem nostrū, id est, nos occidere volentē neglectis dictis conditionibus occidimus. Qværes, 1. An tantum invasor vitæ occidendus? Occidendus etiam invasor castitatis, qvia castitatis illata injuria æqvivalet morti. Ergò invasor honoris est ne oppugnandus, vel verbis contumeliosis, vel factis, ut alapa, vel criminationibus gravibus, vel provocatione ad pugnandum, vel morte. Non 1. qvia honor iste, de qvo agitur magna ex parte est res vana, ex vanorum hominum opinione pendens, nullomodo cum vita hominis comparanda. 2. Honor verus augetur potius qvam minuitur istiusmodi

injuriarum contemptu. 3. Aliis mediis potest qvilibet honorem suum tueri. 4. Fama sublata non potest recuperari per mortem detractoris. 5. Hâc ratione cædibus vulgaribus aperitur via. 2. An omnem invasorem vitæ occidere deceat ad nos defendendum observatis conditionibus? Non ut Parentes, Magistratum, Pastorem &c. l. 5. cas. c. 31. q. 4. r. 7. Observa erg. Licet aliqvando privatis suum invasorem, seu se occidere volentem occidere. Patet 1. an ita sit. Exod. 20. Non occides, id est, conserves vitam tuam, qvod interdum fieri debet per occisionem hostiliter te invadentis. Sic Est. 8. 11. & 9. 16. 2. Cur ita sit. 1. Qvia in hoc casu privatus qvilibet justitiæ publicæ minister constituitur. 2. Qvia necessaria defensio est inculpata tutela cuiqve concessa. Etenim vim vi repellere permittit lex & naturæ, Esth. 8. 11. & Scripturæ. 3. Qvia qvi sic occidit hominem, nolens eum occidit, coacte enim hoc facit, si enim aliter posset vitam suam defendere, hoc non faceret. Informatio. Ergò 1. Violatis conditionibus inculpatæ tutelæ non licet invasorem occidere. 2. Etsi liceat invasorem castitatis occidere, non licet tamen invasorem honoris. 3. Non omnem invasorem vitæ licet occidere, ut dictum.

XL. *Peccatne, seu estne homicida, qvi jussu & impulsu Dei alium occidit?*

Nullus jussu Dei & impulsu hominem occi-

703147

cidens est homicida. Patet 1. an ita sit ex exemplo Mosis, Exod. 2. 12. cum Act. 7. 24. 28. Phinex. Num. 25. 7. 8. Ahod. Iud. 3. 21. Iahel. 4. 21. 2. Cur ita sit. 1. Quia illa qvæ in sexto præcepto prohibentur, recte & bene exobedientia erga Deum possunt fieri, si scil. fiant ex jussu & impulsu Dei. 2. Qvia ille est homicida, qvi hominem contra Dei jussum occidit. Ergò ille non est homicida, qvi juxta jussum Dei hominem occidit. Deum autem aliqvando jubere non tantum Magistratibus; sed etiam privatis hominum nocentium occisionem patet. Deut. 13. 9. 1. Sam. 15. 18. 19.

XLI. *Cujusmodi hominem jubet Deus occidere?*

Nocentem: nam illius hominis ex destinato consilio occidendi, cujus innocentiam habet notam, nemo potestatem habet à Deo ex lege communi. Additur 1. ex destinato consilio: qvia 1. licet aliqvando tradere innocenté aliis á qvibus occidatur: ut si tyrannus devastaturus esset urbem, nisi illi tradatur innocens aliqvis: ille innocens tenetur jure naturali, pro totius Reipub. salute, se morti offerre: & Respub: potest eum neqve retinere, neqve defendere, sed urgere eum, ut hac in parte officium suum præstet. 2. Qvia per accidens aliqvando occidi potest innocens absqve peccato. 3. Qvia si nempe necessarium officium reqvirat, ut nocens unus aut plures occidantur, & illi se defendant per innocentis alicujus interpositionem. Aut si qvis fuga necessaria, per iter angustum, consulēs vitæ suæ, non possit vitare.

sit vitare, qvin alterum proterere in via. 2. Ex lege communi, qvia ex lege speciali Abrahamus accepit à Deo potestatem innocentem filium occidendi. Sic etiam Israelitæ innocentes liberos Chananæorum occidendi potestatem acceperunt.

XLII. *Ergò Magistratus summus non potestne potestatē sufficientem dare alicui subditorum illum occidendi, qvem innocuum, seu mortis immerentem esse novit?*

Non: 1. qvem Deus non jubet occidere, nec summus Magistratus jubere debet. At Deus non jubet innocentem occidere: Ergò nec summus Magistratus potest hoc jubere, nisi se subjectum Deo esse non intelligat, ut Pharaho: Peccant ergò Principes 1. qvi ob injuriam nullam, vel levem, eamqve præsumptam, subditorum aliqvem occidi curant. 2. Qvi opera rusticorum ad aliqvid utentes, eos lethaliter percuti curant, si ad palatum servire ignorent. 3. Qvi in bello innocentes, ut mulieres, infantes, rusticos, pacificos, plecti curant. Ut supra dixi, Principes possunt aliqvando parcere vitæ mortem merentis, sed non possunt mortem non merentem occidere, nisi se homicidas exhibere velint, ut David aliqvando. Homicidia non minus condemnant Principes, qvam subditum aliqvem vilem, nisi amarulentissime illa defleant, ut aliqvando David.

703147

XLIII. Potestne bellum ex utraqve parte esse justum, v. g. bellum hodiernum potestne esse justum tum ex parte Ungarorum, tum ex parte Germanorum?

Bellum igitur &c. hoc est; si (ut dictum thesibus præcedentibus) innocentem nec Deus occidere jubet; nec summus Magistratus eum occidere jubere potest, tum bellum ex utraqve parte justum esse nunqvam potest (v. g. si hodiernum bellum ex parte Ungarorum justum est, ex parte Germanorum justum non est) & contra: Ratio conseq. qvia si una pars belli nocentes occidit, altera ejus pars innocentes occidit (v. g. Si in hodierno bello Ungari nocentes Germanos occidunt, Germani innocentes Ungaros occidunt) Ratio rationis 1. qvia causa mortis non potest esse utrinqve, id est, si una pars belli meretur mortem, altera non item (v. g. si Germani merentur mortem, Ungari non item) Qvia si una pars belli justam causam habeat bellum gerendi altera non habet. v. c. Si Ungari habeāt justam causam belli gerendi contra Germanos, tum Germani justam causam contra Ungaros belli gerendi habere non possunt. l. 5. cas. c. 33. q. 1.

XLIV. 2. Qvia etiam justa pars belli injusta erit, si in belli injusta parte intendat occidere innocentes, id est, illos qvi non sunt authores culpæ, propterqvam bellum geritur, qvales sunt infantes, fœminæ, pacifici homines, agricolæ, v. g. hodiernum bellum ex parte Ungarorum justum, injustum erit si Ungari ex parte Germanorum innocentes occidere intendant.

XLV. Bellum licitum estne Christianis?

Bellum est qvando per vim certatur. Geriturqve vel inter duos, & vocatur duellum; vel inter plures & vocatur proprie bellum. Bellum est justum vel injustum. Iam 1. bellum justum est licitum Christianis. Patet 1. an ita sit ex exemplo Izraelitarum, qvibus bellum justum gerere adversus hostes suos licitum fuit. Sed qværes: qvæ efficiunt bellum justum? 1. Legitima causa, v. g. gravis & atrox aliqva injuria, qvalis est hodierna persequtio, secus illud audiemus ab hostibus; sine causa perseqvntur me. Neqve gravis injuria erit justa causa belli; nisi post alia omnia media pacis tentata. Deut. 20. Iud. 20. 2. Legitima authoritas. Is cui licet bellum gerere est summus Magistratus, qvalis est Imperator, Rex, Princeps, qvi à superiore non pendet, Subditis enim & privatis, qvi tantū sunt privati, nullo modo licet bella gerere, nisi belli nomine intelligatur justa defensio adversus vim iniqvam, ab eo potissimum illatam, cui fidelitatis juramento non es obligatus. 3. Iusta intentio seu finis. Non enim licet bellum gerere, nisi vel 1. Ad purum Dei cultum adversus temerarios, corruptores & violentos oppressores defendendum. 2. Ad compescendos & puniendos eos, qvi publicæ justitiæ contumaciter resistunt, 3. Ad libertatem & salu-

703147

& salutem publicam adversus hostes ejus defendendam aut recuperandam. 4. Ad vicinos aut veræ religioni addictos, si ob religionem tyrannice opprimantur, liberandos & defendendos. 5. Ad vicinos & præcipue cognatos ex hostium manibus eripiendos. Ad bellum qvi convolant tantum spe prædæ, nulla habita ratione juris & justitiæ causæ, pro armatis in Rempub: latronibus habeti solent. 4. Modus justus. Ex modo bellum justum est. 1. Si infideles in auxilii non facile vocentur. 2. Si mendacia, perjuria pro stratagematis licitis non usurpentur, ut hodie. 3. Si soli nocentes, seu authores causæ belli lædantur & coerceantur. 4. Si nocentes inpudititia non lædantur, ut hodie fit. l. 5. cas, c. 33. q. 4. 6. 7. 8. 5. Si non suscipiatur temere, sed inevitabili urgente necessitate, præeunte exquisita deliberatione. 6. Si militis insolentia & crudelitas severa disciplina coerceatur. 7. Si miles non ex rapto, vel sudore & sangvine innocentium per vim expresso vivat & sustentetur, sed ex stipendio, qvod de suo persolvat, qvi bellum gerit. Civitatem integram in prædam dare militibus, iniquum & crudele est: qvia plurima inde horrenda consequuntur, nullumqve inter nocentes & innocentes discrimen statuitur. 2. Cur ita sit. 1. Qvia Deus olim populum suum Judaicum non jussit tantum bella gerere; sed & modum gerendi præscripsit, Num. 31. 5. 1. Sam. 18 16. & 25. 28. 2. Qvia Magistratus est Dei minister & ultor ad iram ei, qvi malum fecit. Rom. 13. 14. 3. Qvia nec Christus

Christus, nec Apostoli viris militaribus ad Christi Ecclesiam conversis militia interdixerunt. Unde Johannes cum milites confitentes baptizaret, non jussit eos à militia abstinere; sed tantum stipendio suo acqviescere. Luc. 3. 14. Refutatio. Ergò errant Anabaptistæ & Sociniani, qvi jus gladii exercendi, & belli gerendi adimunt Christiano Magistratui. Obj. Christiani debent potius injurias pati, qvam judicio contendere, & vindictam petere. 1. Cor. 6. 6. Ergò judicia inter Christianos exerceri non debent, nec injuriæ vindicari per gladium vel bellum. R. Antecedens simpliciter verum non est, nec probatur ex allegato Apostoli loco. Non enim simpliciter negat Apostolus judicio contendendum esse; sed non vult Christianos temerè & levibus de causis decurrere ad Magistratus Ethnicos, eorumqve vindictam adversus fratres implorare. Non autem teneri Christianos qvasvis devorare injurias; sed Magistratus auxilium iisdem implorare permissum esse, vel ipsius Pauli constat exemplo, qvi ad Cæsarem appellavit. Act. 25. 10. 21. Vend. l. 1. c. 29. th. 11. Expli. 5. 2. Duellum, qvod sponte per conventionem suscipitur, est illicitum: qvod patet tum an ita sit ex illo. Non occides, privatim scil. ut fit in duello, tum cur ita sit. 1. Qvia duelli leges (sicut etiam potandi leges) non sunt à Deo scriptæ, sed à Diabolo traditæ in perniciem generis humani. 2. Qvia in duello qvisqve Judex est in propria sua causa, idqve ita, furore & vindictæ appetitu turbatus & semet una cum adver-

703147

adversario eidem periculo subjicit, in causa levi, & gravi. Correctio. Damnandi sunt ergò. 1. Magistratus, hoc malum ferentes, 2. Duellantes. Obj. 1, David cum Goliatho duellum habuit: Ergò hodie etiam licet, R. Conseq. negatur: qvia duellum illud extra ordinarium fuit. 2. Duellum est medium defendendi honoris: Ergò licitum est, R. Defensio honoris non excusat duellum, qvia conjuncta est cum ignominia Dei: & honor mundanus vanus anteponitur honori Dei, pro qvo solo ad mortem usqve legitime dimicandum est. Honor legitime defendi potest, sine bestiali duello. l. 5. cas. c. 32.

XLVI. *Licetne promiscue cuilibet in bellum ire, & suam operam belli ducibus offerre?*

Iisdem etiam conditionibus &c. hoc est, ad bellum justum gerendum, licet iis, qvi armis uti norunt ire, & operam suam legitimis ducibus offerre, & addicere. Ergò 1. In bellum justum euntes, debent scire armis uti, 1. Chron. 5. 18. Psal. 144. 1. 2. Scientibus armis uti licet ire in legitimum bellum, Luc. 3. 14. 1. Cor. 9. 7. Ergò peccant. 1. Qvi imperiti armorum exercendorum convolant ad bellum, ut artifices, agricolæ, Subulci, bubulci. &c. Tales non prosunt in bello, sed plurimum obsunt. 2. Qvi convolant ad bellum injustum, qvale est illud, qvod 1. justam causam non habet. 2. A summo Magistratu non indicitur. 3. ob malos fines suscipitur. 4. Malis modis geritur. 3. Qvi armis uti scientes operam suam offerunt, & addicunt illegitimis ducibus: qvales sunt injusti, vel injusto bello præfecti: deberent enim milites primum examinare bellum, & deinde militare, & qvidem pie, sub piis ducibus, nisi qvotidie confundi velint, & æternum perire. Obj. Non datur bellum sanctum, id est, non dantur sancti duces & milites, juxta illud: Nulla fides, pietas &c. R. Dari deberet: Sanctum fuit bellum Israelitarum: sanctus Dux belli fuit Iosua, David: Sancti fuerunt eorum milites. Ioh: Baptista etiam sanctos vult esse milites, cum dicit Luc. 3. 14. Qvoties bellum Israelitarum pollutum fuit, toties malum exitum habuit, ut etiam nostrum hodie: qvoties vero à peccatis purgatum fuit, toties victoriam insignem de suis hostibus reportavit.

XLVII. *Interfectio suiipsius estne licita, seu licetne alicui semetipsum occidere?*

Non licet ex intentione directa. Patet. 1, an ita sit ex illo: Non occides, (scil. nec teipsum, nec alium. 2. Cur ita sit. 1. Qvia est á Deo prohibita lege Decalogi: Non occides: qvæ propterea simpliciter absqve additione promulgata est, ut intelligeretur vetitum esse occidere imò & lædere tam seipsũ, qvã aliũ hominem. Augustinus. Lib. primo de Civita: Dei Cap. 20. Chrysostomus in Cap. primum Epist: Pauli ad Galatas. 2. Qvia judicio Spiritus Sancti improbatur in Saule Rege Israelitarum, 1. Sam. 31. in Achitophele. 2. Sam.

703147

17. 23. in Iuda Ischariote. Act. 1. 18. 3. Qvia pœnam etiam civilem meretur legibus humanis. Nam corpus ejus qvi se ipse occidit sepultura indignum judicatur, & carnificis potestati permittitur: bonaqve ejus hæredibus non cedunt. 4. Qvia odium suiipsius non est licitum, cum sit contra naturam, sicut Paulus ait, Eph. 5. 29. At suiipsius occisio profiscitur ex odio suiipsius. Resutatio. Ergò errant, qui licitam esse docent suiipsius interfectionem. Obj. 1. Saul seipsum occidit. 1. Sam. 31. 4. Et Ionas, qvi jussit se abjici in mare. Ion. 1. Ergò, ℣. Negatur conseq. Qvia Saul graviter peccavit seipsum occidens, Ionas fuit Propheta & vidit voluntatem Dei, & ejus instinctu jussit se in mare projici. Deinde volvit Deus in eo exstare typum Christi, ut qvemadmodum Ionas ultro se in mortem obtulit, ut cæteri qvi in navi erant servarentur, & deinde per tres dies noctesqve in ventre piscis fuit: ita Christus ultro se offerre nobis in mortem debuit, ut nos a morte servaremur, & tres dies noctesqve in corde terræ fuit. Obj. 2. Simson necem sibi necessivit ipse, Iud. 16. 28. 29. Ergò licitum est alicui seipsum occidere. ℣. Negatur conseq. Qvia Simsonem impulsum fvisse Spiritu Dei certum est: nam Deus illi restituit vires, qvas antea abstulerat. Deinde Simson moriens invocavit Dominum. Et Epistola ad Hæbræos testimonium illi fert fidei & pietatis, eumqve in albo Sanctorum numerat. Tū Simson fuit typus Christi, ultro se se offerens in mortem ut de hostibus Dei vindictam caperet,

ret, ac proinde per fidem morte sua hostes populi Dei morti tradidit, tanquam typus Christi devicturi morte sua hostes populi Dei. Simsonis factum vere heroicum fuit & opus vindictæ divinæ in hostes Dei. Obj. 3. Ioh. 12. 25. Qvi odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodiet eam: Ergò licet seipsum occidere, ℣. Christi sententia prorsus alio pertinet, nimirum ne qvicqvam, ac ne qvidem hanc vitam ipsam honori Dei præferamus, non ut nos occidamus. Obj. 4. 1. Cor. 13. 3. Si tradam corpus meum ut combuatur, charitatem autem non habeam, hoc nihil mihi prodest: Ergò licet seipsum tradere igni ut combutatur, modo fiat in charitate. ℣. Verba Pauli sic intelligenda sunt: si aut mors necessario oppetenda sit, aut scelus aliqvod admittendum, homini pio multo potius est moriendum; non ita tamen, ut qvisqvam debeat esse autor mortis suæ, sed ut paratus sit à tyranno & carnifice qvivis perpeti. Exemplum est in sociis Danielis. Tamen si qvis vel ita tradat se ut à tyranno comburatur, vacuus autem sit charitate, nihil illi proderit.

XLVIII. Obj. Præcc: Licitum est aliqvando exponere se tali periculo mortis, ex qvo mors est certo secutura, ut miles consistens in sua statione, ut Simson ædificium Philistæorum destruens, ut ille, qvi in navi pulverem tormentarium accendit: Ergò licet alicui seipsum occidere. ℣. Negatur conseq. Qvia talis non directe intendit semet ipsum occidere; sed hosti incommodare. l. 5. Cas. c. 31. qu. 1. 4.

703147

XLIX. Obj. Præcc. Aliqvando potest & debet qvis se morti offerre, Ioh. 10. 15. id est, aliqvando licitum & justum est ut qvis patiatur se occidi, non prohibendo, cum possit, sive sit ad justitiæ satis faciendum; sive in defensionem fidei ac honoris Dei; sive in magnum bonum aliorū vel publicum vel privatum: Ergò licita est suiipsius occisio. Conseq. negatur. Qvia hoc non est facere malum; sed tantum pati. l. 5. cas. c. 31. q. 6. l. 3.

CAPUT. XIX.

De Castitate.

ANALYSIS.

CAstitas explicatur. I. A genere remoto, th. 1. II. A definitione, th. 2. III. A partibus, n. verecundia & honestate, th. 3. qvæ explicatur. 1. à discriptionibus. th. 4. 5. 2. à subjecto, tum interno, & radicali, n. voluntate; tum externo, & significativo, n. externa conversatione, th. 6. ex qvo subjecto externo & significativo consectarium infertur, th. 7. 3. à virtutibus synonymicis n. modestia, & gravitate th. 8. qvarum illa describitur, th. 9. hæc verò, th. 10. IV. A distributione in subjecta, qvod castitas sit alia virginalis, alia conjugalis, alia vidualis. th. 11. cujus distributionis, 1. Species negative, & positive indicatur, th. 12. & confirmatur th. 13. 2. partes describuntur. Describitur enim castitas, 1. Virginalis. th. 14. 2. Vidualis, th. 16. 3. Conjugalis, th. 15. cujus qvasi species, n. cōjugium. 1. indicatur, th. 17. & confirmatur, th. 18. 2. explicatur. 1. A Definitione, th. 19. 2. A materia, n. uno viro, & una fœmina. th. 20. qvæ, 1. confirmatur, th. 21. 2. usu qvodam illustratur, th. 22. 3. Ab effciente proxima, (juxta illud: Consensus facit matrimonium) qvæ 1. est legitimus consensus, th. 23. ad qvem reqviritur, primò, ut personæ conjungendæ sint idoneæ: idoneæ erunt autem 1. si inter illas justa distātia sanguinis erit: qvæ 1. probatur tum an ita sit th. 24. tum an ita sit th. 25. qvod ab objectione liberatur, th. 26. qvæ liberatio ab instantia vindicatur th. 27. 2. usu qvodam illustratur. th. 28. 2. Si maturam ætatem habeant. th. 29. secundò ut consensus iste sit rei naturæ conformis: ad qvem reqviritur: 1. Parentum consensus, th. 30. 2. consensus personarum matrimonium contrahentium. th. 31. 4. A forma, qvæ est indivīdua, seu indissolubilis. Conjunctio conjugum: cujus indicatur. 1. ratio, th. 32. 2. usus, de concubinatu rejiciendo, th. 33. 3. efficientes, th. 34. 4. finis, th. 35. 5. usus de non causis separationis conjugum; qvæ sunt alterutrius conjugis: 1. Levis reatus, th. 36. 2. infidelitas, seu hæresis, th. 37. 3. obstinata desertio in parte deserente, th. 38. 4. A finibus; qvi 1. recensentur: sunt enim 1. communicatio corporum: qvæ 1. confirmatur. th. 39. 2. duobus usibus illustratur. th. 40. 41. 2. mutuum solatium, & auxilium,

703147

omnia officia mutua conjugum, tum communia, tum propria in se continens, th. 42. 2. modus eorum assequendorum indicatur, th. 43. V. Ab opposito, n. luxuria: cujus notantur: 1. Synonyma, th. eadem, 2. Causæ adjuvantes, effecta, signa, th. 45.—47. 3. Species, th. 48. qvæ 1. enumerantur, 2. describuntur, th. eadem, 3. adulterii proprium oppositum notatur, th. 49. cujus indicatur effectus proprius, n. divortium, seu matrimonii dissolutio, & qvoad usum, & qvoad vinculum, th. 50.

EXPLICATIO.

I. Qvi vocatur justitia respiciens proximi puritatem?

Vocatur castitas. Castitas vocatur Synecdochice sanctitas: nam alioqvin sanctitas idem est qvod justitia universalis, de qva supra c. 2. Vocatur etiam sanctimonia, Rom. 12. 22.

II. Qvid est castitas?

Castitas est virtus, &c. hoc est, castitas est continentia ab omni coitu illegitimo, & omni mixtione præter fidem datam, & contra præceptum Dei, tum in matrimonio, ut mundicies puritasqve cordis, & corporis tanquam insigne, tum extra matrimonium, decus conservetur. Observa ergò. Castitas est studiose sectanda, Patet 1. an ita sit, Exod. 20. Non mechaberis, id est, sis castus. Exemplum in Iosepho. Gen. 39. 8. & seqq. Paulo 2. Cor. 6. 6. 2. Cur ita sit. 1. Qvia eam Deus mandat, 1. Thess. 4. 3. Hebr. 12. 14. 2. Qvia

2. Qvia per illam Angelis sanctis assimilamur. 3. Qvia per illam Deo similes simus, ad cujus imaginem conditi fueramus, ad cujus imaginem renovamur. 4. Qvia per illam corpus possidetur in sanctificatione & honore, 1. Thes. 4. 4. 5. Qvia ad illam Deus nos vocavit, 1. Thess. 4. 7. 6. Qvia illius sectatores Deum videbunt: Matt. 5. 8. Heb. 12. 14. Exhortatio. Ergò 1. Sectemur castitatem ob dictas rationes. 2. Fugiamus simulationem castitatis, qvalis est Monachorum, Monialium, Pontificum Romanorum & totius cleri Pontificii.

III. Qvæ sunt partes castitatis, seu in qvibus consistit castitas?

In Verecundia, & Honestate.

IV. Qvid Verecundia?

Est pars castitatis &c. hoc est, verecundia est, qva qvis abstinet ab impuritate, n. illegitima venere, ejusqve causis, effectis signis, speciebus, de qvibus infra th. 44. & seqq. Qvi vocatur alias verecundia? Pudicitia vocatur, qvæ (ut Polanus dicit) omnia illegitimæ veneris signa tollit, & abolet in nobis, ne ulla appareant. Observa ergó, Verecundiæ est studendum. Patet 1. an ita sit. Non mechaberis, id est, sis verecundus, id est, abstineas ab omni impuritate, ejusqve causis. 2. Cur ita sit. 1. Qvia mandatur nobis à Deo, Hebr. 12. 28. Inprimis reqvirit virtus hæc in sexu fœmineo, sicut Paulus ait: 1. Tim. 2. 9. Item in adolescentibus. 2. Qvia est sancta virtus, qvæ turpitudinem

703147

omnem temperantiæ contrariam fugit: id qvod ipso vultus colore, imprimis autem rubore patefacit & declarat. 3. Qvia est testimonium sanæ mentis & sinceri judicii adhuc in nobis permanentis de rebus obscuris. Dehortatio. Fugiamus 1. inverecundiam, qvæ est vitium, cum qvis turpitudinis vel nullum, vel hebetem & obtusum sensum habet. Qvæ fugienda est: 1. Qvia prohibetur á Deo. 2. Qvia hominem reddit abominabilem Deo. 3. Qvia est signum deleti in animo rerum honestarum & turpium Spiritualis judicii. 2. Pudorem rusticum, qvi est vitium, cum qvis reprehensionem & ignominiam metuit etiam ab inferioribus, idqve in ea re qvæ per se honesta est; quum eorum pudet qvempiam, qvorum pudere non oportet.

V. Quid est honestus?

Est pars castitatis &c. hoc est, honestas est, qva qvis castitate, seu puritate, n. legitima venere, ejusqve causis, n. modico cibo & potu; effectis, signis, n. pudico aspectu, puris sermonibus, honesto vestitu, ornatu utitur. Observa ergò, Honestati est studendum: qvod patet 1. an ita sit: Non mechaberis, id est, legitima venere utere, ejusqve causas, effecta legitima demonstres. 2. Cur ita sit. 1. Qvia á Deo mandatur, Exod. 20. 26. Sic 1. Cor. 11. 10. Dehortatio. Fugiamus inhonestatem, cujus actus possunt colligi ex contrariis.

VI. Qvæ sunt subjecta verecundiæ & honestatis?

Ut

Ut omnis virtus, sic verecundia & honestas interne & radicaliter sunt in voluntate nostra; sed externe, & significative sunt inexterna nostra conversatione, hoc est, interne cor nostrũ debet esse verecundũ & honestũ: externe verò cõversatio nostra: cõversatio nostra verecũda & honesta est indicium & signũ cordis nostri verecundi & honesti; qvia ut conversatio inverecunda & inhonesta significat, & ostendit cor nostrum inverecundum & inhonestum esse: sic conversatio nostra verecunda & honesta significat & demonstrat nos habere cor verecundum & honestum.

VII. Qvo respectu vocatur castitas pudicitia, seu verecundia & honestas?

Hinc &c. id est, verecundia & honestas significativè sunt in conversatione nostra exterua: Ergò castitas vocatur præcipue pudicitia, qvatenus tollit externa signa impuritatis, seu illegitimæ veneris, qvalia sunt impudici aspectus, amplexus, tactus, choreæ, &c. vocatur verò præcipue honestas, qvatenus ponit externa signa puritatis, seu legitimæ veneris, qvalia sunt puri aspectus, sermones, &c. Additur præcipuè, qvia castitas nominatur etiam pudicitia, seu verecundia, qvatenus abstrahit ab impuritate ipsa, & honestas, qvatenus ducit ad puritatem ipsam.

VIII. Qvæ virtutes referuntur ad verecundiam & honestatem?

Præcipue refertur ad verecundiam modestia,

ad hos-

703147

ad honestatem verò gravitas; qvia modestia ita fere definitur ut verecundia; gravitas verò ut honestas, ut vides. Additur præipuè; qvia communiter verecundus est & modestus, & gravis: & etiam honestus est, & modestus & gravis.

IX. *Qvid est modestia?*

Qva puritatis decorum observatur, id est, qvâ qvis carnis concupiscentiam refrænat, ne erumpat ad turpes commixtiones, & earum causas, effecta, signa: de qvibus infra dicetur.

X. *Qvid est gravitas?*

Qva puritatis decorū observatur, hoc est, qvâ qvis cupiditatem carnalem erumpere permittit tantum ad legitimam commixtionem, ejusqe causas, effecta, signa.

XI. *Qvotuplex est castitas?*

Triplex: n. Virginalis, Conjugalis, Vidualis, seu Virginis, Conjugis, Vidui & Viduæ.

XII. *Hæc distributio castitatis, qvæ distributio est?*

Non est generis in species; sed adjunctī in subjecta.

XIII. Distributio hæc inqvam castitatis, nec est integri in membra, qvia castitas non constat ex castitate virginis, conjugis, vidui & viduæ, tanqvam ex membris oppositis, ut constat homo ex corpore & anima; membra enim ex qvibus castitas constat sunt verecundia & honestas, ut dictum ad th. 3. neqve est distributio generis in species, qvia castitas virginis non differt specie à castitate conjugis, & vidui, ut homo differt à bestia; sed est distributio adjunctī in subjecta; qvia castitas virginis tantum subjecto differt a castitate conjugis & vidui, sicut eruditio Theologica Pauli tantum subjecto differt ab eruditione Theologica Petri.

XIV. *Qvid Castitas Virginalis?*

Qvæ à Virgine debet custodiri, donec honeste contrahat matrimonium. Virgo est mas & fœmina rei venereæ expers. Observa ergò, Virgini castitati studendum, qvod patet tum an ita sit: Non mechaberis, id est, virgo ne polluas te illicita venere. Sic 1. Cor. 7. 34. virgo sancta, id est, venere illicita non polluta debet esse: tum certa sit, 1. Qvia sine sanctimonia vitæ nec virgo videbit Dominum. Hebr. 12. 14. Sic 1. Cor. 6. 10. 2. Qvia virginis non castæ pœna magna est, Deut. 22. 21. & seqq. Correctio. Peccant ergo juvenes petulanti saimi, qvi non contrahunt matrimonium, donec illos vagæ libidinis, & illicitæ veneris non satis superqve tædeat: nec non lascivæ puellæ, qvæ post lupanaria amant matrimonia, qvæqve soli explorato juveni nubere volunt & amant. Hi juventutem suam Diabolo consectantes ambigere possunt, an eorum senectus Deo sit unqvam placitura, nec ne.

XV. *Qvid Castitas Conjugalis?*

Qvæ à Conjugibus, n. marito & uxore observari debet. Observa ergò, Conjuges casti esse debent: qvod patet tum an ita sit. Non mechaberis, id est, conjux ne illicita

venere

703147

venerete poliuas, Sic Tit. 2. 5. Ubi juventus adolescentulæ maritatæ castæ esse. 1. Petr. 3. 1. 2. 4. tum cur ita sit. 1. Qvia sine castitate nec Conjuges possunt salvari. Heb. 12. 14. 1. Cor 6. 10. Heb. 13. 4. 2. Qvia Conjugum adulterorum pœna capitalis est. Deut. 22. 22. Correctio. Damnantur ergo Conjuges adulteri.

XVI. Qvid est Castitas Vidualis?

Qvæ a Viduis, n. viduo Viro, & vidua fœmina servari debet. Observa ergò: Vidui casti esse debent: qvod patet 1. an ita sit. Non mechaberis, id est, vidui & viduæ casti sitis: 2. Cur ita sit. 1. Qvia nec vidui & viduæ salvabuntur sine castitate, 1. Cor. 6. 10. 2. Qvia illi etiam punientur à Magistratu nunc morte, si scilicet rem cum persona conjugata habuerint, nunc virgis si cum personis liberis consveverint. 3. Qvia vidua, qvæ lascivit, vivens mortua est. 1. Tim. 5. 6. Correctio. Peccant ergò vidui & viduæ in impuritate viventes. Media castitatis virginalis & vidualis conservandæ sunt inter alia jejunium & preces. Hoc genus dæmoniorū, n. eōcupiscētia virginalis, vidualis non potest ejici, nisi jejunio & precibus.

XVII. Qvid refertur ad Castitatem conjugalem, seu qvid est Conjugalis castitas?

Ad conjugalem castitatem refertur conjugium legitime contractum & observatum, seu castitas conjugalis est conjugum legitime contractum & observatum: & contra. Patet 1. an ita sit,

an ita sit, ex Tit. 1. 6. 8. ubi Paulus jubet Episcopum esse continentem seu castum, qvem-tamen nihilominus vult esse virum unius uxoris, Sic Hebr 13. 4. Ubi Paulus conjugium vocat cubile impollutum, seu castum. 1. Pet. 3. 1. 2. 4. Ubi conjuges dicuntur casti, adeoqve, conjugium castum. Qværes, Qvi contrahitur & observatur conjugium legitime? Legitimè conjugium contrahitur, si contrahatur juxta conditiones in definitione requisitas, th. 19, id est, 1. Si unus vir unam uxorem ducat, 2. Si. &c. Legitimè verò observatur conjugium. 1. Si finis ejus non violetur. 2. Si illicite vir cum uxore sua non concumbat. Illicitus concubitus cum propria uxore est, cum maritus cum uxore aliqvin justa atqve legitima, coit injuste & illegitime, nempe vel quum omnino vacandum est animo comparando ad religiosam perceptionem verbi & mysteriorum Dei, vel tempore qvo menses uxori fluunt, vel alioqvin nimis freqventer, vel quum est ebrius vel repletus cibo atqve potu &c. sic, ut non utatur; verum abutatur uxore sua. Am. Sciagr. Dom. 41. Doc. 2. Concubitus illicitus vitari debet. Patet 1. an ita sit non mechaberis, id est, ne illicito modo cum uxore tua concumbas. 2. Cur ita sit, 1. Qvia divino jure est interdictus. Exod. 19. 15. Lev. 15. 19 & seqq. & 18. 19. 2. Qvia noxius est, nam ex concubitu cum menstruata uxore nascitur proles leprosa, aut alioqvin morbosa, & nimis freqventi coitu nascitur mola. 3. Qvia vitatus fuit etiam ab honestioribus Ethnicis: ut Zenobia Palmyreno-

703147

tum regina amans erat Odenati mariti sui, sed ob matrimonii finem liberos, qvos ut concepisset, tangi à marito mox abnuebat.

XVIII. 2. Cur ita sit, 1. Qvia conjugium à Deo institutum est: Ergò in se est purum seu castum. 2. Qvia Deus ita instituit conjugium, ut sit medium conservandæ puritatis seu castitatis. Refutatio. Errant ergò pontificii negantes conjugium esse castitatem. Obj. 1. Cœlibatus est castitas; Ergò non conjugium. ℞. In cœlibatu debet & potest qvidem castitas observari; sed tamen ipse in se, nec est castitas, seu puritas, nec per se est medium castitatis conservandæ. Obj. 2. Abstinentia, seu castitas est abstinentia ab uxore, Tit. 1, 8. Ergò conjugium non est castitas. ℞. Antecedens negatur, ut patet ex ℣. 5. Unde conjugium præstantius dicitur esse cœlibatu. Lib. 5. cas. c. 35. q. 1. Observa ex ratione th. 17. Deus est author conjugii, qvod patet ex Gen. 2. 18. Sic matt 19. 4. 5. Prov. 18. 22. & 19. 14. Informatio. Ergò conjugium est res per se bona, 1. qvia Christus illud præsentia sua & miraculo in nuptiis Chananæis honoravit. Ioh. 2. 1. & seqq. 2. qvia Paulus ait Heb. 13. 4. Honorabile, &c. & coshæreticis accenset, qvi conjugium contrahere prohibent. 1. Tim. 4. 3. qvod olim fecerunt Tatiani, Manichæi, Marcionitæ, Encratitæ, & alii, qvi conjugii authorem diabolum dixerunt esse, adeoqve illud, ut rem malam condemnarunt.

XIX. Qvid est Conjugium?

Est unius

Est unius, &c. ubi est, 1. definitum a. conjugium à jugo communi, qvo vir & uxor simul in unam carnem & veluti in unum hominem jungûntur. Dicitur conjugium etiam 1. Matrimonium a fine: nam in hunc finem mulier nubit viro, ut fiat mater liberorum; matrimonium enim a matre dictum est. 2. Connubium & numero plurali Nuptiæ à nubendo, id est, tegendo vel obtegendo, qvia sicuti cœlum interdum nubibus obtegitur: sic antiqvitus virgines, dum ad viros ducebantur, velamine tegebantur: idqve ad testandum, 1. Pudorem & verecundiam. 2. Subjectionem & obedientiam seu alterius potestatem in se. 1. Cor. 11. 5. 10. ut patet exemplo Rebeccæ, Gen. 24. 64. 65. qvæ cum vidisset Isacum maritum suum è camelo exiliit, & accepto pallio se operuit. Cui similis est expansio illa vestimenti Ruth. 3. 9. & Isa. 4. 1. 2. Definitio, ubi iterum est, 1. Genus n. conjunctio. 2. materia, n. unus vir & fœmina una. 3. efficiens causa secunda n. consensus, qvi hoc qvivit, ut personæ matrimonium contrahentes, 1. sint non cognatæ. 2. sint maturæ ætatis. 3. habeant liberum consensum una cum suis Parentibus. 4. Forma, nimirum individualis conjunctio. 5. finis, n. communicatio corporum, & mutuum auxilium: adeoqve conditiones hominum in conjugio copulabilium hæ sunt: n. 1. ut sint duæ tantum personæ, qvarum una sit mas, altera fœmina. 2. ut personæ illæ sint non cognatæ. 3. ut personæ illæ sint maturæ ætatis. 4. ut personæ illæ una cum suis Parentibus legitimum consensum habeant.

703147

5. ut individualiter conjungantur. 6. ut ad nnes justos conjugii obtinendos sint idoneæ. Qværes hîc: Conjugium estne sacramentum? Non, qvod patet tam an ita sit Matt. 19. 6. ubi conjugium conjunctio dicitur: tum cur ita sit, 1. Qvia definitio sacramenti non convenit conjugio. Non enim est signum visibile á Deo institutum eo fine, ut promissionem de gratuita peccatorum remissione, per Christum impetrata nobis significet, obsignet & exhibeat. 2. Qvia in V. T. conjugium non fuit sacramentum: Ergò nec in N. T. est. Refutatio. Errant ergo Pontificii conjugium sacramentum dicentes. Obj. Eph. 5. 31. Paulus conjugium vocat mysterium, id est, sacramentum: Ergò &c. R. I. Antecedens negatur: qvia Paulus mysterium vocat non conjugium; sed conjunctionem Christi cum Ecclesia; sic enim loqvitur: mysterium hoc magnum est: loqvor autem de Christo, & de Ecclesia. 2. Conseq. negatur: qvia etsi omne sacramentum sit mysterium; tamen non omne mysterium est sacramentum. Encyc. Bellar. Tom. 3. l. 7. c. 2.

XX. *Qvæ est materia conjugii?*

Unus vir & una fœmina. Observa ergò: Conjugium constare debet tantum ex uno viro & una fœmina. Patet 1, an ita sit Gen. 2. 22. Ubi Deus Adamo unicam tantum uxorem adduxit. Sic Matt. 19. 6. ubi Christus de conjugio olim in Paradyso instituto & deinceps conservando ait duos in una carne futuros, non plures, Malac. 2. 15. ubi Prophetas

Judæos polygamos reprehendens, dicit Deum olim in creatione virum & fœminam unum fecisse, non virum & fœminas plures.

XXI. 2. Cur ita sit. 1, Non potest, &c hoc est, qvia amor conjugalis debet esse perfectus: At amor perfectus conjugalis non potest esse, nisi inter duos, n. unum maritum, & unam uxorem: maritus enim magis amaret unam, qvam aliam, & magis gratificaretur uni, qvam alii, ut olim Iacob, David, Elkana. 2. Qvia Paulus Episcopum unius uxoris virum vult esse. 1. Tim. 3. 2. 3. Qvia Deus jubet ut semel una tantum uxor ducatur. Lev. 18. 18. Refutatio. Ergò Conjugium non potest constare 1. ex viro & viro, 2. ex fœmina & fœmina. Correctio habetur th. seq.

XXII. *Estne ergo Polygamia licita?*

Poligamia (qvâ vir unus plures simul ducit uxores, vel una fœmina se simul pluribus maritis jungit) est illicita: 1. qvia ut dictum materia conjugii sunt duo homines, n. unus vir & una fœmina. 2. qvia est species adulterii: nam si mœchatur, qvi uxore dimissa aliam ducit, teste Christo, Matt. 19. 9. Ergò mœchatur etiam qvi uxore retenta, aliam vel plures ducit. 3. qvia polygamia est peccatū, 1. contra primam conjugii institutionem & legem, Gen. 2. Nam 1, unum virum & unam mulierem fecit & conjunxit Deus; ita, ut qvicqvid supra accedit, sit monstrosum. Malac. 2. 15. 2. Edicto sanxit, ut duo, non tres, aut plures essent una caro: & ut vir adhæreret uxori suæ, non uxoribus. Matt. 19. 5. 2. Est et-

703147

iam peccatum contra legem naturæ, & rationē rectam, nam 1. est contra illud, qvod hominī inditum est in prima institutione humanæ naturæ. 2. est contra naturam amoris conjugalis, qvi ita proprius est & singularis, ut tertiam personam non possit admittere ad ejusdem rei communionem: sicut experientia docet in Zelotypia conjugali. 3. Est contra naturam contractus matrimonialis, qvo fit ut cōjux corpus suum non habeat in potestate sua: 1. Cor. 7. 4. Unde etiam est qvod injustitiæ & perfidiæ reus peragatur qvi alteri se se jungit. Malac. 2. 14. 15. 4. Est contra unitam illam prolis cutam, qvam conjugii finis requirit. 5. est contra perfectionem illam, qvæ in brutis qvibusdam animalibus reperitur. Nam volucres inveniuntur variæ, qvæ ex naturæ instinctu, conjunctionem servant unius ad unā, & ratio dictat, majorem reqviri continentiam & ordinationem in homine qvam in volucre qvacunqve. 6. Est contra principum illud naturale: qvod tibi fieri non vis, id alteri ne feceris. 7. tollit pacem familiæ, sicut experientia docet, Gen. 4. 23. & 30, 1. Sam. 1. 6. Lev. 18. 18. Obj. 1. Sanctis Patribus Veteris Testamenti usitata fuit polygamia, nec unqvam propter eam à Deo leguntur reprehensi: Ergò licita est polygamia. ℟. Negatur consequentia, ratio negationis est qvia non exemplis, sed legibus judicandum est: nec qvicqvid in V. T. toleravit Deus, id illico probavit, vel etiam in N. T. Christus concessit. Sic & divortia in V. T. sunt tolerata, & à Mose in specie permissa, qvæ tamen in N. T. Christus extra causam adulterii, prohibuit. Obj. 2. Deus dedit Davidi uxores plures, 2. Sam. 12. 8. Ergò polygamiam non improbavit, nec ea jam est illicita. ℟. Negatur consequentia: qvia non loqvitur Prophēta de traditione uxorum in matrimonium; sed in potestatem Davidis. Qvod si verò cōtendas & eviceris, de matrimonio Prophetam loqvi: qvod tamen probari è textu nequit: per traditionem non nisi permissio divina erit intelligenda. Atqvi multa Deus permittit, qvæ tamen non probat.

XXIII. *Qvæ est causa efficiens secunda conjugii?*

Consensus legitimus. Qvæ reqviruntur ad hoc, ut consensus sit legitimus? 1. ut personæ matrimonium contrahentes sint idoneæ. 2. ut consensus iste sit rei naturæ, & legi Dei consentaneus.

XXIV. *Qvæ reqviruntur ad hoc, ut personæ sint idoneæ?*

1. Justa distātia sangvinis, id est absentia propinqvitatis carnis, id est, consangvinitatis, seu cognationis, & affinitatis. Propinqvi carne sūt cognati, vel affines. Cognati sunt, qvi ab aliis oriuntur: illi a qvib' alii oriūtur sunt Parentes: qvi verò oriuntur sunt filii & filiæ. Affines verò sunt consangvinei alterius conjugis: qvales affines sunt. 1. Socer & Gener, 2. Socrus & nurus, 3. Vitricus & Privignus, item privigna. 4. Noverca & Privignus, item Privigna. 5. Levir, id est, mariti frater, & Glos,

703147

id est, mariti soror, vel uxoris, soror. 6. Sororius, hoc est, Sororis maritus, & fratris; id est, fratris uxor, qvæ etiam glos à qvibusdã appellatur. Ergò propinqvitas carnis, id est cognatio & affinitas, personas matrimonium contrahentes reddunt inidoneas: qvia Lev. 18. 6. & seqq. prohibentur cognati & affines conjugium contrahere: qvibus cognatis verò & affinibus non liceat conjugium contrahere Vendelinus ex citato loco his regulis comprehendit. n. 1. Inter Parentes & liberos perpetua est conjugii prohibitio. Parentes hic apellantur omnes, qvi in eadem linea recta ascendente sunt constituti: ut pater, vel mater, avus vel avia, proavus vel proavia, abavus vel abavia, &c. Liberi omnes, qvi in eadem linea descendente sunt constituti: ut filius, vel filia, nepos vel neptis, pronepos vel proneptis, abnepos vel abneptis &c. Itaqve Adam, primus noster parens, si adhuc viveret, uxorem jam ex humano genere non posset ducere: qvia omnes fœmellæ ipsius sunt filiæ. 2. Inter fratres & Sorores perpetua est conjugii prohibitio. 3. Inter te & Sororem patris vel matris tuæ, omnesqve in linea recta superiores perpetua est conjugii prohibitio. 4. Inter te & filium fratris tui ejusqve neptem, proneptem &c. perpetua est conjugii prohibitio. 5. Inter noveream & privignum, vel vitricum & privignam perpetua est conjugii prohibitio. 6. Inter socrum & nurum, interqve generum & socrum perpetua est conjugii prohibitio. 7. Inter te & uxorem patrui vel avunculi, inter uxorem tuam viduam

& patruum vel avunculum perpetua est conjugii prohibitio. 8. Inter te & fratriam tuam, & inter te & glotem tuam perpetua est conjugii prohibitio. Matrimoniam intra prohibitos hosce gradus contractum incæstus appelliatur. Sic Polan: Bucan: Ames: l. 5. cas. c. 35. q. 3. Iust. instit. l. 1. de nuptiis. Observa ergò. Personæ matrimonium contrahentes non possunt & debent esse consangvineæ & affines. Patet 1. an ita sit Lev. 18. 6. & seqq. ubi prohibetur matrimonium inter consangvineos & affines.

XXV. 2. Cur ita sit. 1. propinqvitas enim &c. hoc est. qvia conjugium inter consangvineos & affines tollit singularem reverentiã & verecundiam, qvam cognatis & affinibus naturaliter tanqvam propriis nostris carnibus debemus: retegit enim contra naturalem verecundationem nuditatem consangvineorum, & affinium, contra illud Dei interdictum: Lev. 18. 6. & seqq. 2. Qvia consangvinei reles sunt ab initio qvasi una caro, atqve adeo minus idonei, ut per contractum novum fiant una, ex non una: qvæ est coniugii natura. 3. Qvia familiaritas & consvetudo consangvineorum multis incommodis præberet occasionem si jus haberent matrimonium contrahendi. Vides has & alias rationes in Thom. 2. 2. q. 154. art. 9.

XXVI. Obj. Præoc. Lex illa Lev. 18. 6. & seqq. qvæ prohibet conjugium inter consangvineos & affines non est moralis, seu naturalis, communis, & perpetua, sed ceremonialis, & judicialis, temporalis, & judæis pro-

prias

703147

pria: Ergò hodie Christianos non obligat. ℟. Antecedens negatur, qvia damnantur gentes, qvod legem illam non observaverint, Lev. 18. 24. 26. 30. Ergò lex illa fuit moralis, naturalis, perpetua, & communis omnibus, non Judæis propria, & temporaria. Ratio consequi, qvia gentes solam legem naturalem tenebantur observare. Paulo teste tenentur hodie Christiani legem illam Leviticam prohibentem conjugium inter consanguineos & affines observare 1. Cor. 5. 1.

XXVII. Instantia prœoc. Conjugia inter fratres & sorores in mundi primordio fuerunt usitata: & Deut. 25. 5. jubetur uxor fratris demortui absqve liberis, nubere fratri superstiti: Ergò lex illa Levitica non est moralis, perpetua, communis omnibus. ℟. Consequ. negatur, qvia est moralis, sed ita; ut exceptionem admittat, 1. ex mera necessitate, ut in initio mundi. 2. ex speciali Dei mandato, dispensatione, seu concessione, ut Deut. 25. 5. Gen. 38. 8. & 11. 29. & 29. 16. Exod. 2. 1. & 6. 20. Ener: Bellar: Tom. 3. l. 7. c. 5. Thom. suppl. 3. p. q. 54.

XXVIII. Refutatio. Carnaliter cognati & affines non possunt matrimonium contrahere: Ergò errant Pontificii, 1. dicentes matrimonium non posse contrahere, 1. cognatos spirituales, n. 1. profilios & promatres, nec non profilias & propatres: 2. compatres & commatres. 2. tutores & pupillos. 2. permittentes, ut consanguinei & affines matrimonium contrahant, Thom. suppl. 3. p. q. 56.

XXIX.

XXIX. 2. Maturitas ætatis, qvalis ætas in masculis est ætas 20. annorum: in fœminis verò ætas 18. annorum. Observa ergò. Personæ matrimonium contrahentes debent esse maturæ ætatis qvod patet tum an ita sit, 1. Cor. 7. 36, 40. tum cur ita sit: qvia personæ immaturæ ætatis 1. minora facta, n. venditionis & emptionis &c. non possunt contrahere. Ergò multo minus grave hoc conjugii factum. 2. non possunt familiam curare, ut uxor strenua Prov. 31. 10, 11. Refutatio. Ergò non possunt matrimonium contrahere, qvi pueritiæ nondum aut vix dum egressi sunt annos, qvales olim à Romanis ad conjugium admittebantur: & etiam ab Ungaris hodie admittuntur.

XXX. *Qvæ requiruntur ad hoc, ut consensus sit naturæ & legi Dei conformis?*

1. Parentum (n. Patris, Matris) & eorum vices gerentium (n. tutorum, dominorum &c.) consensus (qvi est eorum voluntas, qvâ volunt, ut filius hanc ducat, & filia huic nubat) si modo adhuc sint in eorum potestate. Additur: si modo adhuc sint in eorum potestate: nam Parentum consensus ad liberorũ à potestate ipsorum liberatorum conjugium saltem ex necessitate non requiritur. Liberantur autem liberi à potestate Parentum nuptiis Num. 30. 6. 9. deportatione, servitute pœnæ, dignitate, emancipatione, adoptione, ut vides in Iust. instit. l. 1. tit. 12. Observa. Consensus Parentum necessario requiritur ad liberorum con-

703147

cum conjugium. Patet 1. an ita sit, ex exemplo Adami ex consensu Dei uxorem ducentis, Gen. 2. 22. nec non Saræ, Rachelæ, Leæ, ex quarum consensu nubunt ancillæ ipsarum. Gen. 16. & 30. Capp. Agar. 21. 21. Abrahami 24. Bathuelis & Labani ℣. 49. & seqq. Isaci, Rebeccæ, 28. 1. 2. & 29. 18. 20. Ietronis. Exod. 2. 21. parentum Samsonis Iud. 14. 2. 10. Ruthæ c. 3. 1. 2. Cur ita sit 1. Quia communicatio & consultatio cum parentibus instituta de contrahendo matrimonio, & obsequium, quod parentibus hac in parte præstatur, est magna pars honoris, qui debetur parentibus ex quinto præcepto: Honora patrem & matrem. 2. Quia puella virgo compressa ab alio in matrimonium negvit duci, refragante patre. Exod. 22. 16. 17. 3. Quia votum factum à puella adhuc in potestate constituta irritum & nullum est, si pater contradicat. Num. 30. 3. 4. 4. Quia jus nuptum dandi filias, Deus ubique in V. T. vendicat parentibus: Filiam tuam non dabis Chananæo, Deut. 7. 3. Idem in N. T. parentibus tribuit Paulus, 1. Cor. 7. 36. 37. 38. 5. Quia liberi parentibus obedire in omnibus jubentur. Coloss. 3. 20. Sic Buc. l. 12. q. 18. L. 5. cas. c. 35. q. 3. r. 9. & seqq. Refutatio. Errant ergo Pontificii, qui clandestina sponsalia à filiis familias inscijs & invitis parentibus contracta vera & rata esse volunt, docentqve consensum parentum esse tantum de conjugii liberorum honestate, non autem necessitate. Ener. Bellar. Tom. 3. l. 7. c. 30.

XXXI.

XXXI. 2. Consensus personarū matrimonium contrahentium: isqve voluntarius & liber, non coactus & extorteus. Coactio debet abesse à consensu matrimonium contrahentium: non enim est consensus, nec conjugium, cum persona vi cogitur, ut conjugium promittat. Hæc coactio cum multis malis conjuncta esse solet. Error etiam abesse debet à consensu matrimonium contrahentium, tum personæ, tum castitatis, tum potentiæ, tum sanitatis: non enim est consensus, nec conjugium cum personæ matrimonium contrahentes ex errore in matrimonium consentiunt nisi de novo in defect' horsce cōsentiant, juxta juris consultorum regulam: contractus bonæ fidei, cui dolus dedit causam, ipso jure nullus est. Error personæ est, cum alicui illa tradatur qvam noluit. Iacobo sic tradita est Lea pro Rachela. Gen. 29. Error castitatis est, cum illa, qvæ pro virgine nupsit, est scortum: de qva extat lex Deut. 22. Error potentiæ est, cum ille qvi pro viro duxit, est spado naturā vel casu. Error sanitatis est, cum altera pars morbum incurabilem & abominabilem occultavit, qvalis est Lepra, vel similis. Error fortunæ, cum altera pars dixit se divitem esse, vel libertis carentem, cum secus res se habuerit, non dissolvit sponsalia & conjugia; qvia talis error ad essentiam conjugii non pertinet, l. 5. cas. c 35. q. 4. r. 8. Sic etiam Pol. p. 684. Observa ergò. Consensus personarū matrimonium contrahentium necessarius est ad conjugium ipsarum. Patet 1. an ita sit, ex exemplis Isaaci & Rebeccæ, Gen. 24. 57. 58. 67.

703147

58. 67. Davidis & Mical. 1. Sam. 18. 20. 22. 23 ejusdem & Abigail, 1. Sam. 25. 40—42. 2. Cur ita fit. 1. Qvia etiam de illarum cõsensu dicitur illud: consensus facit matrimonium. 2. Qvia in omni contractu partium contrahentium consensus necessarius est. 3. Qvia in matrimonio est mutua traditio corporum: At nulla fit legitima traditio ullius rei, qvæ alterius erat, sine ejus consensu. 4. Qvia nulla humana potestas potest jungere matrimonio aliqvos sine eorum consensu. Refutatio, Errant negantes consensum matrimonium contrahentium necessarium esse ad eorum conjugium. Errare videtur ergò Ambrosius, qvi lib. 1. de Abrah. c. 9. censet, non de sponsalibus, sed jam desponsatam viro à parentibus cõsultam fuisse Rebeccam de profectionis die: illa enim inqvit judicium spectavit parentum, cum non sit virginalis pudoris eligere maritum; sed debet virgo sponsaliorum suorum curam parentibus relinqvere.

XXXII. Qvæ est forma conjugii?

Conjunctio individua, seu indissolubilis, ig est, tamdiu durans, qvamdiu durat vita conjugum, vel alterius coniugis: qvod patet ex Rom. 7. 1—3. sic 1. Cor. 7. 39. Observa ergò. Conjugium est indissolubile, seu perpetuum, id est, usqve ad finem vitæ conjugum, vel alterius conjugis durans. Vel, conjuges ante mortem à se invicem (sine causis scil. à Deo probatis n. adulterio & desertione partis infidelis nolentis habitare cum fideli) homines ex suo arbitrio separare non possunt &

sunt & debent. Patet 1. an ita sit, Rom. 7. 1—3. Ubi mors dicitur solvere conjuges à se invicem. Sic 1. Cor. 7. 39. 2. Cur ita fit. 1. Qvia separatio conjugum extra illas causas prohibetur. Matt. 19. 6. 2. Qvia prohibetur etiam ne uxor à suo viro se separet. 1. Cor. 7. 10. 3. Qvia conjuges sunt una caro. Gen. 2. 24. Matt. 19. 6. 4. Qvia separatio conjugum à se invicem damnatur. Malac. 2. 15. 5. Qvia dimissio uxoris ab initio illicita fuit. Matt. 19. 8.

XXXIII. Refutatio. 1. Concubinatus igitur, &c. id est, coniugium (ut dictum) est insolubile, id est, perpetuo, seu usqve ad finem vitæ alterius saltem conjugis durans. Ergò concubinatus non est conjugium. Ratio conseq. qvia concubinatus tantùm ad tempus durat, ad tẽpus cõtrahitur enim à luxuriosis. Cõcubinatus ergo est illicitus: qvod patet 1. an ita sit: Non mœchaberis, id est, extra matrimonium ne venere utaris. 2. Cur ita sit. 1. qvia filii, qvi de concubinatu nascuntur, sunt vituperabiles. 2. qvia viro non licet, qvod mulieri non licet: At nunqvam licuit mulieri ad alium virum accedere dimisso viro proprio: Ergò nec viro unqvam licuit concubinam habere. Errant ergò qvi concubinatum defendunt. Thom. suppl. 3. p. q. 65. art. 3. & seqq. Obj. Abrahamus, Iacobus habuerunt concubinas: Ergò non fuit concubinatus illicitus. R. Conseq. negatur: qvia ut polygamia illorum illicita fuit; sic eorum concubinatus illicitus fuit.

703147

XXXXIV. Unde oritur, pendet, conjunctio conjugum individua, seu insolubilis & perpetuo durans, seu conjugii insolubilitas perpetuitas?

1. Oritur ex consensu conjugum, qvi matrimonium contrahunt in perpetuum, id est, usqve ad finem vitæ suæ, sed non tantum; verum. 2. oritur etiam ab institutione Dei, qvi sic instituit matrimonium, ut conjuges alse invicem nunqvam separati possint: qvod patet tum ex Prov. 2. 17. ubi conjugium propter suam insolubilitatem dicitur fœdus Dei: fœdus enim Dei est insolubile, firmum, ratum, immobile: tum ex Matt. 19. 3. Additur non tantum: qvia si conjunctio conjugum individua tantum a conjugum consensu penderet, utroqve conjuge consentiente; posset eorum individua conjunctio, dividua reddi, sient Dominus & servus fœdus suum individuum, possunt iterum dividuum facere, qvia ipsorum individuum fœdus pendet tantum ab eorum consensu. Buc. loc. 13. q. 3. l. 4. cas. c. 22. q. 11. r. 4.

XXXV. Qvi sunt fines individuæ parentum conjunctionis, seu conjugii insolubilis?

1. Bonum generis humani, qvod conservatur per certam liberorum educationem, qvæ fit per certos parentes, qvales sunt parentes perpetui. 2. Hæreditaria liberorum successio, qvæ ibi potest esse, ubi parentes sunt perpetui. Etenim filii suscepti ex vaga libidine

& conc.

& concubinatu, nec certam educationem habent, nec nomini & paternis bonis succedere possunt. qvia illi à patribus non agnoscuntur pro filiis, experientiâ teste.

XXXVI. Refutatio. 2. Conjugium igitur &c. id est conjugium est (ut dictum) insolubile: Ergò 1. Conjugium licitum non potest solvi ante mortem, sine gravissimo reatu conjugis alteruttius, id est, propter levem defectum conjugis alterutrius, ut 1. propter sterilitatem: 1. qvia Deus claudit & aperit matricem. 2. qvia defectus iste plerumqve est occultus, huicqve defectui. Deus sæpe remedium adfert, 1. Sam. 1. 20. 2. propter paupertatem. 3. propter levem morbum matrimonium antecedentem, vel gravem etiam conjugium seqventem, nisi forte sit lepra, Lev. 13. 46. & rabies incurabilis & catenis coercenda. 4. propter mortem civilem, ut perpetuum exilium, perpetuum carcerem. 5. propter morositatem. sorditiem, pigritiam, ebrietatem &c. 6. propter absentiam ob bellum, peregrinationem, captivitatem, &c. si scil. absens conjux se ultra tempus vel qvinqvennii vel septennii à Magistratu & presbyterio præscriptum non absentaverit. Additur, si absens se ultra tempus præscriptum non absentaverit. nam si ultra illud tempus se absentaverit, propter absentiam talem licitum conjugium ante mortem solvitur: mortuus enim probabiliter censetur, qvi tamdiu sine ullo vitæ testimonio abest. Qvid si casu recidat, qvi mortuus putabatur? Posterius conjugium justa ignorantia contractum dissolve-

703147

tur, neutriqve imputabitur, qvod neutrius culpa contigisse deprehendetur, & prius conjugium ratum, firmumqve manere debet. Additur 1. Licitum: nam conjugium illicitum, qvod est cognatorum, puerorum, consensu legitimo, & finibus veris destitutum, solvi potest ante mortem etiam sine ulla alia causa. 2. Ante mortem: Nam conjugium licitum per mortem solvitur. Rom. 7. 1. 2. 3. 1. Cor. 7. 39. 3. Sine gravissimo reatu: qvia ob gravissimum reatum alterutrius conjugis, n. adulterium & alias impuritates, pertinacem desertionem, 1. Cor. 7. 15. obstinatam savitiam, Matt. 19. 8. coactionem ad apostasiam, Deut. 13. 6. Tit. 3. 10. Luc. 14. 26. Matt. 5. 29. & 19. 29. solvitur conjugium ante mortem.

XXXVII. Ergò: 2. Conjugium licitum ante mortem non potest solvi propter alterutrius conjugis infidelitatem, seu hæresin, qvâ alter conjux non amplectitur veram Christi religionem, v. g. olim in paganismo Græcus veram religionem amplectens, non poterat separari ab uxore sua Græca veram religionem rejiciente, 1. Cor. 7. 12. 13. Sic nec hodie in Papismo vir reformatus factus, potest separari ab uxore sua reformatam religionem non amante. Obj. Esdras Israelitas separavit ab uxoribus propter infidelitatem. Esd. c. 9. 1. 2. & 10. 19. Ergò etiam in N. T. infidelitas alterius conjugis vera causa divortii erit. R. Benefecit hoc Esdras: nam in V. T. non licuit fideli infidelem in sua infidelitate perseverantem ducere, Deut. 7. 3. 4. Nec in N. T. licet fi-

licet fideli infidelem talem ducere, qvia infidelitas talis (ut dicitur) matrimonium contrahendum impedit; sed semper licuit, licet, & licebit conjugi fideli, qvi post conjugium in Ethnicismo contractum, ex infideli factus est fidelis, conjugem suum infidelem tolerare; qvia (ut dicitur) infidelitas conjugium (in paganismo vel hæreticismo scil.) contractum non dissolvit.

XXXVIII. Ergò, 3. Obstinata, seu pertinax desertio, discessio, infidelem deserentem, discedentem, à fideli suo conjuge, non solvit à licito conjugio ante mortem. Additur deserentem: qvia obstinata desertio fidelem conjugem desertum solvit á licito conjugio ante mortem. 1. Cor. 7. 15. ubi Apostolus ait; fratrem aut sororem non subjici servituti, hoc est, conjugii vinculo amplius non teneri, si incredulus discesserit, hoc est, conjugem credulum malitiose deseruerit. Summa summarum: Si infidelis conjux habitare velit cum conjuge fideli, fidelis conjux non potest separari ab infideli conjuge, sed si conjux infidelis nolit habitare cum conjuge fideli; sed eum desiderat, fidelis conjux ab infideli conjuge separari debet, id est, ad alias nuptias transmitti; sed infidelis conjux separari, seu ad alias nuptias transmitti non debet. 1. qvia conjugium qvod habuit contemsit. 2. qvia sic injustis divortiis via aperiretur. 3. qvia in aliis nuptiis & se & suum conjugem adulterum redderet, juxta Matt. 5. 32. & Rom. 7. 3. & sic in iis una cum suo conjuge, nisi resipisceret, æternum periret, juxta 1. Cor. 6. 9.

703147

L. 5. cas. c. 38. q. 1. r. 5. Paulus Apost: in causa divortii per infidelem (ut vides) talem infidelem intelligit, qvi in Christum non credit, & veram religionem odit, ut Ethnicus, Pontificius, Socinianus: Nostri vero Theologi per infidelem talem infidelem intelligunt, qvi in Christum qvidem credit, veram religionem amat; sed fidem in conjugio datam non servat. Sic, Paulus, per separationem seu desertionem infidelem, talem desertionem intelligit, qva infidelis, id est, in Christum non credens, & veram religionem non amans, à conjuge suo fideli, id est, in Christum credente, & veram religionem amante, obstinate discedit: Theologi vero nostri, per desertionem infidelem, talem desertionem intelligunt, qva fidelis, id est, in Christum credens, & veram religionem amans, sed fidem conjugalem non servans, à conjuge suo fideli, id est, & in Christum credente, veram religionem amante, & fidem conjugalem servante, injuste discedit. Hanc desertionem injustam malitiosam, pertinacem, seu obstinatam idem Theologi in genere vocant infidelitatem, juxta illud: 1. Tim. 5. 8. Qvi suorum curam non habet, fidem abnegavit, & infideli deterior est. Qværes. 1. qvomodo vero desertio malitiosa & pertinax facta esse intelligitur? Si persona disertrix nec verbis nec verberibus ad personam disertam reduci potest; sed extra territorium aufugit, & legitime evocata ad tempus præscriptum non redit; verum Ecclesiæ cognitionem subterfugit. 2. Qværes, Qvid si, qvo loco sit desertor vel desertrix, ignora-

ignoratur? Hic diligenter inqviratur in istius discessionis causas, ut si forte comperiatur persona, qvæ se desertam conqveritur, & divortium petit, occasionem huic malo præbuisse, non audiatur; qvia iniquum esset eum audire de malo qvod ultro sibi accersivit, adversus alium conqvirentem. Qvod si continentiæ donum se habere neget, hoc sibi ipsi imputet, peccatum defleat, absentem reqvirat, qvo se sua improbitate privavit. Deinde cõstet necesse est, præbito qvoqve si opus est, apud magistratum juramento, bona fide datam esse operam omnem, ut profuga illa persona inveniretur, & de ista in eum expostulatione instituta, certior fieret. Observa ergò: Non licet fideli infidelem ducere in uxorem. Patet 1. an ita sit. 1. Cor. 7. 39. Cui vult nubat tantum in Domino, id est, religiose, & cum timore Dei, Sic 1. Cor. 10. 31. Sive igitur editis, sive bibitis, sive qvid facitis, ut uxorem ducitis, alii nubitis, omnia ad gloriã Dei facite: qvod fieri neqvit, nisi veræ religionis rationem habeatis. 2. Cur ita sit. 1. Qvia conjugium cum infideli persona Deo displiceat, ut videre est, Gen. 6. 1. 2. 1. Reg. 16. 31. vel 33. 2. Ut evitentur impedimenta cultus Deo debiti. 3. Qvia flecteret animum ad idololatriam. seu falsam religionem Deut. 7. 4. non igitur cum ea matrimonium ineundum, ut evitetur seductio à puro cultu Dei. Nam Salamonis Regis alioqvin sapientissimi animum fœminæ inclinarunt ad Deos alienos, 1. Reg. 11. 1. & seqq. Achabum seducebat Iezabel uxor ipsius, 1. Reg. 21. 25.

4. Ut-

703147

4. Ut dissidia & turbæ à conjugio absint, 5. Ut ne liberi etiam & posteri à vero Deo abducantur. Malefecit Iosaphatus quod filio Ioramo uxorem dedit filiam Achabi, à qua Ioramus fuit seductus, 2 Reg. 8, 18. Et Achazia filius Ioramo, nepos Iosaphati ambulavit in via Achabi, quia gener domus Achabi erat, 2. Reg. 8, 27. 6. Ut ne calamitates graves familiæ attrahantur, Quid enim ab Athalia evenerit domui & familiæ Davidis, 2. Reg. 11. 1. item 2. Chron. 22. 10. Correctio. Peccat ergò fidelis, (ut reformatus) matrimonium cum infideli (ut Pontificio, Arminiano, Iudæo, Turca &c.) contrahens. Obj. Iosephus contraxit cum Aegyptia, Ester cum Asvero, Iacob cum filia Labani, Moses cum Aethiopissa: Ergò fidelis cum infideli sõtrahere potest. R. In V. T. fidelibus cum aliquibus infidelibus licebat contrahere, Deut. 21. præcipuè quando non erat timor pertrahendi ad idololatriam, cum aliquibus vero non licebat, ut cum Cananæis, quando scil: periculum idololatriæ erat, sed in N. T. cum nullis infidelibus licet contrahere. 2. Cor. 6. 14. nisi veram religionem amplectantur. Thom. suppl. 3. p. q. 59. art. 1.

XXXIX. Qui sunt fines Conjugii?

Primus finis Conjugii est communicatio corporum mutua: quod patet 1. an ita fit, Gen. 1. 28. Fœtificate, quod fit per mutuam corporum communicationem. 2. Cur ita fit. 1. Quia finis conjugii est procreatio liberorum. Ier. 29. 6. Malac. 2. 15. ubi Deus dicitur virum

virum & fœminam unum effecisse in matrimonio, ut semen Dei qværerent, id est, liberos procrearunt. 1. Tim 2. 14. 2. Qvia finis conjugii est remedium adversus cupiditates carnales, & illine ortas vagas omnes libidines. Qvod patet tum an ita sit, 1. Cor. 7. 2. Propter vitandas cupiditates carnales, & illinc ortam fornicationem, unusqvisqve habeat uxorem suam, & unaqvæqve proprium virum. sic ℣. 9. tum cur ita sit: qvia cupiditates carnales jam post lapsum, in multis, qvi non habent singulare donum continentiæ, ita sunt efferæ, ut eos (nisi conjugio ipsis occurratur) qvasi incendant, id est, ineptos reddant ad officia pia, & præcipites den. ad illicitas & turpes commixtiones th. 48. notatas.

XL. Institutio. 1. Hinc &c. hoc est finis conjugii primus est mutua corporum cõmunicatio: Ergò vir uxori, & uxor viro mutuam benevolentiam, seu mutuum conjugale reddere debet, id est, vir suæ uxori suum corpus, & uxor suo viro suum corpus communicare debet. 1. Cor. 7. 3. Ratio 1. Qvia corpus viri est in potestate uxoris, & corpus uxoris est in potestate viri, id est, qvia corpus viri est uxoris, & corpus uxoris est viri ℣. 4. 2. Qvia si conjuges se invicem fraudaverint, id est, debitam conjugale sibi invicem non reddiderint, vel maligne reddiderint, Satanas eos tentabit, id est, ad fornicationem sollicitabit, qvod facile impetrabit, qvia sunt incontinentes. ℣. 5. possunt tamen conjuges à se invicem abesse, 1. ad tempus ex consensu, 1. Cor. 7. 5. 2. ad tempus ex gravi causa, qvæ cum mu-

703147

cum mutua præsentia consistere neqvit. 2 Sam 11. 9. 9. 10. 3. cum uxor virum sine periculo seqvi neqvit. Gen. 12. 11. &c. l. 5. cas. c. 37. q. 3.

XLI. Institutio. 2. Hinc etiam &c. hoc est, finis primus conjugii est mutua corporum communicatio: Ergò sine conjugio, adeoqve sine mutua corporum communicatione, seu sine venere, vivere nō valentes, non possunt & debent cœlibes esse & cœlibatum vovere. Additur, sine venere vivere neqventes: nam donum continentiæ habentes, & ustionem precibus & jejunio evitare valentes propter instantem necessitatem, ut persecutionem, possunt cœlibatum eligere, 1. Cor. 7. 7. 26. l. 5. cas. c. 35. q. 1. r. 4 5. Observa ergò, etiam cleticis seu Ecclesiasticis licet matrimonium contrahere. Patet 1. an ita sit. Heb. 13. 4. Honorabile conjugium inter qvosvis, & cubile impollutum: Ergò cuivis hominum ordini licet matrimonium contrahere; imò etiam necessarium, & præceptum illis est, qvi se cōtinere non possunt. 1. Cor. 7. 2. 2. Cur ita sit. 1. Qvia votum cœlibatus, prout inter pontificios obtinet nō est castitatis, sed diabolicæ præsumptionis votum (credunt enim se posse abstinere á concupiscentia carnis, & illicita venere, cum non possint, sicut diabolus, credit se posse alicui dare gloriam mundi, cum non possit) conscientiæ laqveus (qvia cœlibatum voventes sua concupiscentia & venere illicita sæpè suæ cōscientiæ tranqvilitatē turbant) & vinculum impuritatis, qvia votum continentiæ magis sollicitat eam voventes ad incontinentiam, & illicitam venerem, juxta illud: Nitimur invetitū, &c. qvam eam non voventes. 2. Qvia Paulus Episcopis concessit conjugium. 1. Tim. 3. 2. Oportet Episcopum esse unius uxoris virum. 3. Qvia omnibus Apostolis licuit uxores ducere. 1. Cor. 9. ℣. 5. Et in specie Petrus dicitur fuisse uxoratus: Matt. 8. ℣. 13. 14. 4. Qvia veteris testamenti Sacerdotibus licuit esse uxoratis. 5. Qvia prohibitionem matrimonii Apostolus expresè appellat doctrinam dæmoniorum: 1. Tim. 4. ℣. 1. 6. Qvia Paulus expresse, sine ulla exceptione, scribit. 1. Cor. 7. ℣. 2. propter fornicationes, suam qvisqve uxorem habeat. Et ℣. 9. de cœlibibus, & vidnis non continentibus: qvod si se non continent, matrimonium contrahant: nam melius est matrimonium contrahere, qvàm uri. Refutatio. Ergò errant Pontificii Cleticos suos arcentes à conjugio. Obj. 1. Conjugium est immundities, & pollutio carnalis: Ergò ii, qvi sacra tractant, conjugium habere neqveunt. ℣. Non potest ergò esse Sacramentum. Dicunt hoc Pontificii contra Heb. 13. 4. Obj. 2. Paulus Tit. 1. 8. Episcopum jubet esse continentem: Ergó vult eum abstinere à matrimonio. Ratio consequentiæ: qvia continentia est abstinentia à matrimonio. ℣. Negatur consequentia: ratio ejus nulla est; qvia male definitur continentia per abstinentiam à matrimonio. Est enim locus cōtinentiæ tam in conjugio, qvam extra id. Unde ibidem ℣. 6. Apostolus vult Episcopum esse virum unius uxoris, qvem tamen nihilominus continentem

703147

qvoqve vult esse ℣. 8 Hinc in Synodo Nicæna Paphnutius continentiam qvoqve appellavit eum legitima uxore societatem. Vend. Is 1. c. 30. th. 12. expl. 2.

XLII. Secundus finis conjugii est mutuũ auxilium. Gen. 2. 18. Dixerat autem Iehova Deus, non est bonum hominem esse solum, faciam ei auxilium, seu adjutorium commodum ei: conjuges autem adjuvant se se mutuo non tantum in propagatione generis humani, seu in generatione (ut veteres voluerunt) sed in omnibus officiis hujus vitæ, qvæ sunt communia officia mariti & uxoris: qvæ sunt: 1. uno corde Deum colere, 1. Cor. 7. 5. 1. Petr. 3. 1. 2. generare & edvcare liberos, eosqve instituere in vera fide, & religione, Gen. 1. 28. Psal. 128. 1. Tim. 5. 14. & 2. 15. Eph. 6. 4. 3. familiam curare, 1. Tim. 5. 8. cum Prov. 31. adeoqve bona externa communicare saltem qvoad eorum usum, conjuges enim unionem & communionem carnis habent: Ergó & facultatum habere debent. Eph. 5. 31. 1. Cor. 7. 5. 4. Cohabitare, id est, unã domum, mensam, lectum habere, 1. Cor. 7. 10. 1. Petr. 3. 7. & qvidem pacificè, ne scandalo sint aliis, neve vita eorum sit cum tristitia, aut extranea solatia qværere cogantur, unde infamiam facile possint incurrere, 1. Cor. 7. 15. Prov. 15. 17. & Cap. 17. 1. adeoqve supra omnia Zelotypiam vitare, ne sibi continuam cordis anxietatem pariant, & mutuum incitamentum non servandi fidem conjugalem præbeant. Zelotypia enim est in conjugibus adulterii suspicio, affectus vehementissimus & charitati maximè adversans & societatem conjugalem conturbans. 5. Puritatem vitæ custodire; adeoqve debitum conjugale suo tempore sine fraude reddere, sicqve carnis concupiscentiæ mederi, ne illicito coitu se se polluere cogantur. 1. Thess. 4. 3. 4. 5. 1. Cor. 7. 2. 5. 6. Vitã tum spiritualem tum corporalem conservare: Sic Michol conservavit Davidem quum Saul illum interfectum vellet: Sic Abigail studuit conservandæ vitæ Nabalis. 7. Simul in prosperis lætari & in adversis tristari. 8. Aeqvo animo non rigido erga se invicem, uti in tolerandis infirmitatibus, seu defectibus; cum studio eos sanandi. Observa ergò Vir (inqvam) & fœmina adjuvare debent se mutuo non tantum in generatione; sed & in aliis omnibus recensitis officiis hujus vitæ præstandis, n. in Deo colendo, in generando, &c. Patet 1. an ita sit ex Gen. 2. 18. ubi mulier dicitur facta auxilium commodum homini in omnibus scil. officiis hujus vitæ: Ergò non in generatione tantum; sed etiam in aliis dictis officiis. Et ℣. 24. Vir reliqvit parentes suos; & adhæret uxori suæ, procul dubio non tantum, ut ea eum in generatione juvet; sed ut juvet etiam in iis, in qvibus eum parentes juvabant, si eos non relinqvisset. Obj. Julian: Apost: Mulier non juvit virum, sed decepit: Ergò non facta est auxilium. ℣. Conseq. negatur: qvia hoc fuit facti non juris. 2. Cur ita sit patet prius membrum, n. conjuges nõ tantum in generatione debere se adjuvare; si enim tantum concubitus aut generationis causa data fuisset mulier viro, nondum

703147

fuissent conjuges Adam & Eva in Paradiso ante lapsum, qvando nondum generationi operã dabant. Pareus in Gen. 2. 18. 2. Patet etiam secundum membrum, n. conjuges etiam in aliis necessariis debere se mutuo adjuvare, 1. qvia ideo facti sunt à Deo, 2. qvia unus sine alterius auxilio non potest esse. 1. Cor. 11. 11. Refutatio. Ergò errant illi, 1. qvi dicunt mulierem factam esse viro tantum adjutorium generationis, ut vides in Pareo in h. l. 2. qvi conjugium negant esse necessarium, ut Clerici. Illi sapientiores volunt esse Deo dicente: Non est bonum hominem esse solum, faciam ei auxilium. Correctio. Peccant ergò illi matrimonium contrahentes, qvi ad dictos fines obtinendos non sunt idonei: qvales sunt pueri, impotentes, senes. Exhortatio. Ergò: Conjuges in omnibus vosmetipsos juvate, Juvate ergò vos 1. in Deo colendo, ut Abrahamus & Sara, Isacus & Rebecca, Zacharias & Elisabetha. Luc. 1. 2. in generatione. Gen. 1. 28. 3. in liberis educandis, instituendis &c.

XLIII. An in istis dictis officiis par sit ratio mariti & uxoris, id est, an illa officia vitæ hujus, qvæ communia diximus esse marito & uxori, æqvè debent ab uxore præstari, ac à marito, seu uxor æqvè debetne Deum colere, generares liberos educare, docere, familiam curare &c. ac maritus?

Sic qvo-

Sic qvoad essentiam, sed non qvoad modum: nam officia illa præstare debet maritus, ut caput, uxor autem ut corpus, capiti obediens & illud imitans: qvod patet, 1. Cor. 11. 3—10. Officia communia conjugum maritus præstare debet ut caput ab uxore agnoscatur: Ergò mariti officia propria sunt, 1. uxorẽ fovere & nutrire. Eph. 5. 29. 1. Tim. 3. 4. 2. docere uxorem. 1. Petr. 3. 7. 1. Cor. 14. 35. 3. bene præesse uxori, seu bene gubernare vitam & actiones uxoris: 1. Tim. 3. 4. ut caput solet corpus suum. 1. Cor. 11. 3. 4. Uxorem non floccipendere, sed convenienter honorare, id est, sociæ, non ancillæ loco eam habere. 1. Pet. 3. 7. boni capitis est non contemnere corpus suum. Eph. 5. 29. 5. Uxoris infirmitates seu defectus, tanqvam vasis debilioris tegere, regere, & leniter corrigere. Coloss. 3. 19. Qværes ergò: An & qvatenus liceat marito uxorem peccantem coërcere? R. Potest ac debet, mediis illis qvæ societati conjugali non repugnãt: ut admonitionibus, reprehensionibus, atqve etiam denegatione qvorundam privilegiorum, qvæ piæ & morigeræ uxori debentur. Plagis autem ac verberibus uxorem castigare, non est mariti. Qvia 1. Provenit á savitia & amarulentia damnata. 2. Ingenuæ, amabili & amicabili conjugii societati adversatur. 3. Affectum conjugalem perimit utrinqve, tam in marito, dum uxorem tractat ut servam, qvam in uxore, dum videt se contemni & tyrannice tractari. 4. Experientia ipsa docet, ad emendationem & pacem familiæ hac ratione non perveniri. 5. Nullis legibus probatur: ne-

703147

qve est in usu, nisi furiosis aut ebriosis. Officia communia conjugum uxor debet præstare (ut dictum) ut corpus, marito suo, ut capiti obediens, eumqve ut caput imitans: Ergò officia uxoris propria sunt: 1. Subjectam se agnoscere marito. Eph. 5. 22. 2. Maritum suum revereri. Eph. 5. ult. 3. discere à marito. 1. Cor. 14. 35. 4. obedire marito suo. 1. Petr. 3. 5. 6. sed in Domino, id est, in rebus à Deo præceptis. Coloss. 3. 18. adeoqve non esse imperiosam, sed marito obsequentē, non esse Xantippen, id est, refractariam, cervicosam. sed morigeram. 5. Verecundiam & taciturnitatem colere. 1. Tim. 2. 9. 11. 6. Sedulo domum custodire: meretricis proprium est domi non posse sedere. Prov. 7. 10. 11. 7. A marito parta & in domum illata diligenter asservare, augere si possit, non dilapidare. Prov. 12. 3. & 14. 1. & 31. 10. 11. 12. &c. Qværes: An uxor possit aliqvid donare absqve consensu mariti? R. In qvibusdam casibus potest: ut 1. Si in qvibusdam bonis habeat liberam administrationem, & usum fructum: qvod in multis regionibus conceditur uxoribus circa bona paraphernalia, & qvæ sua industria acqvisiverunt. 2. Si faciat donationes ac elemosynas secundū consvetudinem aliarū fœminarum suæ conditionis. 3. Si qvantitas non sit notabilis, sed minuta, pro ratione bonorum, qvæ cum marito habet in communi. 4. Si fiat ex præsumta intentione & consensu mariti. 5. Si fiat ad impediendum grave damnum mariti. 1. Sam. 25. 18. 6. Si maritus sit absens, amens aut dissipator suorum bonorum.

XLIV.

XLIV. Qvid repugnat castitati?

Luxuria strictè accepta: duplex enim est luxuria: latè vel strictè accepta: Luxuria latè accepta est cum qvis corpus suum nimis delicate & molliter curat. Estqve 1. in vestitu, cum qvis gaudet aut utitur vestitu molliori & sumtuosiori. Exempl. In filiabus Sionis, Esa. 3. 18. 19. &c. Aulicis, Matt. 11. 8. Luc. 7. 25. Divite, Luc. 16. 19. Herode, Act. 12. 21. Bernice, 25. 23. qvi luxus fugiendus est piis mulieribus. 1. Tim. 2. 9. 1. Petr. 3. 3. 5. 2. In victu, cum qvis gaudet & utitur largioribus aut lautioribus alimentis. Exempl. illi, de qvibus Esa. 5. 12. Sodomitæ, Ezech. 16. 49. Dives, Luc. 16. 19. qvi luxus damnatur. Eph. 5. 18. 3. In habitatione seu ædificiis, eum qvis gaudet & utitur ædibus splēdidioribus & magnificentioribus. Exempl: Israelitæ illi, de qvibus Amos. 3. 15. 4. in re venerea: adeoqve luxuria strictè accepta est, cum qvis illicitæ veneri, seu coitui illicito, ejusqve causis, effectis, signis addictus est, & qvidem nimis. Exempl. est in filia Herodiadis, Matt. 14. 7. Marc. 6. 22. Qværes 1. Cur luxuria latè accepta notat illicitam corporis curam: luxuria verò strictè sumpta notet illicitam venerem? Qvia nimius corporis cultus ad illicitam venerem tanqvam consummatum corporis abusum tendit. 2. Qvî vocatur in S. Sacra luxuria strictè accepta? Vocatur impuritas, mollities, cupiditas mala, Coloss. 3. 5. lasciviæ, Rom. 13. 13. morbus cupiditatis. 1. Thess. 4. 3.

703147

Observa ergò. 1. Luxuria hæc strictè accepta sua natura gravissimum peccatum est, Patet 1. an ita sit ex illo: Non mechaberis, id est, ne luxuries: ubi luxuriæ prohibitio ponitur inter peccatorum sua naturâ gravissimorum prohibitiones. 2. Cur ita sit. 1. Qvia animam perdit, qvatenus naturam habet ustionis pietatem cordis consumentis, impedientis, & obruentis, 1. Cor. 7. 9. qvo sensu etiam cupiditates hujusmodi pugnare dicuntur adversus animam, 1. Petr. 1. 12. 2. Qvia corpus singulariter polluit & dehonestat, 1. Cor. 6. 18. 3. Qvia est perversa inordinatio rei gravissimæ, qvæ spectat non tantum ad bonum privatum, sed etiam ad commune bonum generis humani. 4. Qvia maximè demergit totum hominem, ut difficillime possit inde liberari, propter concupiscentiæ hujus intimam inhærentiam, assiduam importunitatem, & effrænem impotentiam. Hos. 4. 1. Prov. 2. 18. 5. Qvia ex isthoc peccato plurima alia prodeunt, tanqvam ex radice fœcunda: ut stultiloqvium, turpiloqvium, carnalis dispositio, & omnimoda alienatio à Deo. 6. Qvia infert secum gravissima incommoda vitæ naturalis. 7. Qvia lucem vitæ extingvens, simul peccatis est, & pœna peccati, atqve etiam gravissimarum pœnarum causa. Rom. 1. 24. &c. Correctio. Peecant ergò. Qvi luxuriam non credunt esse peccatum, nedum gravissimum.

2. Luxuria omnis venerea, seu impuritas omnis castitati repugnans, seu illicitus coitus est fugiendus. Patet 1. an ita sit ex illo: Non mechaberis, id est, fugias omnem impuritatem veneream, seu illicitum veneris usum. 2. Cur ita sit. 1. Qvia etiam jure naturali est illicita. Lev. 18. 27. 2. Qvia prohibita est à Deo in S. Scriptura. Eph. 5. 3. 4. 1. Thess. 4. 3. 5. 3. Qvia etiam in gentilibus à Deo punita est. Lev. 18. 24. 25. 4. Qvia certas attrahit pœnas. Lev. 18. 26. 28. 29. Eph. 5. 5. 5. Qvia similes reddit Gentibus infidelibus. 1. Thess. 4. 5. 6. Qvia est signum ignorantiæ Dei. 1. Thess. 4. 5. 7. Qvia ad eam Deus nos non vocavit. 1. Thess. 4. 7. Inprimis fugienda est Principibus & Magistratibus: 1. qvia illis præ cæteris est prohibita. Prov. 31. 3. 2. qvia adimit illis fortitudinem. Prov. 31. 3. 3. qvia evertit Reges & regna Prov. 31. 3. Correctio. Peecant qvi impuritati veneræ se totos dediderunt.

XLV. *Qvæ sunt causæ adjuvantes, effecta, signa, luxuriæ venereæ, seu illiciti coitûs?*

Impudici aspectus, nutus, oscula, amplexus, tactus, choreæ, spectacula (seu comœdiæ, & ludi scenici) cantica, gestus: qvi sunt 1. Causæ adjuvantes luxuriæ, qvatenus movent ad concupiscentiam carnalem, & eam favent. 2. effecta luxuriæ, qvatenus oriuntur à luxuria cordis. 3. signa luxuriæ, qvatenus effecta sunt signa suæ causæ.

Observa ergò, 1. Aspectus impudicus (qvi fit ad illicitas concupiscentias, & delectationes carnales) est fugiendus: qvod patet tum an ita sit ex exemplo Iobi illam fugientis Iob. 31. 1. tum cur ita sit. 1. Qvia prohibetur:

703147

hibetur: Non mechaberis, ne oculis qvidem, 2. qvia damnatur in muliere fatua, Prov. 9. 14. 15. & in falsis doctoribus. 2. Petr. 2. 14. 3. qvia adulterium dicitur esse. Matt. 5. 28. Correctio, Feceant ergò. 1. Qvi & qvæ impudice alios & alias aspiciunt, ut impuræ personæ. 2. Qvi res venereas vel in se, vel in pictura aspiciunt. 3. qvi vel qvæ nudum vel nudam aspiciunt, ut olim David malo eventu. 2. Sam. 11. 2. 4. qvi & qvæ libidinoso aspectui occasionem præbent, qvales sunt lascivum corporis ornatum habentes. 5. qvi animalia eocuntia aspiciunt. Tom. 2. 2. 9. 167. art. 2.

2. Impudica oscula, cantica, spectacula, choreæ, nutus, amplexus, tactus, gestus, &c. caveri debent: qvod patet tum an ita sit. Gal. 5. 21. Et similia: ubi libidinosa oscula, cantica, &c. subintelliguntur esse opera carnis, qvæ caveri debent; tum cur ita sit. 1. Qvia prohibentur: Non mechaberis, id est, fugias luxuriam, & ejus causas, effectus, signa, 2. qvia inchoative sunt, ipsa impura corporum commixtio. Rom. 13. 13. Coloss. 3. 5. Correctio, Ergò. Oscula, amplexus, tactus, libidinosi, id est, qvi fiunt vel ad excitandam vel fovendam concupiscentiam carnalem, vel delectationem carnalem inter non-conjuges, sunt illiciti: qvod patet tum an ita sit ex Gal. 5. 21. tum cur ita sit, qvia sunt progymnasmata impudicitiæ, qvia sua natura tendunt ad corporum commixtionem, & sunt ejusdem qvasi inchoatio. Rom. 13. 13: Coloss. 3. 5. Hoc satis indicant luxuriæ Magistri comicis suis illis sententiis: semper tu cito, flamma amo est proxima. Qvi é nucleo nucem esse vult, frangit nucem: qvi vult cubare, pangit saltem suavium. Qværo deinde illecebram stupri, principio eam suavium posco. Informatio. Ergò. 1. Oscula & amplexus, qvi ex more patriæ ad benevolentiam honestam significandam adhibētur sunt liciti. Gen. 29. 11. 2. Choreæ vulgares libidinosæ, qvæ inter vitos & mulieres haberi solent, sunt illicitæ: qvod patet tum an ita sit ex Gal. 5. 21. ubi choreæ (ut dictum) perverba, & similia, innuuntur esse opera carnis: tum cur ita sit. 1. Qvia in istis adhibentur gressus, motus, incessus indecori, qvi vel insaniam meram produnt, vel toti ad lasciviā compositi sunt, qvales Deus in Ierosolymitanis mulieribus ferre non potuit. Esa. 3. 17. 2. Qvia in istis contrectantur puellæ & matronæ impudicis manibus, seu basiis, meretricibusqve complexibus. 3. Contra, Non mechaberis, 2. Contra, 1. Ioh. 2. 15. & 16. 3. Contra, 1. Thess. 5. 22. 3. Qvia sunt irritamenta libidinis, ut ex dictis patet. 4. Qvia sunt effecta & comites commessationum ac exapularum, ut patet ex Exod. 32. 6. (1. Cor. 10. 7.) 1. Sam. 30. 16. 5. Qvia sunt occasiones amittendi temporis, qvod redimere jubemur Eph. 5. 16. 6. Qvia fiunt pleraumqve nulla habita convenientis temporis ratione, n. aut die Dominico, qvo melius esset arare, qvam saltare, ut Augustinus dixit in Psal. 91. aut eo tempore, qvo respubliea aut Ecclesia misere afflicta jacet, cum tunc non saltandi; sed lugendi potius tempus sit, Eccl. 3.

703147

Eccl. 3. 4. 7. Qvia innumera mala pariunt. Hinc enī oriūtur rixæ, ex rixis cædes experientia teste. Hinc ortum fuit stuprum Dinæ, cum illa egressa esset ad spectandas puellas Sichemiticas choreas ducentes, ut colligitur ex Gen. 34. 1. Hinc factum est, ut raptæ fuerint à Beniamitis virgines Silonitæ. Iud. 21. 23. & amputatum fuerit caput Iohāni Baptistæ. Matt. 14. 6. & seqq. 8. Qvia damnatur Herodes, qvod saltatio Herodiadis ipsi placuerit. Marc. 6. 22. 9. Qvia saltationes damnantur, Rom. 13. 13. 1. Petr. 4. 3. nam ibi damnatur Komos, qvæ vox significat, non tantum commessationes; sed etiam saltationes, ut vel ex eo patet, qvod Komos dictus sit apud Ethnicos Deus, qvi commessationum & nocturnarum saltationum præses habebatur. Notat Ames. l. 5. cas. c. 39. q. 6. & alias rationes. Correctio. Peccant ergò qvi has choreas defendunt & ducunt. 1. Obj. Admitti possunt istæ choreæ, 1. si in iis teneatur modus, nec nimis frequentētur. 2. si instituantur tantū delectationis ergò, non ex levitate aliqva, vel libidinis causa. 3. si fiant in præsentia honestarū personarū: Ergò non simpliciter sunt damnandæ. R. Conseq. negatur. 1. Qvia frustra modus requiritur in insolentia & insania, & similibus, qvæ in excessu modi consistunt. 2. Non finis tantum vel intentio operantis, sed & finis operis, & qvid ex eo consequi soleat, in conscientiis nostris debet expendi: præsertim cum res ipsa est nullo modo necessaria. Honestis personis scandala possunt præberi. At si sint extra periculum scandali, eo majore dignæ sunt reverentia, qvæ prohibet leves & insanas ineptias coram ipsis exercere. Obj. 2. Choreæ illæ sunt conciliatrices benevolentiæ, inter adolescentes & puellas, & sic conjugii contrahendi: Ergò sunt licitæ. R. Conseq. negatur. Qvia non qvælibet occasio conjugiorum est probanda; sed occasio honesta conjugii impolluti. Obj. 3. Saltavit Maria. Exod. 15. 20. Mulieres zraelitiæ, 1 Sam. 18. 6. 7. David. 2. Sam. 6. 14. 16. Ergò choreæ vulgares non sunt damnandæ. R. Conseq. negatur. 1. Qvia hæ choreæ non erant 1. vulgares, sed extraordinariæ. 2. libidinis; sed gratitudinis erga Deum declarandæ causa institutæ. 3 Non inter mulieres & viros; sed vel inter solas mulieres; vel inter solos viros. Maria saltavit cum solis mulieribus, David cum solis viris, non cum puellis & matronis. Olim in honorem Dei pii saltabant dicto modo, ut etiam in honorem idolorum idololatræ. Exod. 32. 6. ut etiam hodie idololatræ hoc non negligunt, sed hodie piis hoc facere non placet.

3. Spectacula, id est, comœdiæ, ut ludi scenici, qvales jam in usu vulgari habentur, sunt prorsus illiciti. Patet 1. an ita sit. Gal. 5. 21. ubi per verba, & similia innuuntur etiam isti ludi esse opera carnis, qvæ prorsus damnāda sunt. 2. Cur ita sit. 1. Qvia sunt luxuriæ causæ adjuvantes, effecta, signa. 2. qvia consistunt in repræsentatione vitiorum, qvæ nec nominare licet. Eph. 5. 3. nedum repræsentare. 3. Qvia in iis actores speciem mali induunt, induunt enim personam peccantium:

703147

At hoc facere actoribus est tum illicitum, Thess. 5. 22. tum periculosum, quia inducentes eorum personam & magno studio disponentes se se ad eorum peccata ad vivum exprimenda, disponunt se se ad illa etiam facienda. Experientia teste, quosdam in istis ludis agendis gestus indecentes ita sibi induisse, ut longo tempore non potuerint eos denuo exuere. 4. Quia in istis ludis quædam peccata ita repræsentantur, ut simul etiam re ipsa exerceantur, ut stultiloquia, turpiloquia, dejerationes vanæ, execrationes, &c. 5. Quia in istis ludis viri induunt muliebria vestimenta, faciem & gestus: quod & verbo Dei adversatur: Deut. 22. 5. & magnum incentivum est impudicitiæ, atque etiam occasionem præbet, rectaque ducit ad illas fœditates, quæ sunt contra naturã. Rom. 1. 27. 6. Quia in comœdia actores & spectatores oblectationem quærunt ex iis, quorum ipsos pudere deberet, Rom. 6. 21. 7. Quia spectatores comœdiarum periculo manifesto se objiciunt. Nam qui modestiores sunt vix & ne vix quidem effugere possint morosas cogitationes & delectationes de rebus illicitis: qui vero minus modesti sunt discunt facere, quæ sine verecundia consuevere unt audire & videre. Scivit hoc ex Ethnicis Seneca, qui sic scribit: Nihil est tam damnosum bonis moribus, quam in aliquo spectaculo, (seu comœdia, & ludo scenico) desidere. Tunc enim per voluptatem facilius vitia subrepunt. 8. Quia si qui tam ferreo sunt pectore, ut non moveantur istis ludis scenicis, tamen scandalum præbent aliis, qui eorum exemplo ad pericula & peccata trahuntur. 9. Quia in comœdia magni sumptus vanè & noxiè fiunt, pecuniis enim in unam comœdiam expensis multi pauperes per aliquot menses possent sustentari. 10. Quia Histriones jure civili sunt infames, & in Ecclesia primitiva fuerunt excommunicati. 11. Quia olim solenne votum fuit omnium baptizatorum: abrenuncitio diabolo, pompis, spectaculo, & operibus ejus, Correctio. Damnandi ergò sunt comœdias instituentes, & spectantes Obj. 1. Comœdia recreat hominem: At recreatio homini est necessaria: Ergò comœdia damnari non debet. N. Anteced. falsum: Peccatum enim non recreat hominem; sed fatigat, Matth. 11. 30. At comœdia est peccatum, ut probavimus: Ergò, Obj. 2. Comœdia multas utilitates habet, n. juvat intellectum & memoriam in cognitione rerum; vitiorum fugam, & virtutum studium promovet; mores civiliores reddit; linguam promtiorem ad loquendum efficit; audaciam confert: Ergò non est damnanda. N. Anteced. falsum. 1. Si comœdia has utilitates haberet, probaretur in scriptura: At hoc falsum: Ergó & illud. 2. Si comœdia medium istarum utilitatum esset, sanctificaretur ad istos fines à Christianis verbo & precibus: At inauditum est, ut quis precibus se paret ad comœdiam vel producendam, vel spectandam. 3. Comœdia intellectum pollit, vitia promovet, virtutes extinguit, ut experientia docet, & mores histrionum clamant. 3. Obj. Comœdia potest habere finem honestum; materiam laudabilem,

703147

ut historiam Biblicam; actores honestos, ab omni levitate & scurrilitate alienos: Ergò non est damnanda. R. Anteced. negatur. 1. Res inhonesta, qualis est comœdia, non potest honestum finem habere. 2: Non licet comœdiam de rebus sacris instituere, quia non licet ludere rebus sacris, juxta 3. præceptum. 3. Si levitatem & scurrilitatem à comœdia tollas, ipsam comœdiam tolles, quia nec actores, nec spectatores habebit. Observavit hoc olim Ethnicus Philosophus, Tusc. Quæst lib. 4. O, præclaram emendatricem vitæ pœticam, quæ amorem flagitii, & levitatis auctorem, in concilio Deorum collocandam putet. De comœdia loquor: quæ si hæc flagitia non probaremus, nulla esset omnino.

XLVI. Quæ porro sunt causæ adjuvantes luxuriæ venereæ, seu illiciti coitûs?

Commessationes & ebrietates, de quibus supra etiam c. 2. ad th. 31. Commessationes & ebrietates, luxuriam seu lasciviam efficiũt: quod patet tum an ita sit, ex Rom. 13. 13. ubi commessationes & ebrietates ambulare faciũt in lasciviis. Ezech. 16. 49. ubi cibi saturitas dicitur esse causa iniquitatis seu lasciviæ Sodomi. Prov. 23. 31. 33. ubi respectus vini, quod inebriat, efficit respectum alienarum, id est, lasciviam quem efficit: tum cur ita sit quia sine pane & vino friget venus. Observa ergò: Commessationes & ebrietates vitari debent: quod patet tum an ita sit ex damnatis exemplis sacerdotum. Esa. 28. 7. 8. Servi. Luc. 12. 45. Prodigi. 15. 13. 30. Divitis, 16. 19. hominum viventium tempore Noe. 17. 18. tum cur ita sit: 1. Quia sunt causæ adjuvantes lasciviæ, ut dictum Prov. 23. 31. 2. Quia earum finis exitium æternum est. Luc. 16. 25. Phil. 3. 19. 3. Quia pauperes reddunt. Prov. 21. 17. exemplum est in filio prodigo. Luc. 15. 13. 30. cum 7. 14. & seqq. 4. Quia prohibentur. Rom 13. 13. Prov. 23. 20. 31. Luc. 21. 34. 5. Quia noxia sunt ejus effecta: 1. impedit 1. meditationem operũ Dei. Esa. 5. 12. 2. cogitationem de adventu Christi, Luc. 21. 34. 3. Preces, 1. Petr. 4. 7. 2. accendit itas & rixas, Prov. 20. 1. & 29. 30. 3. scandalum præbet, ut in Noacho, 4. regno Dei excludit. 1. Cor. 6. 10. Diligenter ergò vitemus commessationes & ebrietates, & studeamus sobrietati. 1. Qvia Deus mandat. 1. Petr. 5. 8. 2. Qvia ad eam vocati sumus. 1. Thess. 5. 8. 3. Qvia precum necessitas & mundi finis hoc exigit. 4. Qvia Satanas insidiatur. 1. Petr. 5. 8. Studeamus etiam vigilantiæ. 1. Petr. 5. 8.

XLVII. Quæ porro sunt effecta & signa luxuriæ venereæ, seu illiciti coitûs?

1. Luxus, in vestitu scil. seu lascivus vestitus: qvi est 1. effectum luxuriæ. Prov. 7. 10. ubi ex luxuria, seu lascivia mulieris ortus est ejus meretricius ornatus, id est, lascivus vestitus. 2. Signum luxuriæ. Prov. 7. 10. ubi luxuriæ mulieris signum est meretricius ejus ornatus, id est, lascivus vestitus. Obser-

703147

va. Luxus in vestitu, seu lascivus vestitus est fugiendus omnibus: qvod patet 1. an ita sit ex damnatis, supra dictis exemplis filiarum Sionis, Esa. 3. 18. 19. &c. Aulicorum. Matt. 11. 8. Divitis. Luc. 16. 19. Herodis. Act. 12. 21. Bernice, 25. 23. 2. Cur ita sit. 1. Qvia à Deo prohibetur. Exod. 20. 26. 1. Tim. 2. 9. 1. Petr. 3. 3. 2. Qvia pœna lascivum vestitum gerentium est tum temporalis, tum æterna, ut apparet ex pœnis filiarum Sionis, Divitis, Herodis. Correctio. Peccant ergò lascivum vestitum gerentes, non tantum pauperes, qvos talis vestitus exhaurit; sed etiam Divites. Luc. 16. 19. ubi Dives videtur, qvod qvotidie purpuram & byssum induerit. 2. Verborum obscœnitas: qvæ est 1. effectum luxuriæ, impuritas enim sermonis oritur ex impuritate cordis. Luc. 6. 45. 2. Signum luxuriæ, qvia effectum est signum suæ causæ. Observa. Obscœnitas verborum, seu sermones obscœni sunt cavendi: qvod patet tum an ita sit. Eph. 5. 4. Obscœnitas scil. verborum. ne nominator qvidem inter vos. Sic Coloss. 3. 8. tum cur ita sit. 1. Qvia sunt effecta & signa luxuriæ venereæ. 2. Qvia sunt putridi, id est, ædificationi repugnantes. Eph. 4. 29. 3. Qvia adversantur verbo Dei & naturæ, qvia qvæ verbum Dei & natura occulta esse volunt, obscœni sermones impudenter propalant. 4. Qvia audientes corrumpunt, id est, iis venereas cogitationes suggerunt, eosqve ad libidinem accendunt. 1. Cor. 15. 33. Recte Ambrosius, de pœnit. l. 1. c. 14. Pascitur libido convivijs, nutritur delitijs, vino accenditur, ebrietate flammatur. Graviora his sunt fomenta verborum, qvæ vino qvodam Sodomitanæ vitiis mentem inebriant. 3. Qvia loqvi de illicito coitu animo oblectandi, est eum ore patrare. 6. Qvia sermones obscœni ex naturali qvodam pudore, non verbis simplicibus explicari, sed per metaphoricas phrases obliqve solêt insinuari: unde fit ut ex occasione similium verborum, ac phrasium, pii sermones ac meditationes, & preces ipsæ, illis imaginationibus se se ingerentibus, sæpe infestentur, polluantur aut impediantur. Hac autem ratione frequentatio sermonum obscœnorum magis noxia videtur pietati, qvam simplex actus fornicationis. 7. Qvia lingva glorificans Deum, non potest turpia loqvi. Iac. 3. 10. &c. Correctio. Peccant ergò. 1. De rebus turpibus, ut pudendis, coitu, &c. loqventes. 2. Amatoria cantica canentes. 3. Obscœna scripta legentes. 4. Gestibus impudicis utêtes, illi enim apud lascivos sermonũ obscœnorũ loco habẽtur. Prov. 6. 12. 13. 25. 5. Obscœnos sermones, venerea cãtica decantata, & venerea scripta lecta audiẽtes. Causæ, effecta, signa luxuriæ enumerata inchoative sunt etiamipsa luxuria, lascivia, impuritas: ut ex verbis authoris apparet, qvi sic loqvitur: th. 45. & etiam luxuriam veneream distinxit, in luxuriam cordis, sermonis, oculorum, tactus. l. 5. cas. c. 39. q. 2. & seqq.

XLVIII. *Qvæ sunt species luxuriæ venereæ?*

1. Scortatio, cum solutus, liber seu non conjugatus coit cum soluta, libera seu non con-

jugata,

703147

jugata. Estqve 1. stuprum, cum non conjugatus coit cum non conjugata, qvæ antea fuit pura persona, n. honesta virgo, vel vidua: ut Sichem cum Dina, 2. Fornicatio, cum non conjugatus coit cum non conjugata, qvæ antea fuit persona impura, n. meretrix, ut filius prodigus cum meretricibus. Luc. 15. 30. Caveri debet scortatio. Non mechaberis, id est, ne scorteris, id est, ne stupes, & fornicetis. 1. qvia divinitus prohibita est. 2. qvia est malus lubricum & vix evitabile iis, qvi semel illud barathrum ingressi sunt. Prov. 23. 27. 3. qvia ille tanqvam prædator insidiatur homini, & multos reddit sceleratos, perfidosqve in Deum & homines. Prov. 23. 28. 4. qvia punietur æterna exclusione è regno Dei. 1. Cor. 6. 10. Et qvia evitare peccata est vitare occasiones peccati, summopere à puellarum & fœminarum impudicarum, blandimentis suis alios allicientium, colloqviis & conversatione cavendum. 1. qvia puella aut fœmina impudens blanditiis suis alios provocans est qviddam amarius morte. Eccl. 7. 26. Inveni ego amarius qviddam morte, n. fœminam illam cujus in animo sunt retia & plagæ, id est, doli, artes, & technæ omnis genetis ad venandum insciendum decipiendum & necandum homines tanqvam feras, volucres, & pisces. 2. qvia miseros homines captivos agit. Obj. Scortatio non est peccatum, qvia numeratur inter res adiaphoras. Act. 15. 29. & dicitur apud Comicum, non est flagitium, crede mihi, adolescentem scortari: Ergò non est cavendo. R. Scortatio ideo numeratur inter res à diaphora

phoras, qvia pro adiaphora à gentibus conversis habebatur. Deinde mentitur ille apud Comicum. 2. Adulterium, cum conjugatus coit cum conjugata, qvæ est alterius uxor, vel sponsa, ut David cum uxore Uriæ, vel cum non conjugatus coit cum conjugata, qvæ est alterius uxor, vel sponsa. Deut. 22. 23. 24. Adulterium est detestandum. Non mechaberis, id est, ne committas adulterium. 1. qvia à Deo interdictum. Lev. 18. 20. Prov. 2. 16. 17. &c. 5. 7. 8. 20. &c. 6. 7. 23. 24. 25. & Cap. 7. 24. 25. 2. qvia ut nullum peccatum, ita nec adulterium Deum latere potest. Prov. 5. 21. 3. qvia gravia judicia Dei attrahit etiam in hac vita. Prov. 2. 18. 19. & cap. 5. 3. 4. 6. 9. 10. 11. 22. 23. 24. 25. & 6. 26. usqve ad finem capitis. Item cap. 7. 21. 22. 23. Docet id exemplum Davidis. 4. qvia est indictum fatalium & dementiæ. Prov. 7. 4—8. 5. qvia punietur exclusione æterna è regno Dei 1. Cor. 6. 10. 3. Incestus, cum conjugatus vel non conjugatus, consanguineus, vel affinis, coit cum conjugata, vel non-conjugata, consanguinea, vel affine, ut filiæ Lothi cum parente suo: Ammon cum sorore sua Thamara, privignus cum sua noverca. Gen. 35. 22. 1. Cor. 5. 1. Incestus est vitandus: Non mechaberis, id est, ne committas incestum. 1. qvia divino jure severiter est interdictus. Lev. 18. 6. & seqq. 2. qvia morte capitali plectendus est de jure divino. 4. Raptus, cum conjugatus vel non conjugatus, coit cum conjugata vel non conjugata vim passa, ut Sichem cum Dina. Raptus hic est flagi-

703147

est fugiendu. Non mechaberis, id est [illegible] coitum aliquam rapias: qvia severe punitur Deut. 22. 5. Coacubitus contra naturam, id est, peccata muta: n. 1. Sodomia, cum vir conjugatus vel non conjugatus coit cum viro conjugato, vel non conjugato; vel cum fœmina conjugata, vel non conjugata coit cum fœmina conjugata vel non conjugata. Sodomia est abominanda. Non mechaberis, id est Sodomiam vites. 1. qvia jure divino est interdicta. Lev. 18 22. 2. qvia à Magistratu justu Dei capitali supplicio punitur. 3. qvia punietur æterna exclusione è regno Dei. 1. Cor. 6. 10. 2. Bestialitas, cum vir conjugatus vel non-cõjugatus coit cum bestia fœmina; vel fœmina conjugata vel non conjugata coit cum bestia mare. Bestialitas nec cogitanda. Non mechaberis, id est, bestialitatem fugias: 1. qvia divinitus est interdicta. Lev. 18, 23. 2. qvia mortis supplicio est à Magistratu puniendajussu Dei. Exod. 22.19. 3. Mollities, cum qvis per seipsum voluntariè polluitur. Fugienda est mollities. Non mechaberis, id est, nefis mollis. Ratio. Qvia excludit regno Dei, 1. Cor. 6. 9.

XLIX. 1. *Qvid adversatur conjugio?*

Maximè propriè, & essentialiter adulterium adversatur conjugio. Additur, maximè propriè, & essentialiter, qvia adulterium (ut vides) communiter castitati repugnat, qvia luxuria, cujus species est adulterium, castitati repugnat, sed propriè adversatur saltem castitati conjugali, seu conjugio, ut ex definitionibus eorum patet. Patet responsio. 1, an ita sit. Matt. 5. 32. & 19. 9. 2. Cur ita sit. 1. Qvia adulterium tollit conjugii 1. fœdus, seu consensum in conjugium, seu mutuam conjugii promissionem, qvia vir & fœmina consentiunt in conjugium sub conditione vitandi adulterii, qvâ sublatâ, tollitur consensus in conjugium, juxta illud: Violatis conditionibus violantur pacta. 2. Vinculum, seu fidem & obligationem ad mutua officia matrimonii faciendæ; qvia sublato contractu tollitur obligatio ad officia mutuo præstanda, in contractu facta. 2. Qvia per conjugium duo fiunt una caro; Gen. 2. 24. sed per adulterium duo fiunt divisa caro. 3. Qvia conjugium est unius viri & fœminæ conjunctio individua; sed adulterium est unius viri & plurium fœminarum, vel unius fœminæ & plurium virorum conjunctio dividua. 4. Qvia in adulterio unus cum duabus fit una caro, n. cum propria uxore & scorto. 1. Cor 6. 16. At fieri non potest, ut unus cum duabus fiat una caro. Gen. 2. 24. 2. Qvæ est propria & justa causa divortii faciendi? Propria & justa causa divortii ante mortem faciendi est adulterium, & similis impuritas nefanda, qvalis est Sodomia, bestialitas: qvod patet tum an ita sit. Matt. 5. 32. & 9. 9. tum cur ita sit: qvia adulterium conjugii fœdus & vinculum ex sua natura abrumpit, ut dictum. 1. Obj. Præcc. Divortium non admittitur ob graviora peccata, n. idololatriam, homicidium, blasphemiam &c. Ergò nec ob adulterium, qvod levius peccatum est, admittendum erit. R. Consequ. negatur qvia a-

703147

qvia adulterium solvit vinculum conjugii, sed dicta illa peccata non item. 2. Obj. Obstinata desertio etiam est justa causa divortii; 1. Cor. 7. 15. Ergò non tantum adulterium est justa causa divortii. ℟ Justa causa divortii faciendi est solum adulterium; sed justa causa divortii patiendi est etiam obstinata desertio, L. 5. ead. c. 18 q. 1. r. 5. Vend. l. 1. c. 30. th. 16. Huc loc. 19. q. 15. Pol. l. 10. c. 55. Non tantum ille est autem pro malitioso desertore habendus, qvi conjugem suũ sine causa deserit, sed & ille qvi gravi sævitia conjugem suum abigit. Ames. citato loco. 3. Obj. Mors etiam est justa causa divortii. 1. Cor. 7. 39. Rom. 7. 2. 3. 4. Matth. 22. 30. Ergò non solum adulterium. ℟ Justa & propria causa divortium faciendi post hanc vitam est etiam mors; sed nos loqvimur de justa causa divortii faciendi ante mortem. Qværes ergò, An viduis ad secunda vota liceat transire? Sic: qvod patet tum an ita sit ex exemplo Abrahami post mortuam Saram Cethuram ducentis. Gen. 25. 1. tum eam ita sit. 1. Qvia ut dictum mors finit & solvit conjugium licet Tertullianus & Hyeronimus olim aliter senserint, ut secundas nuptias damnare possent. 2. Qvia sententia illa Dei perpetuò vera est. Gen. 2. 18. Non est bonum hominem esse solum. 3. Qvia mulieri viduæ licet nubere toties, qvoties mortuus fuerit vir ejus. Rom. 7. 2. 3. 1. Cor. 7. 39. 4. Qvia præcipitur mulieribus viduis nubere. 1. Tim. 5. 14. Qvia melius est nubere, qvam uri 1. Cor. 7. 9. Et Apostolus præcipit etiã cœlibibus ac viduis, ut si se

ut si se non continent, matrimonium contrahant, ℣. 8 9. Et sine causa desertum, vel desertam liberat á vinculo conjugii, id est, ei aliud matrimonium contrahendi facultatem concedit, ℣. 15 Refutatio. Errarunt ergò olim Tertullianus & Hieronymus, qvi secundas nuptias in Christianis damnarunt, vel saltem personis Ecclesiasticis prohibitas affirmarũt. 4. Obj. Impotentia, lepra, rabies, & alius morbus consvetudinem conjugalem impediens, præsertim conjugium seqvens, sollicitatio ad apostasiam, absentia voluntaria ultra tempus præscriptum, vel moribus constitutum durans, etiã sunt justæ & propriæ causæ divortii faciendi: ergó non solum adulterium. ℟. Veram juxta Theologos. Qværes: 1. Propter adulterium estne in omnibus casibus divortium concedendum? In qvibusdam non videtur concedendum esse. 1. Si qvi divortium petit, ejusdem criminis reus est. Occurrit enim illud: In qvo alterum judicas, teipsum condemnas, qvi facis eadem. Rom. 2. 1. 2. Si matitus uxorem prostituerit, non potest adulteram excludere, cum ipse criminis author existat. 3 Si postqvam cognovit de conjugis adulterio, cum ea rursum convenit, nam ejusmodi consvetudo pro reconciliatione habetur: vel si eum nocente semel in gratiam redierit. Hic enim ipsa ratio dictat innocentem videri juri suo renuntiasse. 4. Si fornicatio fuerit sine crimine, ut si mulier vim passa fuerit, aut ex ignorantia cum eo rem habuerit, qvem virum suum esse credebat, cum tamen esset alienus, 2. Qvæ sunt injustæ causæ divortii faciendi?

703147

endi? Ut etiam supra diximus: 1. Infacilitas, 2. infidelis desertio respectu deserentis, 3. morbus gravis matrimonium consequens, 4. sterilitas. 5. paupertas, morositas, ebrietas, conspurcatio lecti &c. Obj. Deut. 24. 1 &. Lex illa fuit permissiva. Matt. 19. 7, 8. ut etiam Deut 21, 15. non probativa. 6. blasphemia, homicidium, 7. punitio per carnificem facta. 8 voluntaria absentia ultra tempus præscriptum, vel moribus constitutum &c. 9 Divortium & repudium differuntne? Iuxta scripturam non; sed ita juxta Theologos: illi enim repudium dicunt esse inter sponsum & sponsam; divortium verò inter virum & mulierem. Quæ sunt ergò justæ repudii causæ? 1. Cognatio & affinitas. 2. Immaturitas ætatis. 3. Dissensus parentum. 4. Consensus a tertiis coactus, vel erroneus. 5. Infamia, in quam post sponsalia propter aliquod flagitium alteruter incidit. 6. Gravè vitium corporis vel animi in quod alteruter incidit, quod usum conjugii abominandum vel calamitosum reddit, n. lepra, epilepsia, paralysis incurabilis &c. 7. Voluntaria absentia alterutrius ultra tempus moribus constitutum. 8. Apostasia alterutrius à vera religione. 9. Tanta offensio animorum sponsi & sponsæ; ut conciliari nullo modo possint, ne ex coactis nuptiis aliquid turpe & nefarium sequatur, ita tamen ut levitatis & fidei non servatæ rei pœnas luant. 10. Alterutrius membri mutilatio, quâ persona fœda & deformis redditur. 11. Alterutrius adulterium.

L. An

L. An adulterium admissum tantum usum, vel etiam vinculum conjugii solvat?

Divortium justum, quod sit propter justam causam, n. adulterium, conjugii dissolvit & usum & vinculum. addatur, justum: quia divortium injustum, quod fit ob injustas causas, non solvit conjugium, nec quoad usum, nec quoad vinculum, quamvis dissolutio censeatur ab Ecclesia pronuncietur, adeoque personæ, quæ sic separantur, & ad secundum conjugium transmittuntur, ad perpetuum adulterium transmittuntur. Matt. 5. 32. Ut ergò ad quæstionem jam respondeam; adulterium solvit cõjugii & usum, id est, officia mutua, quæ supra recensuimus, & vinculum, id est, obligationem ad illa officia. Patet 1. an ita sit, Matt. 5. 32. ubi in adulterii causa totalis dimissio probatur, id est & dimissio quoad usum, n. domum, mensam, lectum, & dimissio quoad vinculum, n. obligationem ad usũ. Sic Matt. 19. 9. ubi etiam dimittens uxorem propter adulterium, & aliam ducens non moechari dicitur: At hoc diei non posset, si adulterium conjugii vinculum non solveret. Sic 1. Cor. 7. 15. Ubi in causa obstinatæ desertionis pars innocens liberatur à conjugii vinculo: Ergò multò magis in adulterii causa. 2. Cur ita sit. 1. Quia adulterium conjugii contractum (ut dictum) tollit: Ergò & vinculum contractus conjugalis. 2. Quia alienum est ab omni ratione, ut conjugii usus, seu officia omnia matrimonialia, quæ supra recensuimus,

703147

in perpetuum tollantur, & vinculum tamen, seu obligatio ad illa officia continuetur. Refutatio. Etsi ergò Pontificii docentes conjugium, ob adulterium qvoad cohabitationem solubile, qvoad vinculum autem seu obligationem ad cohabitationem insolubile esse, Ener. Bellar: tom. 3. l. 7. c. 2. Qværes 1. An persona innocens ob adulterium separata ad aliud matrimonium transmitti debeat? Sic qvod patet tum an ita sit, Gen. 2, 18. tum cur ita sit. 1. qvia adulterium solvit innocentem à nocente, & qvoad usum & qvoad vinculum, ut dictum. 2. Qvia inqvit Christus D. Matt. 19. 9. Si qvis uxorem dimiserit extra causam adulterii, & aliam duxerit, mœchabitur: Ergò contra si qvis dimiserit uxorem propter adulterium, & aliam duxerit, non mœchabitur. Refutatio. Etsi ergò Pontificii personæ innocenti ob adulterium separatæ, qvamdiu vivit nocens novum conjugium denegantes Thom. suppl. 3. p. q. 62. art. 5. 2. An persona nocens propter adulterium separata, si à Magistratu juxta legem Dei capitis supplicio non afficiatur, ad novam conjugium transmitti debeat? Sic judicant Ames. l. 5. cas. c. 38. q. 2. th. 14. Busan. loc. 12. q. 16. Et benè. qvod patet tum an ita sit. Gen. 2. 18. tum cur ita sit. 1. Qvia adulterium etiam personam nocentem solvit ab innocente & qvoad usum & qvoad vinculum, Matt. 5. 32. & 19. 9. Ergò ad novum conjugium transmitti debet. Ratio conseq. qvia propter priorisconjugii vinculum non posset ad novam conjugium transmitti. 2. Qvia per pœnitentiam publicam

publicam Ecclesiæ membrum sit: Ergò ad novum conjugium transmitti debet. Ratio conseq. qvia Ecclesiæ membrum ad novum conjugium transmitti debet. 3. Qvia liberatur per pœnitentiam publicam ab adulterio: Ergò etiam à pœna adulterii, n. conjugii novi privatione. 4. Qvia per adulterium non solvitur ita matrimonii vinculum, qvin possit ex innocentis consensu continuari, ac renovari, 1. Sam. 25. 44. cum 2. Sam. 3. 14. Ratio est, 1. qvia divortium est in favorem partis innocentis, potest autem innocens cedere juri suo. 2. qvia divortium non est præceptum, sed tantum permissum & probatum, l. 5. cas. 38. q. 2. th 15 5. Qvia si persona nocens vita non privatur, nec matrimonio privari debet: indulgentia enim una trahit alteram: cõcesso majori minus concedi debet. Refutatio. Ergò etsi Pontificii hoc negantes, Thom. suppl. 3. p. q. 62. art. 5. 1. Obj. Mulier vivente viro mœcha vocabitur, si fiat alterius viri. Rom. 7. 3. Ergò ad novum cõjugium transmitti non debet. R. Conseq. negatur, qvia mulier vivente viro mœcha vocabitur, si fiat alterius viri, non absolutè, sed secundum qvid, si scil. per adulterium suum, vel mariti, vel per aliam justam causam non sit liberata, a sui viri vinculo. 2. Obj. Qvi agglutinatur scorto, unum corpus est cum scorto. 1. Cor. 7. 16. Ergò discere qvis mulierem ob adulterium separatam non debet. R. Conseq. negatur: qvia scorum Ecclesiæ per publicam Pœnitentiam reconciliatum non potest dici scortũ. 3. Obj. Uxor mariti sine causa de-

703147

serens non potest nubere. 1. Cor. 7. 11. Ergò multò minus uxor adultera. R. Conseq. negatur. qvia diversa est ratio obstinatæ desertionis, & adulterii: nam obstinata desertio licet innocentem liberet à vinculo nocentis, tamen nocentem non liberat à vinculo innocentis, sed adulterium liberat & nocentem à vinculo innocentis, & innocentem à vinculo nocentis. Instantia. Si hoc verum sit, tum aliam ducere volens adulter sit magis, qvam desertor, R. Nec adulter, nec desertor esse debet: 4. Obj. Si ad novum conjugium transmittatur, adulteriis patrandis lata via aperitur. R. Negatur conseq. 1. Qvia non facile debet ad novum conjugium transmitti. 2. qvia conjugium novum finem imponit potiùt adulterio nocentis. 1. Cor. 7. 2. 3 qvia. Si conjuges abusi fuerint Magistratûs indulgentia, adigendus est Magistratus ad hoc, ut eos juxta legem Dei capitis supplicio afficiat. Lev. 20. 10. Deut. 22. 22. Ioh. 8. 5. Obj. Ioh. 8. 11. Ergò in N. T. non licet Magistratui adulterâ supplicio capitis affiecre. R. Conseq. negatur. qvia Christus ideo non condemnavit adulteram, qvia non fuit judex mundanus. Ideo noluit etiam dividere hæreditatem inter fratres. Luc. 12. 14. 5. Obj. Si qvis adulterio à se pollutam duxerit, non conjugium est, sed adulterii continuatio: Ergò ad novum conjugium transmitti non debet. Ratio conseq. qvia adulter sæpiùs illam vellet ducere, cum qva adulterium commisit. R. Cur igitur personæ liberæ seortantes ad conjugia à Magistratibus & Pastoribus transmittuntur? De-

as etiam cur dicit, Deut. 22. 28. 29. David etiam cur duxit uxorem Uriæ? Dicit hoc D. Volebius; sed non probat. Legitimat Deus tale conjugium, per adulterii conjugum remissionem, 2. Sam. 12. 13, & per eorum in Ecclesiam receptionem, ut conjugium Davidis & Bethsabæ.

CAPUT. XX.

De Iustitia Commutativa, seu de modo acqvirendi, & conservandi bona tùm immobilia, n. domum, agrum, &c. tùm mobilia, n. pecuniam, oves, boves, &c.

ANALYSIS.

Iustitia commutativa explicatur I, A genere remoto, n. justitia respiciente commoda externa proximi th. 1. II, A definitione th. 2. ubi occurrit suum cujusqve, qvod describitur th. 3. ubi occurrit dominium, cujus indicatur 1. descriptio. th. 4. 2. partes, n. proprietas, seu res possessa. & rei possessæ usus fructus. th. 5. qvæ partes aliqvando conjunguntur in uno homine, aliqvando verò separantur. th. 6. III. A partibus, n. bonorum externorum acqvisitione, & eorum usu, seu conservatione, th. 7. ubi Primò de acqvisitionis justitia, cujus efficiens est causa Do-

703147

minii, th. 8. cujus causæ Dominii indicatur Synonymum. n. titulus. th. 9. cujus tituli 1. Enumerantur species th 10. quarum 1. est occupatio justa: cujus notatur 1. definitio, th. 11. ubi res nullius 1. describuntur. th 12. 2. enumerantur tùm per thesin, th. 13—3. tum per asin. th. 16. unde consectarium infertur th. 17. 2. species n. captivitas. th. 18. 2. Hæreditas, quæ definitur. th. 19. 3. Donatio, quæ definitur. th. 20. 4. Merces, quæ definitur. th. 21. 5. Contractus, qui 1. definitur. th. 22. 2. ejus species recensentur. th. 23. 2. Adjunctum, n. legitima occupatio, seu vivendi ratio indicatur. th. 24. quæ declaratur. 1. à subjectis. th. 25. 2. à qualitate. th. 26. 3. à signis, ex quibus quis cognoscere queat, cui occupationi se applicare debeat. th. 27. 4. à natu Dei unumquemque huic aut illi vitæ generi assignante. th 28 qui ab objectione vindicatur. th 29. quæ vindicatio ab instantia liberatur. th. 30. 3 Effecta, n. bona externa acquisita. quorum defectûs & abundantiæ notatur natura, n. paupertas & divitiæ. th. 31. quæ 1. seorsim explicantur nam 1. divitiæ describuntur th. 32. 2. paupertatis notatur 1. descriptio. th. 33. ex quæ usus colligitur. th. 34. 2. species, n. spiritualis paupertas, quæ cum divitiis magnis consistere posse dicitur. th. 35. 2. conjunctum distinctionis dominiorum, seu paupertatis & divitiarum seu illius, quod hoc sit meum, hoc tuum, meum sit parvum tuum multum. efficiens notatur. th. 36. Secundò, de justitia distributionis seu conservationis bonorum dictis modis acquisitorum

quisitorum, th. 37. 38. cujus notantur media, th. 39. n. 1. parsimonia, quæ 1. describitur th. 40. 2. opposito suo illustratur. th. 55. 2. frugalitas, cujus notatur, 1. descriptio, th. 41. 2. oppositū th 55. 3. perfectio, n. liberalitas. th. 42. cujus notatur 1. descriptio. th. 43 2. indicantur species. n. libera donatio, &c. th. 44. 45. 3. indicatur oppositū. th. 56. 4. Oppositū n. furtū in genere consideratū. th. 46. quod explicatur 1. à definitione. th. 47. ubi occurrit 1. ablatio, quæ describitur. th. 48. 2. res aliena. quæ 1. describitur. th. 49 2. casus enumerantur, in quibus res aliena sine crimine furti auferri potest. th. 50. 2. à distributione 1 in furtum specialiter sic dictum. quod 1. describitur. th. 51. 2. species ejus notantur. th. 52. 53. 2. in rapinam, quæ 1. describitur. th. 51. 2. ejus species notantur. th. 54.

EXPLICATIO.

I. Quod est genus remotū justitiæ commutativæ?

Est justitia respiciens externa commoda proximi, ut patet ex c. 18. th. 1. Vocatur hæc justitia respiciens externa bona proximi per appropriationem quandam justitia commutativa: quia præcipuè versatur in commutationibus, seu contractibus. Additur præcipuè, quia versatur etiam in aliis dominii causis. n. justa occupatione, hæreditate, donatione, mercede: quia suum externum bonum cuique tribuimus non tantum in contractu, sed etiam in

justa

703147

virtutes aliæ secundæ tabulæ suâ propriâ & internâ naturâ proximũ, ut objectũ suum, respiciunt.

XXXII. 1. Obj. Pontif. præcc: Fides justificat per charitatem: Ergò charitas est forma fidei. Ratio conseq. qvia principium agendi qvô fidei, & aliarum rerum est forma, ut dicit Author Log. th. 73. Resp. Ant. negatur: Fides non justificat per charitatem, sed per apprehensionem justitiæ Christi. l. 1 c. 27. th. 17. Iustificat Pater efficiendo, Christus merendo, Spiritus Sanctus testando, fides justitiam Christi apprehendendo, accipiendo, charitas, seu opera bona declarando, ut vidimus supra de justificatione.

XXXIII. 2. Obj. Pont. præcc: Fides per charitatem est efficax, seu operatur. Gal. 5. 6. Ergò charitas est forma fidei, qvia ut dictum, forma est principium operandi qvô. Resp. Cõseq. negatur: qvia fides dicitur per charitatem efficax esse, seu operari non qvia charitas est causa formalis, seu principium operandi qvô fidei; sed qvia charitas est effectum fidei. Citato enim loco dicitur fides per charitatem efficax esse, id est, producere charitatis opera in Deum & proximum, charitas enim est effectum fidei, ut dictum supra.

XXXIV. Inst. præcc: Gal. 5. 6. particula per, est nota causæ formalis, ut ex definitione formæ patet: Ergò charitas est forma fidei, non effectum. Resp. Anteced. negatur: ibi enim vacula per, non notat causam formalem; sed qvasi instrumentalem, ut in illa phrasi: Deus regenerat nos per verbum. Sicut enim verbũ Dei est instrumentum morale, id est, svadens virtutes, & dissvadens vitia: sic charitas erga Deum & proximum est qvasi instrumentum testificans fidem in Deum in corde nostro esse. Additur, qvasi: qvia propriè charitas est effectum fidei.

XXXV. 3. Obj. Pontif. præcc: Fides sine charitatis operibus est mortua. Iac. 2. 29. Ergò viva est per opera charitatis; adeoqve charitas est forma fidei: qvia res omnis viva existit per formam suam. Resp. Conseq. negatur: 1. qvia fides dicitur sine operibus charitatis mortua esse, non qvia vita fidei ex charitate, tanqvam forma fluit; sed qvia opera charitatis ex fidei vita fluunt: fides enim conjungens nos Deo est vita nostra, actus primus, & principium vitæ; opera vero charitatis erga Deum, & proximum sunt actus ex fidei vita fluentes, ut vidimus supra c. 5. th. 13. & l. 1. c. 2. th. 2. 5. 2. qvia phraseos illius hic est sensus: Fides sine operibus est mortua, id est, sicut præsentia operum charitatis certò ostendit nos re habere fidem, non verbo: sic absentia operum charitatis certò ostendit nos verbò tãtum habere fidem, non reipsâ.

XXXVI. 4. Obj. Pontif. præcc: Fides ex operibus charitatis perficitur. Iac. 2. 22. Ergò forma fidei est charitas. Ratio cõsenqvētiæ, qvia forma perficit rem. Resp. Conseq. negatur. 1. qvia fides operibus charitatis perfici dicitur non essentiali perfectione, sicut effectũ perficitur à causa; sed perfectione complemẽtali, sicut causa perficitur, seu completa redditur actu, in productione effecti. 2. qvia phraseos illius, hic est sensus: Fides ex operibus

703147

perficitur, id est, opera charitatis testantur nos fidem habere non verbo, ut hypocritæ; sed reipsâ, ut vides in Ravan. dictione fides. num. 8. dist. 8.

XXXVII. Evidentior & constantior estne charitas erga Deum in nobis, quam fides & spes?

Actus charitatis, n. propensio animi in Deum evidentiùs & constantiùs apparet in fidelibus infirmis, qvàm fidei & spei speciales actus, n. apprehensio Christi, ut medii sufficientis & idonei ad salutem, & exspectatio salutis propter meritum Christi danda. Additur. 1. in fidelibus infirmis: qvia in fidelibus firmis actus fidei & spei sunt æquè manifesti atqve charitatis. 2. speciales actus: qvia communes actus fidei, spei, n. resipiscentia, justificatio, &c. sunt æqvè manifesti in fidelibus firmis & infirmis, atqve actus charitatis, Patet. 1. Ans responsio ita fit. Iac. 2. 18. ubi fides ostendi docetur ex charitatis operibus: ostendens autem evidentius est ostensa: Ergò charitatis actus evidentius apparet qvam actus fidei; adeoqve & spei: qvia evidentia spei pendet ab evidentia fidei: spes est effectus fidei, ut dictum. Sic. Matth. 7. ubi arbor, n fides, ex fructibus, id est, charitatis operibus cognosci dicitur. 2. Cur ita sit. 1. Qvia charitas respicit Deum, ut in se bonum, fides & spes respiciunt Deum, ut à nobis apprehendendum: Deus autem in se manifestiùs apparet (qvia tota scriptura, & omnis creatura clare nobis in hac vita, Deum in se bonum proponit) qvàm Deus à nobis

bis apprehendendus: qvia modus Deum apprehendendi est obscurus: qvia modum Deum apprehendendi scriptura nobis in hac vita obscure proponit, qvia apprehendimus Deum per fidem & spem: at fides & spes obscure apprehendunt Deum: qvia obscure vident Deum: vident enim non clare & in se, ut charitas; sed qvasi ænigmatice, seu obscure in promissionibus. 1. Cor. 13. 12. ut dictum supra, c. 6. th 12. Talis enim est modus apprehendendi Deum, qvalis est modus eum videndi & cognoscendi. Sic salus in se evidentior est nobis, qvam modus eam conseqvendi. Sic etiam magnetis operatio in se nobis clarior est, qvam modus operationis eius. 2. Qvia charitas est fructus fidei & spei: At fructus evidentior est arbore. Matth. 7. Ergò. 3. Qvia fideles qveruntur sæpè de inevidentia & in constantia fidei, & spei, ut David Psal. 42. &c. sed de charitatis inevidentia, & constantia non item: fideles enim evidenter & constanter diligunt Deum, & propensi sunt in Deum etiam tunc, cum credere & sperare in Deum, sibi nō videntur; hæc enim est ipsis causa flendi, qvod non sentiant fidem & spem suam in illum, qvē summopere diligunt. Informatio. Ergò charitas qvodam modo præstantior est fide & spe. 1. qvia charitas & tunc etiam evidenter & constanter est in nobis, qvando fidem & spem nos habere non sentimus. 2. qvia charitas prodest non tantùm diligenti Deum, sed & aliis; sed fideles & spes per se tantùm credenti & sperati prodest. Justus suâ fide vivit, unusqvisqve, ut dicit. Habacuc. 3. qvia charitas non dici-

703147

tur abolenda, ut fides & spes. Additur, qvodammodo: qvia etsi charitas nobis evidentior & constantior appareat; fides tamen & spes natura suâ, ut causa suo effecto evidentior & constantior est. Dehortatio. Ergò si charitatem erga Deum te habere videas, etiam si fidem & spem in Deum, te habere non sentias, ne dicas te fide & spe in Deum prorsus carere; adeóqve ne teipsum metu reprobationis & damnationis vexes: qvia charitas tua testis est infallibilis existentiæ fidei & spei tuæ: qvia sicut arbor ab igni, sic charitas à fide & spe non potest separari.

CAPUT VIII.

De Auditione verbi.

ANALYSIS.

AUditio verbi explicatur à distributione actûs religionis, ex fide, spe, charitate orti in auditionem & orationem. th. 1. cujus distributionis ratio redditur. th. 2. ex qva differentia auditionis verbi & orationis infertur. th. 3. II. A definitione. th. 4. cujus definitum explicatur. th. 5—6. III. A partibus. th. 7. qvarum prima est attentio mentis, qvæ explicatur. 1. à definitione. th. 8. 2. à synonymo. th. eadem. 3. ab adjuncto. th. 9. Secunda est intentio voluntatis, qvæ explicatur. 1. à definitione. th. 10. 2. ab adjuncto. th. 11. 3. à cōsectario. th. 12. IV. Ab adjuncto, qvod debeat esse religiosa. th. 13. adeóqve. V. A causis.

causis eam vere religiosam efficientibus: qvarum prima est fides. th. 14. qvæ describitur. th. eadem: unde consectarium infertur. th. 15. secunda spes, qvæ describitur. th. 16. unde consectarium colligitur. th. 17. tertia charitas, qvæ describitur. th. 18. unde consectarium deducitur. th. 19. VI. A genere, vel entomio, nempe cultu Dei. th. 20. ex qvo consectarium infertur. th. 21. VII. Ab oppositis: qvorum primum est superbia, qvæ explicatur. 1. à definitione. th. 22. 2. à proprio actu. th. 23. 3. à tribus consectariis. th. 24—26. secundū consultatio cum mundo, carne, carnis prudentia, ex priori oppositō illatum. th. 26. qvod confirmatur. th. 27. tertium consultatio Diaboli, qvæ explicatur. 1. à probatione. an ita sit. th. 28. 2. cur ita sit. th. eadem: qvæ confirmatur à praxi, qvâ Diabolus consultus à consulentibus fidem postulat. th. 29. cujus fidei effectum notatur. th. 30. 2. à subjectis seu personis, à qvibus Diabolus consulitur, vel explicite, vel implicite. th. 31. unde consectaria colliguntur. th. 32—34. 3. ab objectione vindicatur. th. 35. ex qva consectarium infertur. th. 36. qvod confirmatur. th. eadem, & 37. ex qva consectarium infertur. th. 38. qvod ab objectione liberatur. th. 39. 4. iterū à subjectis seu personis, qvæ participes fiunt communionis & consultationis cum Diabolo. th. 40. qvod ab objectionibus liberatur. th. 41. 42. 5. à subjectis seu personis qvæ ex consultatione Diaboli nullum fructum percipiunt. th. 43.

703147

EXPLICATIO.

I. *Qui actus religionis fluunt ex virtutibus his religionis, n. fide, spe, charitate?*

Auditio & oratio. Patet. 1, an ita sit, infra. th. 14, 16. 18. & c. 9 th. 4. 6. 7. 2. cur ita sit. 1 qvia inter religiosè colentes & colèdum debet esse mutua spiritualis communicatio: At hæc fit per auditionem verbi, qvâ Deus nobis se communicat; & oratione, qvâ nosmetipsos Deo communicamus.

II. 2. qvia religiosi cultus, n. fidei, spei, charitatis actus (ut dictum supra c. 4. th. 23.) est honorem Deo debitum deferre: At honorem Deo debitum deferimus. 1. recipiendo, qvod Deus nobis proponit, qvod fit per auditionem verbi, qvâ voluntatem Dei recipimus. 2. proponendo, qvod Deus à nobis recipiat, qvod fit per orationem, qva voluntatem nostrã Deo proponimus. 3. qvia cultus religiosus essentialis, n. fides, spes, charitas immediatè & directè exercetur per auditionẽ & orationem c. 13, th. 17. cum. th. 18. 7. Ref. Auditio verbi, & oratio non sunt virtutes: qvia sunt actus virtutum religiosarum, n. fidei, spei, charitatis. Correctio. Auditio & oratio sunt actus religiosi: Ergò non tantùm auribus & ore audiendum est verbũ Dei, orandus est Deus; sed præcipuè animâ: qvia modus religionis proprius est animam Deo subjicere, juxta illud: Diliges Dominum Deum tuum ex tota anima: ergo secùs audiendum est verbum Dei, qvam hominum. 1. Thess. 2. 13. secus orandus Deus est, qvam

qvam homines. Institutio. Auditio verbi fluit ex fide, spe, charitate: Ergò fidelium officium est, verbum Dei audire, recipere, id est, intelligere, & observare. Patet. 1. an ita sit. Iac. 1. 21. Excipite, id est, intelligite & observate, sermonem. Sic. v. 22. 23. 1. Thess. 1. 5. Ioh. 3. 33. Deut. 32. 46. 47. 2. cur ita sit. 2. qvia oves Christi vocem ejus audiunt. Ioh. 10. 27. 2. qvia partes verbi Dei, vitæ spiritualis, sunt Deum cognoscere, & eum colere, ut Vendelinus habet, seu credere in Deum, & præcepta ejus observare, ut Amesius docet. Ex hac duo sunt officia Christiani hominis præcipua, in hac vita, ut habet Catecheſis Sidetii. 3. qvia Iehova præcipit. Psal. 95. 7. 8. Deut. 5. 4. 4. qvia Deus est talis legislator, qvia potest servare & perdere. Iac. 4. 12. 5. qvia verbum Dei potest servare animas, ut est in textu, & Rom. 1. 16. 6. qvia magna est pœna non ascultantis voci Iehovæ. Deut. 28. 15. & seqq. 7. qvia gloria fideliũ inde pendet. Psal. 76. 1. Correctio. Damnandi ergo sunt isti, qvi non auscultant verbo Dei, ut Iudæi. Ier. 44. 16. 17. Exhortatio. Ergò auscultemus voci DEI, ut Iudæi volebant. Ier. 42. 5. 6.

III. *Qui differt ergo auditio verbi ab oratione?*

Officium audientis verbum est recipere voluntatem DEI, qvam ipse proposuit: orantis vero officium est proponere voluntatem suam, qvam Deus recipiat, ut dictum, th. præcedenti.

703147

IV. Quid est auditio verbi?

Est religiosa, &c. id est, audire verbum Dei est cum maxima animi submissione qværere, rescire, cognoscere voluntatem Dei observandam, & eam observare.

V. Quid ergo notat auditio?

Auditio notat hîc voluntatis revelatæ; seu sermonis DEI receptionem qvamlibet, id est: 1. & externam, qvæ fit per prædicationem verbi audibilem, & auditionem aurium: qvia Deus ordinariè salutem nostram operatur per prædicationem, id est, verbum voce audibili pronunciatum, & auditionem, qvâ verbum audibiliter propositum auribus percipimus. 2. & internam, qvâ verbum Dei sive audibiliter prædicatum, sive non audibiliter lectum, & ab Spiritu Sancto propositum, intellectu intelligimus, & voluntate observamus.

VI. Qui ergo accipi debet auditio?

Non tam strictè, ut vel præcipuè, vel necessariò semper externum auditum aurium includat, qvia sæpè auribus verbum Dei non audimus, ut cum illud inaudibiliter legitur, vel ab Spiritu Sancto animæ annunciatur; sed ut notet qvamlibet receptionem, id est, & externam, qvæ fit per aures; & internam, qvæ fit per intellectum, & voluntatem, ut explicuimus th. 4.

VII. Quot sunt partes auditionis, seu receptionis verbi Dei, seu in quibus consistit auditio seu receptio voluntatis Dei?

In reli-

In religiosa attentione mentis, & intentione voluntatis, seu in submississima voluntatis Dei, cognitione, & observatione.

VIII. 1. Quid est attentio mentis?

Est applicatio, &c. id est, audientium seu recipientium verbum Dei primum officium est voluntatem Dei revelatam cognoscere. Patet. 1. an ita sit. Act. 16. 14. Dominus, &c. id est, Deus illuminavit Lydiæ intellectum, ut intelligeret concionem Pauli: Ergò illud est illorum primum officium, Ratio consequentiæ, qvia Deus hoc non fecisset secùs. Sic David petit illuminationem mentis suæ, ut intelligat verbum Dei. Psal. 119. Sic Discipuli jubentur docere ideò, ut homines intelligant voluntatem Dei. Matth. 28. 19. 2. cur ita sit. 1. Qvia voluntatem Dei cupere debemus: At non cupimus, si non cognoscamus: ignoti nulla cupido. 2. Qvia voluntatem DEI observare debemus. Matth. 28. 20. At hoc non possumus, si non intelligamus. 3. Qvia audientium verbum hominis primum officium est illud intelligere. 4. Qvia intellectione voluntatis Dei distingvimur à bestiis. Psal. 32. 9. Exhortatio. Ergò. 1. solliciti simus de cognoscenda voluntate Dei revelata. Ioh. 5. 39. 2. præparemus nos ad cognoscendam volnntatem Dei. Exod. 19. 10. 11. Eccl. 5. 1. 3. aperiamus oculos mentis nostræ pro vitili. Moveant rationes dictæ, & exempla Lydiæ, Eunuchi, Davidis, &c. 2. Qvi vocatur attentio mentis? Inqvisitio voluntatis Dei, vel Dei ipsius: qvod patet. 1. an ita sit. Esa. 58. 2. Ut me qvotidie requirant, id est,

703147

est, attendant mentem suam ad voluntatem meam cognoscendam. Sic. Prov. 28. 5. 2. cur ita sit, ut explicetur, &c. id est, quia tam diligenter debemus voluntatem Dei revelatam cognoscere, quam diligenter quærimus rem, quæ plane non possumus carere

IX. Quid adjungitur attentioni huic, quæ opus habet attentio hæc, quæ inquisitio requiritur in hac attentione?

In hac, &c. hoc est, cognoscentes revelatæ Dei voluntatem debent quærere, quæ sit voluntas Dei facienda; sed non debent quærere, an voluntas illa inventa, & percepta sit bona, sit observanda, nec ne. Patet priùs membrum. 1. an ita sit. Rom. 12. 2. 1. Joh. 4. 1. 2. cur ita sit. 1. quia quærentes Jehovam intelligunt omnia. Prov. 28. 5. 2. quia pulsantibus aperitur, petentibus datur. Iac. 1. 5. 3. quia quærentes inveniunt id, quod quærunt. Patet posterius membrum. 1. an ita sit. Gal. 1. 15. 16. 2. cur ita sit. 1. quia ipsa DEI voluntas est ultimus terminus inquisitionis omnis religiosæ: quod patet. Gal. 1. 15. 16. 2. quia talis inquisitio, seu consultatio non caret impietate. 3. quia de hominum quorumcunque verbis judicium ferri debet; quo discernitur an sint bona & observanda nec ne. 1. Thess. 5. 21. Sed Dei verbum nullum aliud judicium admittit, nisi quo discernatur esse verbum Dei. Ex Dei enim verbo de aliis omnibus judicamus: de illo autem ipso non judicamus, sed nosmetipsos

ipsos ei submittimus judicandos. In hominibus audiendis quatuor modis versari homines dicuntur: vel enim sunt spongiæ, sugendo attrahentes omnia, tàm mala, quam bona: vel clepsydræ, qui quod aure una accipiunt altera fluunt effluere: vel sacci fœnum, qui solas retinent fæces, bonum autem vinum patiuntur effluere: vel cribrum, qui quæ nihili sunt prætermittunt bonam q; retinent farinam. Erin istis quatuor generibus auditorũ ultimũ tantũ quod est cribrantium approbatur: Sed in puro Dei verbo audiendo primum tantùm approbatur, eorum scilicet qui attrahunt sibi totum, instar spongiæ, aut terræ imbrem venientem imbibentis. Heb. 6. 7. Exhortatio Ergò intellectam Dei voluntatem statim observemus, ne potrò quæramus, an bona, an observanda sit nec ne. Moveant. 1. quia hoc est impietas. 2. quia hoc Deus jubet. Psal. 95. 7. 8. 3. quia hoc svadent exempla Abrahami evocati ex Chaldea, Pauli in Christum credere jussi. Gal. 1. 15. 16.

X. Quid est intentio voluntatis?

Est applicatio, &c. id est, audientium & recipientium verbum Dei secundum officium est Dei voluntatem observare. Patet. 1. an ita sit. Psal. 119. 106. Sic. Matth. 28. 20. Iac. 1. 22. 2. cur ita sit. 1. quia intellectam Dei voluntatem non faciens pluribus plagis cæditur. Luc. 12. 47. 48. 2. quia observatio voluntatis Dei distingvit nos à Diabolis & hypocritis, non cognitio ejus. 3. quia cognitio voluntatis Dei via est ad observationem voluntatis Dei. 4. quia fallunt seipsos, qui cognitam Dei volunta-

703147

luntatem non faciunt. Iac. 1. 22. 5. qvia non ille salvatur qvi voluntatem Dei cognoscit; sed ille, qvi voluntatem Dei observat. Matth. 7. 21. 6. qvia non audientes, seu cognoscentes legem Dei justificantur; sed qvi eam observat. Rom. 2. 13. Exhortatio. Ergò velimus observare intellectam Dei voluntatem, & si possimus actu etiam observemus, ob dictas rationes.

XI. *Qualis debet esse voluntas observandi voluntatem Dei cognitam?*

Inter alia absoluta, seu sine exceptione volēs facere omnia, qvæ Deus vult ut faciamus, Patet. 1. an ita sit. Ier. 42. 3. 5. 6. Sic. Deut. 5. 32. 35. Additur, inter alia: qvia voluntas observandi voluntatem D E I cognitam debet esse. 1. tendens ad praxim. Iac. 1. 22. 2. tamsima, ut vim habeat juramenti. Psal. 119. 106. 3. nitens nō nostris viribus, sed Dei gratia & potentia. 1. Thess. 2. 5. 4. toties renovanda, qvoties verbum D E I audimus. Psal. 27. 8. 5. continuanda per assiduam & diligentē verbi auditi meditationem. Psal. 1. 2. & 119. 15. 109. l. 4. eas. c. 11. q. 3. 2. cur ita sit. 1. qvia maledictus qvi non fecerit verba legis omnia, Deut. 27. 26. cum. Gal. 3. 10. 2. qvia non servans unam voluntatem Dei, nullam servare censetur. Iac. 2. 10. 3. qvia audientes verbum D E I debent esse spongiæ attrahentes omnia, non clepsydræ, sacci fœcum, cribrum, ut dictum supra. 4. qvia omnis voluntas Dei est bona. Rom 12. 2. rationi congrua. Rom. 2. 15. utilis. Deut. 32. 47. Corollaria. Culpādi sunt

sunt ergo qvi voluntatem Dei de non furando amant observare, de non luxuriando autem & non comessando, non compotando, non item. Exhortatio. Faciamus ergo omnem voluntatem Dei sive placeat carni, sive non, ob rationes dictas.

XII. *Quo respectu dicitur lex Dei esse in corde hominis fidelis?*

Ratione hujus, &c. id est, qvatenus homo fidelis fortiter vult observare legem Dei, Psal. 40. 9. Lex tua est in visceribꝰ meis. Psal. 119. 11. In animo recondo sermonem tuum, id est, fortiter volo observare legem tuam. Ier. 31. 33. Indam legem meam menti eorum, id est, fortem intentionem, inclinationem, voluntatem dabo illis legem meam observandi.

XIII. *Qualis debet esse auditio verbi?*

Auditio verbi debet esse religiosa, id est, ex subjectione, seu submissione humilitate animæ, id est, intellectûs, conscientiæ, voluntatis, affectuum fluens. Supra c. 4. th. 25. & infra c. 9. th. 17. Patet. 1. an ita sit. Rom. 6. 17. Ex corde, id est, submissione animæ, seu intellectûs & voluntatis. Sic. Matth. 22. 37. Diliges ex tota anima, id est, submissione animæ, seu intellectus & voluntatis. 2. cur ita sit. 1. qvia secùs auditio verbi non erit recta: qvia modus observantiæ est in subiectione vel humilitate, ut dictum supra c. 1. th 34. 2. qvia auditio verbi est actus religionis, ut dictum th. 1. At religio consistit in subjectione animæ ad Deum,

703147

um., ut dictum supra. c. 4. th. 25. 3. qvia auditio verbi fluit ex virtutibus religionis nimirum fide, spe, charitate, ibidem. 4. qvia tota observantia debet esse religiosa seu humilis: Ergò & hæc ejus pars, n. auditio verbi, 5. qvia nos qvi audimus sumus creaturæ, servi, nihil: ille vero qvem audimus est creator, Dominus, Ens entium. Exhortatio. Ergò verbum Dei audiamus religiosè, id est, submissè. Moveant rationes dictæ.

XIV. *Auditio verbi unde oriri debet?*

1. Auditio verbi oriri debet ex fide, id est, audiens verbum Dei, illud pro vero habere, & erga illud piè affici, debet. Patet. 1 an ita sit membrum tum priùs Hebr. 4. 2. ubi damnantur illi, qvi fide verbum Dei non audiverunt, id est, qvi verbum Dei auribus perceptum pro vero non habuerunt, tùm posterius. Luc. 24. 32. Nonne cor nostrum ardebat in nobis, dum loqveretur nobis, id est, nonne piè afficiebamur erga sermonem ejus. 2. cur ita sit. 1. qvia auditio verbi debet esse religiosa: At vere religiosa fit per fidem, qvia fides est pars religionis, ut dictum c. 5. th. 1. 9. 10. 2. qvia qvicqvid non fit ex fide Deo non placet, imò peccatum est. 3. qvia observantia oritur ex fide, ut dictum c. 1. th. 15. Ergò & auditio, qvæ est pars observantiæ. 4. qvia auditio verbi sine fide est inutilis. Hebr. 4. 2. Exhortatio. Ergò fide audias prædicationem verbi, observationes dictas.

XV. Qvo

XV. *Quo respectu dicimur inhærere verbo Dei ad salutem, dicturqvè verbum Dei nobis inhærere seu inseri ad salutem?*

Per istam fidem, &c. id est. 1. verbo Dei inhærere dicimur ad salutem, qvatenus illud verum esse credimus, & observamus, ut nos Deus salvet. Psal. 119. 31. Inhæreo, &c. id est, Deus verbum tuum verum esse credo, & observo: idcirco salva me. 2. verbum Dei inseri nobis dicitur ad salutem, qvatenus à nobis pro vero habitus & observatus, potens efficitur nos salvare, Iac. 1. 21. Excipite sermonem, id est, verbum Dei, qvi si inseratur vobis, id est, verus esse credatur, & observetur, salvat animas vestras.

XVI. 2. Auditio verbi oriri debet ex spe, id est, audiens verbum Dei, ex illo vitam æternam exspectare debet. Patet. 1. an ita sit. Deut. 32. 47. Est vita vestra, id est, si observaveritis legem Dei, ex illa vitam exspectare potestis. Sic. Ioh. 5. 39. Vos videmini, &c. id est, exspectatis vitam æternam ex scriptura, idcirco eam scrutamini. 2. cur ita sit. 1. qvia auditio verbi oriri debet ex fide: Ergò & ex spe: qvia spes oritur ex fide. 2. qvia auditio verbi debet esse religiosa: At religiosa fit per spem: qvia spes est pars religionis. 3. qvia verbum Dei audiendum est cum gaudio: Ergò ex spe oriri debet: qvia gaudium est fructus spei, ut dictum. 4 qvia fideles verbi auditi fructum ferunt perpatientiam. Luc. 8. 15. At patientia est comes spei, ut dictum c. 6. th.

703147

17. Exhortatio. Ergò audientes verbum Dei, exspectemus ex illo vitam æternam præcipuè, aliàs enim frustra audimus verbum Dei, & malè.

XVII. Quo respectu dicuntur fideles fructũ proferre verbi auditi per tolerantiam, seu patientiam?

Quatenus patientia, seu tolerantia malorum est comes spei. Fideles verbi auditi fructum (n. fidem in Christum, cognitionem Dei, dilectionem Dei & proximi, dissemination em verbi ad alios, ut à tyrannide Satanæ liberatis, cives fiant regni Christi, &c.) ferunt cum patientia malorum: qvia qvi piè volunt vivere in Christo Iesu, necesse est persecutionem pati. 2. Tim. 3. 12. Sic suos fructus attulit nobis Christus, n. cum summa patientia: multa mala enim passus est, cum voluntatem Dei fecit, id est, benefecit, & prædicavit.

XVIII. 3. Auditio verbi oriri debet ex charitate erga Deum, id est, audientes verbum Dei diligere debent verbum, & Deum se in verbo revelantem, ut bonum in se. Patet. 1. an ita fit. Psal. 119. 27. Qvam diligo legem tuam. Sic. 2. Thess. 2. 10. ubi affectæ Anti-Christi ideò damnati dicuntur, qvod verbum Dei non amaverint. Exod. 20. 5. 2. cur ita fit. 1. qvia auditio verbi oritur ex fide, & spe: Ergò & ex charitate: qvia charitas oritur ex fide & spe, ut dictum. c. 7. th. 2. 2. qvia auditio verbi debet esse religiosa: At religiosa fit per charitatem erga Deum: qvia charitas est pars essentialis religionis, ut dictum

5. th. 1. 9. 10. 3. qvia charitas est causa omnium erga Deum agendorum. Exod. 20. 6. Qvi diligunt me & observant præcepta mea. 4. qvia audientes verbum sine charitate, ut hypocritæ, non placent Deo. Matth. 15. 8. Exhortatio. Ergò ex charitate audiamus verbum Dei. Moveant nos rationes dictæ, exemplum Davidis, & hoc qvod graviter puniat Deus illos, qvi ipsum & verbum ejus oderunt. Exod. 20. 5.

XIX. Quo respectu dicitur verbum Dei copiosè habitare in fidelibus. Coloss. 3. 16. & dicuntur fideles transformari in formam verbi Dei?

Ratione hujus charitatis, &c. hoc est, qvatenus verbum Dei, & Deum in verbo se revelantem amamus: adeóqve. 1. amans amato unitur, adeoqve amatum est & habitat in amante. 2. amans conformat se ad nutum amati.

XX. Qvodnam est encomium auditionis verbi Dei?

Hujusmodi auditio, &c. id est, auditio verbi religiosa, seu fluens ex fide, spe, charitate, est verus ac proprius Dei cultus. Patet. 1. an ita fit. Psal. 81. 9. Si auscultaveris mihi, id est, si religiosè colueris me, ut ex versu seq. patet. Sic. v. 12. Deut. 28. 1. 15. 2. cur ita fit. 1. qvia auditio verbi religiosa immediatè & directè defert Deo honorem religiosum: At cultus religiosus natura est, religiosum honorem Deo

703147

directè deferre, ut dictum supra. c. 4. th. 23. collata cum. th. 5. Ergò auditio verbi religiosa est verus Dei cultus. Obj. præcc. Auditione verbi recipimus voluntatem Dei, ut dictum. th. 2. 3. Ergò eâ non deferimus DEO honorem; adeóqve non est verus Dei cultus. Resp. Conseq. negatur: qvia etsi auditionis actu propriè recipiamus voluntatem Dei; modo tamen recipiendi voluntatem Dei exhibemus ipsi honorem religiosum: qvia recipimus voluntatem Dei religiose, id est, 1. subjiciendo & dando totam animam (id est, intellectũ, conscientiam, voluntatem, affectus) Deo regẽdam, ut dictum. th. 13. 2. ex fide, spe, charitate (ut dictum. th. 14. 16. 18.) qvibus directè honorem veracitatis, potestatis, bonitatis DEO deferimus: qvia fide, spe, charitate agnoscimus, testificamur Deum, veracem, potentem, bonum esse, ut dictum supra. c. 4. th. 23. & dicetur infra c. 13. th. 5. 2. qvia cultus DEI naturalis, seu essentialis, n. fides, spes, charitas, directè exercetur per auditionem verbi: Ergò auditio verbi est verus Dei cultus. Ratio consequentiæ, qvia media Deum colendi, infra. c. 13. th. 5. ideò dicuntur cultus DEI religiosus, qvia cultum DEI naturalem exercent, & promovent. 3. qvia fides, spes, charitas sunt partes religionis, adeóqve cultus Dei religiosus. c. 5. th. 1. 9. 10. Ergò etiam auditio: qvia auditio verbi est effectus fidei, spei, charitatis, ut dictum. th. 14. & seqq. Correctio habetur. th. 21. Dehortatio. Ergò auditionem verbi ne negligamus, neqve nihili faciamus. 1. qvia est religiosus cultus Dei. 2. qvia auditio verbi

Regis

Regis contemta morte multatur: Ergò multo magis auditio verbi Dei. 3. qvia fides, sine qva non est salus, ex auditione verbi est. Rõ. 10. 17. 4. qvia auditum verbum Dei est verbum vitæ. Ioh. 6. 68. Rom. 1. 16. 1. Tim. 4. 16. 5. qvia præclari sunt usus fructus auditi verbi Dei. 2. Tim. 3. 16.

XXI. *Concionatores debentne verbum humanum verbo divino miscere, & eodém modo cum illo proponere?*

Non: qvia auditio verbi est cultus Dei religiosus, sicqve auditores homines illos, qvorum verbum in concione audiunt, Dei loco religiose colunt. Additur, & eodem modo proponere: qvia concionatores in concionibus suis necessitate postulante, rarò, obiter, possunt verbum humanum proponere tanqvam verbum humanum, indicando scil. hoc non divinum, sed humanum verbum esse, ut fecit Paulus. 1. Cor. 7. 12. Reliqvis autem ego dico, non Dominus. l. 1. Med. c. 35. th. 55. & seqq.

XXII. *Quid adversatur auditioni verbi?*

Auditioni verbi Dei formaliter seu propriè & specialiter adversatur superbia adversus Deum. Qværes: 1. Qvid illa? Qvâ qvis, &c. id est, superbia adversus Deum est peccatum, qvo qvis tàm excellentem cogitat se esse, ut audire verbum Dei putet contra suam dignitatem esse. 2. An possit creatura aliqva adversus creatoram suum superbire? Resp. l. 4. cas. c. 12. q.

703147

n. 3. Qvomodo superbia illa in omnibus illis locum habeat, qvi verbum Dei nolunt audire, cum aliæ multæ cupiditates sint causæ hujus inobedientiæ? Resp. l. 4. cas. c. 12. q. 2. Observatio. 1. Superbia adversus Deum adversatur proprie auditioni verbi Dei. Patet. 1. an ita sit, Ier. 13. 15. ubi est præceptum: audite; & prohibitio opposita: ne exaltetis vos, seu ne superbiatis, id est, ne cogitetis vos tàm excellentes esse, ut fàcere voluntatem Dei putetis contra vestram excellentiam fieri. Sic Ier. 5. 5. Fregerunt, &c. id est, non audiverũt verbum meum; sed ex superbia sua violarunt. Sic. Psal. 2. 3. 2. cur ita sit. 1. qvia audiens verbum Dei subjicit se voluntati D E I, seu recipit voluntatem Dei; sed superbus non subjicit se voluntati Dei, seu non recipit voluntatẽ Dei. 2. qvia audiens verbum Dei pro lege & regula agnoscit voluntatem Dei; sed superbus pro lege & regula agnoscit suam voluntatem, ut homines, qvos Ierimias exhortatur, & dehortatur citatis locis. 3. qvia audiens verbum Dei magnifacit observationem voluntatis Dei; sed superbus nihili facit, ut David aliqvãdo. 2 Sam. 12. 9. Obj. 1. Superbia opponitur humilitati observantiæ, de qva supra c. 1. th. 34. Ergò non auditioni verbi, & per consequens non est peccatum speciale, sed generale. Resp. Conseq. negatur: qvia materialiter generaliter, communiter superbia opponitur, humilitati observantiæ; sed formaliter, specialiter, propriè auditioni verbi. Opponitur, observantiæ: ergò & auditioni, qvia auditio est pars observantiæ. Thom. 2. 2. q. 162. art. 1. Obj. 2. Superbia opponitur religionis humilitati seu subjectioni, de qva supra. c. 4. th. 25. Ergò non auditioni verbi. Resp. Conseq. negatur: qvia auditio verbi est actus religionis, n. fidei, spei, charitatis. Obj. 3. Superbia opponitur humilitati erga proximum, de qva c. 17. th. 68. Ergò non auditioni verbi. Resp. Conseq. negatur: qvia superbire potest qvis & contra Deum & contra proximũ. Informatio habetur. th. 24.—27. Correctio. Audientes verbum Dei nõ debent esse superbi, id est, non subjicientes se voluntati Dei. Vel, superbia in Deum est fugienda. Patet. 1. an ita sit. Non habebis Deos alienos, id est, Deum verum audi, ne contra illum superbias, seu verbum ejus contemnas. Sic. Prov. 8. 13. 2. cur ita sit. 1. qvia adversatur auditioni verbi. 2. qvia à Deo prohibetur. Prov. 3. 7. Psal. 75. 5. 6. 3. qvia oritur ex vana fiducia rerum, qvæ non habentur, vel non diu retinẽtur. Nam qvidam superbiunt ex opinione pietatis, dignitatis, opulentiæ, cum nihil horũ possideant. 1. Ioh. 1. 8. qvidam ex possessione divitiarum. Prov. 18. 11. dignitarum, regnorum, qvibus facilime vel per mortem, vel per alios casus privantur, ut ostendunt exempla tot Regum, Principum, Imperatorum, qvi morte vel aliis modis exuti sunt regnis, imperiis, principatibus. 4. qvia comitem habet ignominiam. Prov. 11. 2. 5. qvia Deum habet adversarium. Prov. 3. 34. Iac. 4. 6. 1 Petr. 5. 5. 6. qvia accersit magnas calamitates. Prov. 5. 25. & 16. 18. & 18. 12. 7. qvia pii illã in primis amoveri à se precantur. Psal. 19. 14. Dehortas-

703147

hortatio. Fugiamus ergo superbiam & occultã, qvæ est in sensu animi, & manifestam, qvæ est: 1. in sermone, qvalis erat Nebucadnezaris. Dan. 3. 15. & 4. 30. & juvenis illius. Matth. 19. 20. 2. in cultu corporis, qvalis erat Herodis. Act. 12. 21. 3. in gestu corporis, aut in factis superbis, ut Nebucadnezaris. Dan. 5. 20. Belschazaris. Dan. 5. 23. Moveant rationes dictæ. Qværes, qvænam sunt illa remedia, qvibus illa superbia possit retundi? Resp. l. 4. cas. c. 12. q. 3.

XXIII. *Quis est superbiæ actus?*

Superbiæ hujus qvasi proprius actus est contemptus. Qvid? Est magnum peccatum, qvo qvis. 1. Deum. 2. Dei voluntatem, n. legem, & Evangelium. 3. voluntatis Dei observationem nihili facit, spernit. Patet superbos voluntatem Dei contemnere: 1. Sam. 12. 9. Additur. 1. huius: qvia superbia alia est cõtra Deum, de qva hic: alia est contra homines, de qva infra. c. 17. th. 67. 2. qvasi: qvia ut nullum peccatum, sic etiam superbia non est actus, qvia actus est bonus; sed defectus & vitium actûs. Observatio. Contemtus Dei & verbi ejus est maximè fugiendus. Patet. 1. an ita sit. 1. Sam. 12. 9. Sic primo præcepto. 2. cur ita sit. 1. qvia superbia est fugienda: Ergò & contemtus. Ratio consequentiæ, qvia contemtus Dei est superbiæ actus. 2. qvia cõtemptores Dei ponuntur pro magnis peccatoribus. Ier. 23. 17. qvorum exempla extant in Pharahone. Exod. 5. 2. Core & Sociis. Num. 16. 30. Manasse & populo. 2. Chron. 33. 10. 3. qvia

3. qvia sicut Deus honorat honorantes se, ita contemtores ejus leves fiunt. 1. Sam. 2. 30. Exemplum Nadab, Abiu. Lev. 10. 2. Ophni & Phinees. 1. Sam. 2. 29. 30. Israelitæ. 5. v. 7. 8. Nebucadnezar. Dan. 4. v. 30. & seqq. sacerdotes, de qvibus. Malach. 1. 6. & 2. 9. 4. qvia contemtores verbi Dei damnantur. Prov. 13. 13. qvales fuerunt. 1. homines prisci mundi. 1 Petr. 3. 19. 20. 2. avertentes aures ab audienda lege. Prov. 28. 9. 3. illi, qvi vocantur canes, & porci. Dehortatio. Ne ergo contemnamus verbum DEI, n. legem & Evangelium; adeóqve comminationem Dei, ut Israelitæ. Amos. 6. 3. & 9. 10. admonitiones & exhortationes Dei: ut. 1. cives Sodomæ. Gen. 19. 7. 2. Israelitæ, Numer. 14. 10. 3 reges, qvi salutares admonitiones rejeciunt. Eccl. 4. 13. & plerumqve oderunt illos, qvi veritatem ipsis libere dicunt, nec possunt ferre fervos Dei, qvi ex mandato Dei admonent ipsos, ut Pharao Mosem. Exod. 5. 2. 4. Achab Michæam. 1. Reg. 22. 27. Iehojakim Uriam. Ier. 26. 20. 23. Sedecias, Ieremiam. Ier. 32. 3.

XXIV. *Superbia estne causa omnium aliorum peccatorum, & quotuplicem ob causam?*

1. Superbia est causa aliorum omnium peccatorum: qvod patet. Eccl. 10. 14. 2. Superbia duplicem ob causam dicitur causa omnium peccatorum: 1. qvia omnia alia peccata patrat peccator propter excellentiam, qvæ in superbia spectatur, ut dictum. th. 22. 2. qvia superbia contemnit legem Dei, qvâ solâ cavere potest

703147

est homo peccatum, ut dictum. th. 24. Thō. 2, 2. q. 162. art. 1. ς. 3. Qvia in Adamo superbia fuit causa omnium aliorum ejus peccatorum, ut dictum. l. 1. Refutatio. Ergò errant Schol. negantes superbiā esse peccatorū omnium aliorum causam. Thom. 1. 2. q. 84. art. 2.

XXV. *Superbia reperiturne in omni peccato?*

Sic, sive consultò, id est, scienter, volenter pecces, ut David adulterium & homicidium committendo, qvia ille, qvi sic peccat, non vult subjici legi Dei, qvod fit per superbiam, ut dictum. th. 22. sive inconsulto, id est, nescienter & nolēter pecces, ut Paulus, 1. Tim. 1. 13. qvia superbia est causa omnium aliorum peccatorū, ut dictum. th. 24. l. ς. cas. c. 18. q. 1.

XXVI. 2. Adversatur auditioni verbi Dei consultatio in iis, qvæ pertinent ad religionem, cum mundo, carne, id est, hominibus, & corruptā nostrā naturā, an scilicet voluntas DEI cognita sit observanda, necne. Additur, in iis, qvæ pertinent ad religionem: qvia consultatio cum aliis an voluntas hæc, vel illa hominis sit facienda, necne, non adversatur auditioni verbi Dei. Observa ergo. Consultatio cum mundo & carne an voluntas Dei revelata sit facienda, necne, repugnat auditioni verbi Dei. Patet. 1. an ita sit. Rom. 8. 7. ubi caro, id est, corrupta nostra natura, ut mens, prudentia cōsilium, voluntas, affectus, appetitus, non audire dicitur verbum Dei. Sic Gal. 1. 16. Non contuli, &c. id est, Egò Paulus non consului Apostolos, & Iudæos an Iesum Christum prædicem, necne. 2. cur ita sit:

XXVII. 1. Qvia sicut per superbiam avertimur à voluntate Dei facienda: Sic per consultationem cum carne & mundo convertimur ad voluntatem nostram vel Diaboli & hominū faciendam. 2. Qvia mundus, & caro adversantur DEO. 3. Qvia inqvisitio an voluntas DEI sit facienda, necne, est illicita, ut dictum. Dehortatio. Fugiamus ergo in observanda voluntate Dei revelata consultare cum mundo, seu hominibus qvibuscunq;, & carne, seu corrupta nostra natura. 1. qvia (ut dictum) ut per superbiam avertimur à vero Deo; sic per consultationem cum mundo & carne convertimur ad falsos Deos. 2 qvia homines ne regeniti qvidem consulunt semper id, qvod Deus consulit. Certè si Christus Patentes, & Discipulos consuluisset, an ipsi moriendum sit necne, respondissent qvod non. Si Paulus Iudæos irregenitos consuluisset an Christum prædicet necne, consuluissent procul dubio qvod non. 3. qvia corrupta nostra natura inimica est Deo. Rom 8. 7. Non enim cogitat, intelligit, vult, desiderat id, qvod Deus: animalis homo non intelligit illa, qvæ sunt Spiritu Dei: & cogitationes Dei nō sunt ut cogitationes nostræ. Inimicos Regis consulere de voluntate ejus facienda est inimicū esse Regi: Sic inimicos Dei consulere de voluntate ipsius facienda est inimicum esse Deo. 4. qvia sic pluris faceremus homines & corruptam nostrā naturam, qvam Deum. ς. qvia hoc svadet exemplum. 1. Pauli, qvi Christum prædicare

Dā just-

703147

jussus non consuluit carnem & sangvinem, id est, alios Apostolos, & Iudæos, & semetipsum. 2. Abrahami, qvi ex Chaldæa exire, & filiolum unigenitum sacrificare jussus, non consulit Parentes & populares suos, Uxorem suam, an faciat illam Dei voluntatem nec ne.

XXVIII. 3. Auditioni verbi Dei execrabiliter adversatur consultatio cum Diabolo, vel auditio Diaboli; adeóqve communio cum Diabolo: qvi Deum audit communionem habet cum DEO. 1h. 1. sic qvi Diabolum audit communionem habet cum Diabolo. th. 36. Qvid est consultatio Diaboli? Qvâ qvis non voluntatem DEI, sed Diaboli rescipit, id est, cognoscit, & facit; adeóqve non in Deum credit & sperat, id est, non Deum cogitat esse liberatorem ab omni malo, & largitorem omnis boni, sed Diabolum; & non à Deo sperat, seu exspectat liberationem ab omni malo, & largitionem omnis boni; sed à Diabolo. Observa ergo. Auditio seu consultatio Diaboli adversatur auditioni seu consultationi Dei, & qvidem execrabiliter. Patet. 1. an ita sit, Esa. 8. 19. ubi consulere seu audire Deum svadetur; sed consulere & audire Diabolum dissvaderur. Sic, Deut. 18, 11—15. 2. cur ita sit: qvia audiens seu consulens Diabolũ fidẽ & spẽ religiosam in solo Deo collocandã, in Dei hostem. Diabolo collocat, vel explicitè cum eum apertè, vel implicitè cum eum tacitè consulit.

XXIX. Patet consulentem Diabolum fidẽ & spem religiosam Deo soli debitam in Diabolo collocare: qvia Diabolus consultus à consulentibus ante omnia postulat fidem, qvâ credant eum hoc vel illud per hoc vel illud & posse facere, & actu facere:

XXX. Qvæ fides inter Diabolum consultum, & consulentes efficit fœdus, tùm apertè cum explicitè, tùm tacite cum implicitè consulitur, qvo consulentes promittunt Diabolo obsequium, id est, jussorum ejus receptionem, & executionem, cum qvadam religione, seu animi submissione: Diabolus verò promittit hoc vel illud in iis, vel per eos factutum. Correctio. Ergò consultatio, auditio Diaboli, seu magia Diabolica, venefica est illicita, & damnanda. qvia adversatur auditioni verbi Dei, & qvidem execrabilitèr. 2, qvia Deus omnes magicæ vanitatis species prohibet, & damnat, Deut. 18. 11. Lev. 19. 31. & 20. 27. Psal. 31. 7. Odio habui funes vanitatis observantes, id est, deditos magicis artibus. 3. qvia magia Gentis abominatio est, à qva Christianum longè discedere oportet, ac propter istas abominationes Deus Gentes sedibus suis ejecit. Deut. 18. 12. 4. qvia Magicis artibus dediti Fiducia Dei carent. 5, qvia nulla te Deus æqvè contemnitur atqve dum non agnoscitur esse Deus, qvod fit, cum non creditur gubernante eo omnia rectè curâ, & cura ac scientia tutorum aliis, qvàm ipsi soli tribuitur. Additur, diabolica & venefica: qvia magia naturalis, qvalis est Iohannis Baptistæ, & aliorum non dicitur illicita esse, & damnanda.

XXXI. *Qui consulunt & audiunt Diabolum?*

1. Explicite illi, qvi directè opem ipsius mer-

703147

Diaboli implorant, sive ad res occultas cognoscendas, sive ad res futuras prædicendas, sive ad res arduas efficiendas, ut sunt magi venefici, qvi habent goetiam, seu fallaciam & imposturam, qvæ immundorum spirituum familiaritate & auxilio constat: qvales sunt malefici, qvi carmine solo hominibus nocent, eósqve occidunt; Incantatores, qvi verbis solis aliqvid supra naturam moliuntur, ut aspides carminibus cogunt, ut virus ponant; Præstigiatores, seu illusores, qvi mira, qvæ tantùm apparenter fiunt, exercent; Epodi, qvi excantant pueros, & in eloqvium oraculi eliciunt; Arioli, qvi circa aras idolorum nefarias preces emittunt, & funesta sacrificia offerunt, sicqve Dæmonum accipiunt responsa; divini, ut Haruspices, qvi ex horarum inspectione; Astrologi judiciarii, seu Calendaristæ, qvi ex astris; Pythones, qvi per spiritum, qvem se habere dicunt; Sortilegi, qvi jactu, & inspectione ossium, alearum, librorũ, & qvarumvis scripturarum, & extorum; Genesiani, qvi nativitates hominum per 12. signa cœli describunt, ac per hoc actus, mores & eventus prædicere conantur, ut vides in Cisione nostra Ungarica; Horoscopi, qvi ex horis nativitatis; Necromantici, qvi ex mortuorum suscitatorum responsis, ut olim Pythonissa ex Samuelis responso; Hydromantici, qvi ex inspectione imaginis Dæmonis in aqvis; Geomantici, qvi ex inspectione terræ; Pyramantici, qvi ex inspectione ignis; Aeromantici, qvi ex aëris inspectione; Chiromantici, qvi ex manûs inspectione; Ornimanicti, qvi ex avium observatione; Chronomantici, qvi ex observatione

tione temporis, ut induendæ novæ vestis amãdandi, nuncii, &c. divinant, seu futura prædicũt. Deqvibus vide suis locis in Ravanello. 2. Implicite. 1. illi qvi illos homines consulunt, qvi Diaboli opem implorant, ut maleficos, incantatores, &c. 2. illi qvi illa media usurpant, sive ad rei occultæ cognitionem, sive ad rei futuræ prædictionem, sive ad rei arduæ effectionem, qvæ talem usum ex Dei institutione, vel ex natura sua non habent: qvales sunt illi. 1. qvi arcana mediis ex Diaboli instinctu introductis cognoscunt: qvales sunt illi qvi furem cribro, maleficii suspectos aqvâ ferventi, ferro candenti, immersione in aqvam indagant. th. 32. 2. qvi ex rebus à Diabolo inventis divinant, seu futura prædicunt: qvales sunt divinatores omnes, ut Haruspices, Astrologi, &c. th. 33. 3. qvi in simplici ignara & credula plebe. 1. ex verbis & rebus talem usum non habentibus futura colligunt: qvales sunt illi, qvi tristia vel læta ex fortuitis dictis, & factis antecedentibus conjectant: ut si lepus aut felis transcurrat: si salinum in mensa evertatur, aut vinum effundatur: si cum primo mane exierint domo, sternutaverint, aut pedem in limine offenderint. 2. verbis & rebus talem usum non habentibus effectionem rerum tribuunt: qvales sunt illi, qvi colo fuso & penso instructa mustelas abigunt: fractionem pedis canis sui illigato sedilis fulcro sanant: cruce Diabolos fugant: reliqviis sanctorum se se contra tentationes, pericula, morbos muniunt: preculis vel (ut vocant) lectionculis nefariis, & sale incantato bestias furientes curant: orationem Dominicam in col-

703147

in colligendis herbis ad curationem, & in curatione ægroti recitant, &c. th. 34. Observa ergo: 1. Diabolum consulunt tùm qvi eum directè invocant, tùm qvi invocant illos, qvi Diabolum invocant, tùm qvi illa media usurpant ad hoc vel illud, qvæ talem usum nec à natura, nec à Dei institutione habent. Patet, 1. an ita sit. Exod. 20. Non habebis Deos alienos, id est, ne consulas Diabolum nec directè, nec indirectè. Sic. Esa. 8. 19. 2. cur ita sit. 1. qvia sicut in consultatione Dei non tantùm tunc consulimus Deum, cum ipsum immediatè audimus, sed & tunc cum mediis utimur voluntatis ejus cognoscendæ & perficiendæ, qvæ sunt ab ipso instituta: sic etiam Diabolus consulitur non tantùm tunc cum eum immediatè in auxilium vocamus, sed etiam tunc cum iis mediis utimur aliqvid vel cognoscendi vel efficiendi, qvæ sunt à Diabolo introducta. 2. qvia talia media non habent vim illam, qvam præ se ferunt, à Deo, neqve in ordine naturæ, neqve in ordine gratiæ, neqve extraordinem per omnipotentiam suam operante: neqve possunt talem vim ab hominibus accipere, qvia homines non possunt illam virtutem, qvam ipsi non habent aliis communicare: neqve à sanctis Angelis talem vim accipiunt, qvia illi nihil agunt, nisi tanqvam ministri Dei. 1. Ergò Diabolus est author & operationum & significationum illarum, qvæ à talibus mediis pendent & Diabolus consulitur ab iis, qvi ab illis tale qvidqvam exspectant. Correctio. Ergò: 1. damnanda est: 1. ars Diabolica arcana cognoscendi. 2. divinatio Diabo-

Diabolica. 3. applicatio verborum & rerum ad prædictiones & effectiones Diabolica ut th. 32—34. fusius dicetur. 2. damnandus est Magistratus, qvi Diabolum consulentes tolerat, ut apud nos nuper jumentorũ ob nimiam siccitatem & æstum furientium celeberrimum incantatorem, & hodiè veneficas non paucas. Dehortatio. Ne ergo consulamus Diabolum nec directè, nec indirectè, id est, nec Diaboli opem imploremus, nec hominis Diabolo addicti, nec mediis à Diabolo inventis utamur. 1. qvia consultatio Diabolo adversatur auditioni verbi Dei. 2. qvia consultatio Diaboli prohibita est à Deo. 3. qvia populus Dei, Deum suum consulit. Esa. 8. 19.

2. Ars Diabolica divinandi seu futura prædicendi Christiano est illicita. Patet. 1. an ita sit. Non habebis Deos alienos in conspectu meo, id est, ne audias divinos. Sic. Esai. 8. 19. 20. 2. cur ita sit. 1. qvia est consultatio cum Diabolo, ut dictum, th. 31. 2. qvia lex divina damnat. Lev. 20. 27. Deut. 18. 11. 3. qvia Christus divinationem damnat cum dicit: Act. 1. 7. 4. qvia adversatur auditioni verbi Dei, est enim, (ut dictũ) consultatio Diaboli. 5. qvia divini, miserè deludunt eos, qvi ipsos consulunt: unde dicuntur videre falsum, Zach. 10. 2. & divinationes eorum denotantur per mendacium. Ezech. 31. 24. ipsiqve intelliguntur per mendaces. Esai. 44. 20. Ier. 50. 36. 6. qvia Deus divinorum signa irrita facit. Esa. 44. 25. Refutatio. Ergò divinatio non est licita, ut qvidam volunt. Obj. Christus approbat divinationem ex creaturis,

703147

nimirum ventis, nubibus. Luc. 12. 54. 55. Ergò licita est divinatio. Resp. Ex signis naturalibus licet divinare, ut divinant medici, Nautæ, Agricolæ. Divinatio alia est licita, qvæ fit ex signis naturalibus observatis, qvalis est Phisicorum, medicorum, nautarum, Agricolarum qvalem Christus probat: alia est illicita, qvæ fit ex signis diabolicis, seu talem usum non habẽtibus, qvalis est hæc, qvam illicitam docemus. Perkins. tom. 1. p. 1123. Dehortat. 1. Ne ergo toleremus in Christianis Ecclesiis divinos, n. Haruspices, Astrologos, &c. Moveant præter dictas rationes, 1. qvia amoverunt Ariolos è terra Saul Rex alioqvin impius. 1. Sam. 28. 3. 9. & Iosias. 2. Reg. 23. 24. 2. qvia Manasses damnatur, qvod ariolos instituerit. 2 Reg. 21. 6. 2. Chron. 33. 6. 2. Ne metuamus nobis à divinis & eorum divinationibus: qvia divini divinationibus, seu incantationibus suis non possunt nocere fidelibus. Num. 23. 23. divinatio non est contra Iacobum.

3. Astrologia judiciaria, qvâ Calendaristæ, ex astrorum aspectu de futuris contingentibus, n. de actionibus hominum voluntariis, ut de conspirationibus, bellis, captivationibus, proditionibus, &c. & de casualibus his vel illis, ut de fame, peste, terræ motu, naufragio, &c. aliqvid certi concludunt, præsignificant, & prædicunt est Christiano illicita. Additur, cõtingẽtibus: qvia de naturalibus & necessariis ut de Ecclipsibus, tempestatibus serenis, pluviosis, ventosis licet nobis conjecturas facere. Patet. 11. an ita sit. Non habebis Deos alienos, id est, ne audias Astrologos. Sic. Deut. 18. 10. Ne inveni-

invenitor in te Planetarius, id est, Astrologus judicans ex aspectu stellarum, de futuris contingentibus in particulari. 2. Cur ita sit. 1. Qvia consulit Diabolum, ut dictum. th. 31. 2. Qvia astra qvamvis generalem qvandam dispositionem aut inclinationem inferre possint inferioribus naturis, tanqvam causæ communes, nõ possunt tamen certæ esse causæ, aut signa naturalia hujus vel illius effecti in particulari, non magis qvam gallina incubans varii generis ovis causa est aut certũ signũ, qvod alius pullus ex uno ovo, & alius ex alio nascatur. Ames. l. 4. cas. c. 23. q. 4. Perkins. tom. 1. p. 1125. 3. Q. astris tribuitur qvod solius Dei est. 4. Qvia à divinæ providentiæ consideratione hominum mentes avocant dùm ex syderum motu omnia provenire credunt. Qvæ deinde causa est, ut in secundis rebus minùs fervidi sint in precibus & religionis studio: in adversis verò non Dei manũ, peccata punientis cognoscunt, sed illa sibi ex astris necessario contingere arbitrentur. 5. Qvia Ieremias c. 10. 2. Astrologiam viam gentium vocat, & eos gentium similes esse dicit, qvi astra observant, aut metuunt, qvasi illa nobis aliqvid mali vel boni ex se ipsis portendere possint. 6. Qvia per Astrologiam Deus ipse qvodammodo astris subjicitur; & abolitæ dudum gentium superstitiones reducuntur. Qvid enim illæ olim plus tribuerunt Iovi, Mercurio, Phœbo, Veneri, Marti, Saturno, & Diannæ, qvam hodiè illorum astris vanissimi homines tribuunt, qvando inspectâ nativitatis hora, de toto vitæ cursu, imò & de animæ vitiis & virtutibus audacissimè vaticinantur. 7. Qvia

703147

Qvia Amos. c. 5. 26. Astrologiam cum gentilium idolis conjungit, & eandem rationem astrorum & idolorum esse docet. Correctio. Ergò impii sunt Astrologi judiciarii, Calendaristæ, Cisionistæ, qvi ex aspectu syderum. 1. rerum copiam, famem, pestem, bella, terræ motũ, naufragia, varios morbos, obitum Principum, incendia, &c. prænunciant. 2. dies certos, corpus potionibus, pilulis purgandi, venam aperiendi, balneis utendi, scarificandi, iter suscipiendi, matrimonium contrahendi, venandi, piscãdi, plantandi, pecus castrandi, &c. eligunt & prædicunt. Refutatio. Ergò Astrologia judiciaria, non est licita, ut qvidam volunt. 1. Obj. Sol, Luna, Stellæ in signa sunt conditæ: Ergò licet ex illis divinare. Resp. Consequens negatur: qvia stellæ, in signa sunt conditæ veris, æstatis, autumni, hyemis, dierum, septimanarum, mensium, mutationum cœli in genere non rerum futurarum contingentium in particulari, ut famis, pestis, belli, &c. 2. Obj. Moses & Daniel propter suam artem, in Astrologia judiciaria seu divinatoria laudantur. Act. 7. 22. Dan. 1. 17. 20. Ergò licita est Astrologia judicaria. Resp. Anteced. negatur, hoc enim ex istis locis ostendi neqvit. 2. Cõseq. negatur, qvia & si illi, artem illam pueri didicerint, illam tamen adulti non exercuerunt & colnerunt. Perkins. tom. 1. p. 1122. & seqventibus. Dehortatio Ergò. 1. ne ematis librum Prognosticum Astrologorum, ut Calendarium & Cisionem. 2. ne credatis Calendarii mendaciis, eáqve ne metuatis. 3. ne Calẽdaristæ fiatis. 4. ne Kalendaristas toleretis.

Move-

Moveant vos præter rationes. 1. qvia Judæi reprehenduntur, qvod Astrologos suos consuluerint, Esai. 47. 12—15. 2. qvia Deus minatur Calendaristis, Esai 44. 25. 3. qvia Astrologia ista est ex abominationibus Gentium. Deut. 18. 9. 4. qvia Christus prohibet solicitudinem de rebus futuris. Matth. 6. 11. 34.

4. Is, qvem Pythonissa evocaverat non fuit verus Samuel. Patet. 1. an ita sit. Apoc. 14. 13. 2. cur ita sit. 1. Qvia ante hoc tempus Deus recesserat à Saule, & consultus ab eo nõ respondit ei, nec voluit eum amplius exaudire. 1. Reg 28. 6. 15. Ergò non passus est Deus Samuelẽ evocari, ut per eum Sauli responderet. 2. Qvia solius Dei omnipotentis est, hominem è morte suscitare, ut dictum. l. 1. Med. c. 9. th. 12. 3. Qvia id potest Diabolus tantùm agere qvod Deus permittit: At Deus non permittit Diabolo, ut fidelium corpora, & animas disturbet, secùs non esset verum, qvod dicitur Apoc. 14. 13. 4. Qvia Samuelis anima fuit in manu Dei, unde Diabolus eam eripere non potuit. Ioh. 10. 29. corpus verò putrefactum, qvod restaurare Diabolus neqvivit. 5. Qvia verus Samuel arguisset Saulem, qvod Pythonissam consuleret: At Samuel qvem Pythonissa evocavit, hoc non fecit: Ergò: Refutatio. Ergò Samuel qvem Pythonissa evocavit non fuit verus Samuel; Sed ipsissimus Diabolus, qvi arte sua imaginem Samuelis efformavit & effinxit. Obj. Pontifi: Defuncti sæpè apparent, & post sepulturam oberrant: Ergò verus Samuel potuit evocari à Pythonissa. Resp. Sic. Pontificii & imperiti sentiunt; Sed erronè

valdè

703147

valdè: qvod patet. Luc. 16. 22. 23. Apoc. 1
23. Perkins. tom. 1. pag. 1135. & seqventibu

XXXII. Quid sentis de artibus arcana cognoscendi?

Artes arcana cognoscendi sunt vel divinæ, qvales sunt sex artes, n. Grammatica, Rhetorica, &c. adeóqve in Politia inqvisitio, in Schola analysis; vel Diabolicæ, qvales sunt cribrum, aqva fervens, ferrum candens, inspectio unguis, cetæ, fusio plumbi, &c. Iam, artes divinæ arcana cognoscendi commendandæ sunt: artes vero diabolicæ arcana cognoscendi condemnandæ sunt: qvia (ut dictum) qvi per illa media vult arcana cognoscere, qvæ ad arcana cognoscenda nec à natura, nec à Deo ordinata sunt, ille diabolum consulit.

XXXIII. Quid sentis de divinatione seu futurorum prædictione?

Divinatio est licita, qvæ nititur revelationi Dei, ut Prophetarum, & naturæ cuius, ut Physicorum, qvi ex aspectu stellarum divinant, 1. appropinqvationem & recessionem veris, æstatis, autumni, hyemis. 2. ordinariam coeli aeriisqve temperiem & dispositionem in regionibus. 3. accessum & recessum maris. 4. tempore & oportunitates arandi, seminandi, inserendi, plantandi, incidendi, cædendi, metendi: vel illicita, qvæ nititur mediis à Diabolo inventis, ut Haruspicum, Astrologorum, &c. qvia illi, qvi per illa media divinant, qvæ ad divinationem nec à natura, nec à Deo ordinata sunt, illi

Diabolum consulunt, seu Diaboli opem imborant, ut dictum.

XXXIV. Quid sentis de applicatione verborum & rerum ad prædictiones & operationes?

Applicatio verborum & rerum ad prædictiones & operationes est vel licita, qvâ illa verba & res applicantur ad prædictiones & operationes, qvæ natura vel DEUS ordinavit: ut cum ex luminaribus cœli appropinqvationem vel recessum veris, æstatis, autumni, hyemis prædicimus; ex lunæ pallore pluvias, rubore ventum, albore serenitatem prænunciamus; pluvis fœcundationem terræ; vani, vino sustentationem tribuimus; ex verbo Dei futuritatem Dei itam prædicimus; verbo Dei & sacramentis vim regenerandi, salvandi inesse credimus: vel illicita, qvâ illa verba & res applicantur ad prædictiones & operationes, qvæ Diabolus ordinavit: ut cum ex verbis fortuitò dictis futura læta vel tristia colliguntur; ex structura corporis humani, insomniis, portentis, fortunæ libris, somnialibus, &c. futura prænunciantur; orationi Dominicæ, scripturæ sacræ alicui sententiæ descriptæ, & circa collum suspensæ, mensurationi, nefariis precibus vis sanandi, ligaturis, &c. vis nocendi tribuitur. Iam, applicatio verborum & rerum ad prædictiones & operationes licita commendanda est, qvia qvi per illa media prædicit & operatur, qvæ Deus, natura ordinavit, ille Deum audit; sed applicatio verborum & rerum ad prædictiones & operationes illicita est damnanda, qvia qvi per

703147

media à Diabolo inventa prædicit & operatur, ille Diabolum audit & consulit, ut dictum. th. 31. Unde accepit Diabolus & homo ei addictus occasionem rebus ineptis arcana cognoscendi, divinandi, operandi? Occasionem accepit. 1. occulta cognoscendi ex Urim & Thummim, & ex aqva amaritudinis. 2. divinandi ex divinationibus DEI per Prophetas. 3. operandi à Deo verbo creante omnia, ex verbo institutionis conservante elementa, à Christo luto excitatem, alios morbos verbo solo curante: ut enim simia hominem; sic Diabolus Deum imitatur in actionibus suis, ut Pererius & Perkinsus scribunt.

XXXV. Obj. præcc. Consultatio Diaboli adversatur orationi: Ergò non auditioni verbi DEI. Resp. Conseq. negatur. In consultatione enim verbi Dei continetur. 1. imploratio auxilii Diaboli. 2. exspectatio revelationis voluntatis Diaboli. 3. submissio animi ad voluntatem Diaboli revelatam recipiendam, & exeqvendam. Iam, consultatio Diaboli respectu implorationis seu petionis auxilii Diaboli adversatur orationi, qvia auxilium petendum est à Deo: sed respectu exspectationis revelationis voluntatis Diaboli, & submissæ voluntatis Diaboli receptionis & executionis, adversatur auditioni verbi Dei, qvia revelata est voluntas DEI in verbo suo, & ea est religiosè, seu cum animi submissione recipienda, & exeqvenda.

XXXVI. *Quare est illicita communio cum Diabolo?*

Com-

Communio, consultatio, invocatio, auditio Diaboli est illicita: 1. qvia seducit, id est, à virtute abducit, & in peccatum inducit, persvadendo falsum & malum verum & bonum esse, ut seduxit Evam, & per eam Adamum. 2. qvia suâ natura pugnat cum vera religione, seu subjectione animi erga Deum, adeóqve fide, spe, charitate erga Deum, qvia pugnat cum adoratione & auditione Dei, qvæ sunt actus religionis, n. fidei, spei, charitatis, ut dictum. th. 7.

XXXVII. 3. qvia licita communio est vel civilis, qvâ mutuò nos invocamus, audimus, juvamus in vita civili; vel religiosa, qvâ mutuò nos invocamus, audimus, juvamus in vita spirituali, seu in cultu Dei; vel talis, qvalis fuit olim inter Angelos bonos & sanctos, n. Abrahamum, Isacum, Iacobum, &c. At cum Diabolo communionem nec civilem habemus, qvia non habitamus cum illis in una civitate, nec religiosam habere possumus, qvia unâ cum illis non colimus Deum religiosè; nec talem possumus habere, qvalem habuerunt olim sancti cum bonis Angelis: qvia boni Angeli mittuntur à Deo, ut ministrent nobis, & juvent nos; sed Diaboli non mittuntur à Deo ut ministrent nobis & nos juvent: Ergò communio cum Diabolo, id est, invocatio ejus ad auxilium, & auditio, seu intellectio voluntatis ejus, & obsequium est illicita.

XXXVIII. *Quid ergo licet & non licet agere cum Diabolo?*

Licet. 1. illud agere cum Diabolo, qvo illi resistimus, cum fugamus: ut universam armatu-

703147

tutam Dei contra illum sumere, eáqve contra illum stringere, cúmqve iis ferire: 1. qvia est hostis juratus animarum nostrarum. 2. qvia hoc postulat vera religio, id est, fides, spes, charitas erga Deum, auditio & adoratio Dei: sed. 2. Non licet illud agere cum Diabolo, qvo illi non resistimus, cum non fugamus, sed potius ad nos allicimus: ut illum vocare in auxilium, ejus voluntatem velle cognoscere, recipere, facere: 1. qvia cum Diabolo (ut dictum. th. 37.) nullam communionem licet habere: nulla enim est communio luci cum tenebris. 2. Cor. 6. 14. 2. qvia illud spectat ad religionis veræ violationem, & est religio qvædam perversa, id est, illud non subjicit animam Deo, sed Diabolo; adeóqve illud non est credere, sperare in Deum, audivere & invocare eum; sed credere, sperare in Diabolú, eũ audire & invocare.

XXXIX. Obj. præocc. In communione, seu cum Diabolus invocatur & auditur, Diabolus subjicit se homini virtute incantationum, non homo subjicit se Diabolo, facit enim Diabolus voluntatem & mandatum hominis eum invocantis & audientis: Ergò communio illa, seu invocatio & auditio Diaboli non violat veram religionem, seu subjectionem erga Deum, & non est perversa religio, seu subjectio animi ad Diaboli jussa capessenda & exeqvenda. Resp. Conseq. negatur; qvia Diabolus virtute incantationum non reipsâ subjicit se homini; sed simulutè, hoc fine, ut hominem magis possit sibi subjicere, eíqve imperitate. Incantatio est oratio (seu carmen) verbis peregrinis & barbaris constans, seu Symbolum, aut veluti tessera

tessera qvædam Diabolo data, qva ad prodigia operanda impellatur, adhibitum, ut vides in Perkinso.

XL. *Qui fiunt participes communionis cum Diabolo?*

Omnes illi participes fiunt communionis cum Diabolo, qvi morbos incantationibus, id est, preculis, verbis, & imaginibus, characteribus, mensurationibus, fusione plumbi, pictationum scriptarum suspensione, &c. curant, ut Sagæ nostræ; vel se & suos curari volunt & permittunt, ut multi in Ecclesia nostra: qvod patet: qvia Diabolum consulunt, qvia illa media usurpant ad hoc vel illud, qvæ talem usum à DEI creatione vel ordinatione non habent. Observa ergo: 1. Curatio morborum qvæ fit per incantatorum preculas est illicita. Patet. 1. an ita sit, Deut. 18. 11. Ne invenitor in te utens incantatione, id est, curans morbos preculis, verbis, &c. 2. cur ita sit. 1. qvia est communio cum Diabolo (ut dictum) qvæ licita non est, ut dictum. th. 36. 2. qvia illa media sunt illicita, qvia à DEO prohibita sunt in textu, & primo præcepto. 3. qvia licitis mediis à Deo per optimos Medicos præscriptis curandi sunt morbi. 4. qvia sanitas à DEO petenda est: DEUS enim immittit morbos. Amos. 3. 6. Deus liberat à morbis. Psal. 103. 3. Dehortatio. Ergò ne curemus morbos preculis, verbis, &c. 2. Ne permittamus nos & nostros preculis curari. Obj. 1. Precamini alii pro aliis, ut sanemini. Iac. 5. 16. Ergò licet morbos verbis & preculis curare. Resp. Cõseq.

703147

seq. negatur : qvia preces nostræ & Ecclesiæ non virtute inhærente sanant morbos, ut incantatores putant ; sed impetratione à Deo. 2. Magnam vim habent verba & preculæ : Ergò iis licet morbos curare. Resp. Anteced. falsum, ut vides in Perkinso. 2. Curatio morborum & qvæ fit verbo DEI vel descripto & circa collum suspenso, vel ægrotanti insufflato, est illicita. Patet. 1. an ita fit. Deut. 18. 11. sic primo præcepto. 2. cur ita fit. 1. qvia est communio cum Diabolo : qvia verbum Dei non est ordinatum ab ipso ad curationem morbi corporalis. 2. qvia nomen Dei frustrà assumitur, cum non ad bonum finem verbum Dei usurpatur. 3. qvia Chrisostomus inqvit super. Matth. 23. Dic (inqvit) Sacerdos insipiens, nonne qvotidiè Evangelium in Ecclesia legitur & auditur ab omnibus ? Cui ergo posita in auribus Evangelia nihil prosunt, qvomodo possint circa collum suspensa salvare ? Deinde, ubi est virtus verbi, in figuris literarum, an in intellectu sensuum ? Si in figuris, bene circa collum suspendis : si in intellectu ergo melius in corde posita sunt, qvam circa collum suspensa. Refutatio. Ergò errant Pontificii secùs sentientes. Obj. Verbum Dei bonum est : Ergò curatio, qvæ fit verbo bona est. Resp. Ut non valet Missarii argumentatio : Non nisi bona verba in Missa dicuntur & leguntur : ergo missa bona est ; ita nō valet : verbum Dei bonum est : Ergò curatio per verbū bona est. Hîc enim verbum aliò transfertur, non manet in suo genere. Talis est ebrioſi argumentatio : Vinum est bonum : Ergò ebrietas

etas est bona. Nam ebriosus eo magis peccat, qvo magis bona Dei creatura abutitur.

XLI. Obj. præcc. 1. Verba, figuræ, &c. habent sympathiam, & antipathiam, specificas virtutes morbos curandi : Ergò habent idoneam virtutem ad morbos curandos ; adeòqve verbis & similibus rebus morbos curantes non habent communionem cum Diabolo. Resp. Conseq. negatur. Differunt enim res sympathiam, antipathiam, specificas virtutes morbos curandi habentes à talibus incātationibus, id est, verbis, figuris, &c. 1. qvia res qvasdam sympathiam, antipathiam, specificas vires morbos sanandi habere observamus ; sed incantationes, n. verba, figuras sympathiam, antipathiam, specificas virtutes morbos curandi habere non observamus. 2. qvia res qvæ sympathiam, antipathiam, proprias vires morbos curandi habent, non postulant fidem, ut scil. credamus eas nos posse sanare ; sed incantationes, seu verba, figuræ, postulant fidē, ut scil. credamus eas nos posse sanare. Sympathia est amicitia rei cum re : ut magnetis cum ferro. Antipathia est inimicitia rei cum re : ut rutæ cum bufone, & serpente. Specifica virtus morbos sanandi est in herbis medicinalibus, Timpler. Physic. pag. mihi 160. & seqq.

XLII. 2. Verba, figuræ, &c. ideò curant morbos, qvia iis curantes morbos fortiter imaginantur, cogitant, opinantur sanitatem morbidi : Ergò curantes morbos verbis, figuris non habent communionem cum Diabolo. Resp. 2. Anteced. negatur : qvia non cuncti mor-

703147

bos verbis & figuris curantes imaginantur fortiter ægroti sanitatem. 2. Conseq. negatur: qvia imaginatio illa sæpè oritur ex fide religiosa in Diabolum, & Diaboli media, qvâ tales credunt Diabolum per illa inepta media posse & velle sanare patientem suum. Additur, sæpè: qvia imaginatio illa in imperitis ex consvetudine verbis morbos curantibus non oritur directè ex fide in Diabolum; sed ex consvetudine tantùm. Instant, Imaginatione fortì parentes liberis, & homines pecudibus possunt prodesse, vel obesse: Ergò imaginatio fortis non oritur ex fide in Diabolum, & ejus media. Resp. 1. Imaginatione fortì parentes liberis in se existentibus possunt prodesse, vel obesse, matres enim fortì suâ imaginatione possunt fœtus suos formosos, vel deformes, & mõstrosos reddere, qvia fortis imaginatio matrum in subjecto magnas per se vires habet, experientiâ teste 2. Parentes liberis existentibus extra se, & homines pecudibus fortì suâ imaginatione prosunt vel obsunt non per se, sed per Diaboli operationem concomitantem: qvia fortis imaginatio matrum & hominum extra subjectum per se nullas vires habet. Perkins. tom. 1. pag. 1143.

XLIII. Quòpercipiunt fructum ex cõsultatione Diaboli, seu, rebus à diabolo introductis, qui possunt occulta cognoscere, futura prædicere, ardua efficere?

Non illi, qvi verbum Dei audiunt, qvia illis mediis

mediis à Diabolo inventis non utuntur, & sunt inimici Diabolo; sed illi, qvi Diabolum audiunt, qvia illi utuntur mediis à Diabolo excogitatis, & illi sunt amici Diaboli: Diabolus enim non inimicos, sed amicos suos juvat. De consultatione Diaboli Perkinsus agit sub nomine Basceanologiæ tom. 1. pag. 1099. & antiprognostici. tom. 2. pag. 456. Steph. Szeged. in loc. comm. sub nomine Magiæ. Caspar. Peucerus in comment. de præcipuis divinationum generibus. Thomas. sub titulo superstitionis 2. 2. q. 95.

CAPUT IX.

De Oratione.

ANALYSIS.

ORatio explicatur. I. A definitione. th. 1. II. A genere: nempe actu religioso. th. 2. ex qvo consectarium infertur. th. 3. III. A causis efficientibus secundis, qvarum prima est fides. th. 4. ex qva consectarium colligitur. th. 5 secunda spes. th. 6. tertia charitas. th. 7. ex qva consectarium infertur th. 8. IV. A differentia, qvâ differt ab audirione verbi. th. 9. V. A forma: nempe voluntate repræsentata coram D. & O. th. 10. cujus. 1. ratio redditur, ibidem. 2. indicatur instrumentum tùm primarium. th. 11. unde duo consectaria colliguntur. th. 12—15. tùm secundarium. th. 13. unde duo consectaria colliguntur. th. 14. & 16. 3. indicatur qvalitas. th. 17.

VI. A

703147

VI. A fine. th. 18. cujus ratio proleptica datur. th 19. qvæ. 1. confirmatur. th. 20. 2. usus submini strat. th. 21—22. VII. Ab adjunctis: nempe confessione & promissione, qvæ in omni oratione adhiberi debent. th. 23. qvod ostenditur. th. 24. ubi. 1. de confessione, qvæ explicatur. 1. à descriptione. th. 25. 2. à finibus. th. 26. 3. à modo. th. 27. 2. de promissione, qvæ definitur. th. 28. ubi occurrens propositum describitur. th. 29. cujus propositi prosequendi medium indicatur tùm ordinarium & necessarium, th. 30. tùm extraordinarium & arbitrarium, th. 31. unde consectarium infertur. th. 32. VIII. A distinctione qvoad modum. 1. in brevem ejaculationem desiderii, vel in continuatam seriem orandi. th. 33. qvarum indicatur. 1. tempus. th. 34. 2. distinctio in mentalem & vocalem. th. 35. ubi 1. de mentali, qvæ describitur. th. 36. 2. de vocali, qvæ explicatur. 1. à descriptione. th. 37. ubi occurrens vox describitur. th. 38. unde tria consectaria colliguntur. th. 39—41. 2. à gestu. th. 42. 3. à distinctione, qvæ est in eâ, qvæ est in prosa, vel ineâ, qvæ est in metro. th. 43. ubi de oratione vocali, qvæ est in metro, cujus indicatur adjunctũ, n. cantus. th. 44. cujus designatur 1. finis. th. 45. qvæ cõfirmatur. th. 46. 2. natura proleptice propositæ, est enim oratio. th. 47. 3. non materia ex. th. 47. illata. th. 48. 4. non gestus ex. th. 45—46. illatus. th. 49. IX. A distinctione qvoad modum. 2. in solitariam vel cum aliis, seu sociam. th. 50. ubi orstio cum aliis seu socia explicatur. 1. à distinctione in orationem,

qvæ

qvæ fit. 1. prosâ, cujus indicatur modus, qvo habẽda est. th. 51. unde usus refutationis colligitur. th. 52. 2. cantu, cujus indicatur modus, qvo instituenda est. th. 53. 2. à sermone, qvo fieri debet. th. 54. unde consectariũ colligitur. th. 55. X. A speciebus: nempe petitione & gratiarum actione. th. 56. ubi, 1. de petitione, qvæ explicatur. 1. à definitione. th. 57. ubi occurrit petionis. 1. genus, oratio. 2. objectum, n. id qvod deest: qvod. 1. explicatur à modis, qvibus deest id qvod petimus. th. 58. 2. usu qvodam illustratur. th. 59. 3. finis vel effectus, qvi non est mereri aut satisfacere; sed impetrare tantùm. th. 60. cujus notatur. 1. descriptio. th. 61. 2. vindicatio. th. 62. 3. causa th. 63. unde consectatium colligitur. th. 64. 4. à modo petendi. th. 65. ex qvo duo consectaria colliguntur. th. 66—67. 5. ab objectis maximè petendis. th. 68. unde subjecta pro qvibus petimus colliguntur. th. 69. qvod. 1. probatur an ita sit tùm ex loco subjecto, tùm ex benedictionibus Patriarcharum, Prophetarum. th. 70. tùm ex salutationibus & valedictionibus sanctorum. 2. usu refutatorio-informatorio illustratur. th. 71. 6. à distinctione in apprecationem. th. 72. qvæ definitur. th. 73. vel in deprecationẽ, qvæ explicatur. 1. à definitione. th. 74. 2. à modo peculiari: nempe interpellatione thesi eadem. 3. ab aliis duobus adjunctis internis, ordinariis: nempe qverela & lamentatione. th. 75. qvarum illa. 1. definitur. th. 76. 2. adjunctum ejus notatur. th. 77. hæc verò definitur. th. 78. 4. ab adjuncto extraordinario.

externo

703147

externo nempe jejunio, th. 79. qvod definitur, th. 80. ex qvo definitione tres usus colliguntur. th. 81—83. 83. 2. de gratiarum actione, qvæ explicatur. 1. à definitione. th. 84. 2. à genere. th. 85. 3. ab objecto. th 86. qvod. 1. à dubus objectionibus liberatur. th. 87-88. 2. à consectario de requisitis bonæ gratiarum actionis illustratur. th. 89. 4. à fine propio. th. 90. unde consectarium colligitur. th. 91. unde iterum tria alia consectaria colliguntur. th. 92—94. 5. à phrasibus, qvibus gratiarum actio exprimitur in scripturis. th. 95. 6. ab adjuncta hilaritate. th. 96. 7. à non objecto: nempe malo. th 97. qvod ab objectione vindicatur, thesi eadem.

EXPLICATIO.

I. Quid est oratio?

Est voluntatis, &c. id est, oratio est actus religionis ab homine pio per Spiritum Sanctum institutus, qvo desideria sua coram Deo repræsentat, id est, in Christo humiliter bona promissa à DEO petit, & pro bonis acceptis gratias agit, ut eo DEUM impellat, ut det sibi qvod petit, & accipiat à se qvod ipsi dat. Ubi est. 1. definitum, oratio, qvæ notat non Rhetorum more, arte elaboratam sermonis seriem, qvam Græci logon dicunt; sed Theologicè sacrum cum Deo, non tàm oris, qvam cordis sermonem, seu colloqvium. 2. definitio, ubi est. 1. genus, actus religionis. 2. subiectum, seu is qvi Deum orat, n. homo fidelis. 2. efficiens orationis, n. Spiritus Sanctus.

Sanctus. 3. objectum seu is, qvem adoramus, qvi specialiter est Pater, Eph 3. 14. cõmunitèr autem Trinitas, 1. Joh. Pater, Filius, S. Sanctus. 2. Cor. 13. 13. 4. objectum, seu is per qvem Deus adoratur, n. Christus. 5. objecta seu res, qvas Deum oramus, n. promissa bona. 6. Finis, ut illâ Deus qvasi afficiatur, id est, ad largitionem eorum, qvæ nobis decrevit, & voluit dare, & ad acceptionem eorum, qvæ nos ipsi gratias agentes dare volumus, impellatur. Observa ergo: Causa efficiens prima orationis est Spiritus Sanctus, seu, is qvi efficit, ut Deum adoremus, invocemus est Spiritus S. Pater. 1. an ita sit. Rom. 8. 26. Spiritus interpellat pro nobis suspiriis inenarrabilibus, id est, instigat nos ad preces & gemit⁹, & nobis veluti verba; & suspiria intus dictat. Sic. Gal. 4. 6. Spiritus S. clamat, id est, facit ut clamemus. Zach. 12. 10. Spiritus vocatur Spiritus precum, qvia nos facit precari. Judæ. 20. & 1. Cor. 14. 15. Spiritu orandum esse jubet, id est, Spiritus Sancti instinctu. 2. cur ita sit. 1. Qvia sine Spiritu Sancto, qvid oremus ut oportet non novimus, Rom. 8. 26. exemplum illustre videsin Rege Hiskia, qvi inter alia dicit: Gemebam sicut Columba. Esa. 38. 2. Qvia per Spiritũ Sanctum novimus illa, qvæ Deus nobis gratificatus est. 1. Cor. 2. 12. 3. qvia sine Spiritu Dei idonei non sumus ad cogitandum qvicqvãm. 2. Cor. 3. 5. 4. Qvia orationem efficit fides, ut dicetur. th. 3. Ergò efficit Spiritus Sanctus. Ratio. Conseq. Qvia fidem efficit Spiritus S. 1. Cor. 12. 3. 1. Petr. 1. 22. collato cum versu 21. Hinc fidei Spiritus, pro fide & Spiritus San-

703147

cti afflatu. 2. Cor. 4. 13. Informatio. Ergò summè necessarius est nobis Spiritus Sanctus. Refutatio. Ergò non habens Spiritum Sanctũ non potest benè orare. Addo, benè: qvia S. S. non habentes, & irregeniti possunt orare, sed malè, qvia eorum orationem aversatur Deus, Prov. 28. 9. Contra Pontificios & Socinianos. Exhortatio. Ergò oremus Deum, det nobis Spiritum Sanctum, tumqve ne recipiat à nobis. Psal. 51.

II. *Oratio est ne actus religionis?*

Oratio est actus religionis, seu officium Deo debitum. Patet. 1. an ita sit. Matth. 4. 10. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Sic. Psal. 50. 15. 2. cur ita sit. 1. qvia est actus fidei. Iac. 5. 15. spei, charitatis, ut dictum c. 8. th. 1. Ergò est officium religionis: qvia fides, spes, charitas est officium religionis. 2. qvia directè defert honorem Deo: qvia agnoscit & testificatur Deum esse omnificum, omnipotentem, largitorem omnis boni: Ergò est officium religionis: qvia religionis proprius actus est honorem deferre Deo, ut dictum c. 4. th. 28. 3. qvia religio respicit Deum, qvâ est sufficiens ad omnia, & efficiens omnium, ut dictum c. 4. th. 20. At oratio respicit Deum qva est sufficiens, & efficiens: Ergò. Informatio. Ergò oratio soli DEO convenit, qvia officium religionis soli DEO convenit, ut dictum c. 4. th. 19. Refutatio. Ergò adoratio hæc nulli creaturæ convenit: qvia officium religionis nulli creaturæ convenire potest, ut dicetur thesi seqventi. III.

III. *An solus Deus religiosè à nobis invocari & adorari debeat?*

Sic. Patet. 1. an ita sit. Matth. 4. 10. Sic. Deut. 6. 13. & 10. 20. 2. cur ita sit. 1. qvia oratio est actus religionis, ut dictum th. 2. At actus religionis soli Deo debetur. 2. qvia solius veri Dei religiosa adoratio mandatur. Psal. 50. 15. Ioh. 16. 24. 3. qvia solius veri Dei religiosa adoratio firmatur promissione. Psal. 50. 15. Exaudiam te. Ioh. 16. 24. accipietis, & v. 23. dabit vobis. 4. qvia præter verum Deum à sanctis Angelis & hominibus neminem unqvam religiosè invocatum in scriptura legimus. 5. qvia Christus nos orare docens, Patrem, qvi in cœlis est, invocandum esse docet. Matt. 6. 9. 6. qvia solus DEUS est omniscius, omnipotens, largitor omnium bonorum. Refutatio. Ergò errant Pontificii religiosè adorantes Angelos sanctos, & homines sanctos defunctos, imagines, hostiam consecratam, imaginem crucifixi, ipsam crucem, reliqvias, ut veronicam, seu sudarium, in qvo facies Christi à veronica expressa fingitur, mappam Christi, &c. ut vides in Polano. l. 9. c. 21. Admonitio. Ergò religiosè adoremus Deum solũ, n. 1. Patrem. Dan. 9. 2. Filium. Filius Dei est religiosè adorandus. Patet. 1. an ita sit. Psal. 4. 15. 7. & 102. 25, 26. Colos. 7. 17. 2. cur ita sit. 1. qvia in eum credimus. Rom. 10. 14. 2. qvia Pater jubet. Hebr. 1. 6. 3. qvia sancti eum adorarunt religiosè. Matth. 2. 2. & 8. 2. 5. & 9. 27. Ioh. 9. 38. Act. 7. 59. Apoc. 22. 20. Refutatio. Errant Sociniani negantes Filium

703147

DEI æternum Deum esse. Obj. Sancti illi nò benè fecerunt, qvod Filium Dei religiosè adorarunt. Resp. Negatur: qvia Filius Dei probavit. 3. Spiritum Sanctum. Spiritus Sanctus est religiosè adorandus. Patet. 1. an ita sit. 2. Cor. 13. 13. 2. cur ita sit. 1. qvia in eum credimus, Symbolo Apost. 2. qvia mandatur in in baptismi institutione. 3. qvia distribuit dona. 1. Cor. 12. 4. qvia sancti eum religiosè adoratunt, ut baptizantes, Paulus. 2. Cor. 13. 13. Iohannes. Apoc. 1. 4. Refutatio. Errant Socciniani negantes Spiritum Sanctum verum Deum esse, adeóqve religiosè invocandum esse. 4. Patrem & Filium. Gen. 48. 15. 16. 1. Thes. 3. 11. 5. Tres personas simul Deitatis. Esa. 6. 3. Sanctus, Sanctus, Sanctus est Iehova. Dictus est hic hymnus Patri, Filio, Ioh. 12. 41. Sp. Sancto. Act. 28. 25. 26. Sic. 2. Cor. 13. 13. Apoc. 1. 4. 5. Moveat nos præter rationes dictas. 1. metus pœnarum, qvas infligit Deus iis, qvi ipsum non invocant. Psal. 79. 6. Ezech. 22. 30. 31. Soph. 3. 1. 2. 2. exempla piorum Deum solum religiosè invocantium. 3. multa mala, qvæ nos circumstant. Matth. 26. 41. 4. utilitas orationis. Iac. 5. 16. Vide plura in Polano Theol. l. 9. c. 15. 2. Angeli sancti, & homines sancti defuncti suntne religiosè invocandi? Non. Patet. 1. an ita sit. Non habebis Deos alienos, id est. Angelos, & homines non adorabis. 2. cur ita sit. 1. qvia Christus prohibuit. Matth. 4. 10. 2. qvia maledictus est, qvi fiduciam habet in homine: At invocans sanctos fiduciam habet in homine. 3. qvia invocatio sanctorum est peccatum: qvia non est

non est ex fide: qvia non nititur verbo DEI: qvia in scriptura nullum mandatum vel exemplum extat, de alio religiosè invocando præter Deum. 4. qvia sancti non norunt in particulari hujus vel illius scil. hominis hic viventis necessitates. 2. Reg. 22. 20. Eccl. 9. 5. 6. Esa. 63. 16. 5. qvia nec Angeli creati, nec sancti vivi in hisce terris se adorari passi sunt. Angeli non. Apoc. 19. 10. & 22. 9. eorum enim cultus religiosus vetatur. Colos. 2. 18. Non homines sancti. Act. 14. 14. 15. & 10. 26. 6. qvia Deus non vult suam gloriam, id est, religiosam adorationem alteri dare. Esa. 42. 8. Refutatio. Errant Pontificii invocantes Angelos & sanctos defunctos. Obj. Viventes licet invocare: Ergò & defunctos. Resp. 1. Antecfalsum, si de religiosa invocatione intelligatur. 2. Conseq. negatur: qvia possunt viventes nos audire, intelligere, sed non mortui. Vend. l. 2. c. 5. th. 6. expl. 4. Scarp. p. mihi. 42.

IV. *Vnde oritur oratio?*

1. Oratio oritur ex fide, id est, Deum religiosè invocans credere debet eum esse, omniscium, omnipotentem, authorem & largitorem omnis boni, amantem orationem nostram propter Christum. Patet. 1. an ita sit. Rom. 10. 14. Sic. Psal. 116. 10. 2. cur ita sit. 1. qvia est actus & fructus fidei, ut dictum. c. 8. th. 2. qvia ideò oro hoc vel illud Deum, ut remissionem peccatorum, qvia eam credo mihi promissam esse. 3. qvia illi dabitur id qvod petit, qvi credit in eum, à qvo petit. Matth. 22. 21. 4. qvia cum fide postulare

703147

jubemur. Iac. 1. 6. 5. qvia per fidem habemus aditum ad Deum, ut compellemus eum cum libertate filiali, & cum fiducia impetrandi ea, qvæ petimus. Eph. 3. 12. Hebr. 4. 16. & 10. 22. 6. qvia qvod non fit ex fide peccatū est. Rom. 14. 23. 7. qvia efficiens totius obedientiæ erga Deum est fides: Ergò & orationis qvia orans in Deum non credens, nihil accipiet à DEO. Iac. 1. 7. Institutio habetur th. 5. Exhortatio. Ergò Deum orantes, 1. in Deum credamus, id est, eum credamus esse omniscium, &c. 2. fidem comparemus. Qvid Resp. l. 2. cas. c. 6. q. 1.

V. Per qvem Deus nobis invocandus est?

Per Christum Deus à nobis invocandus est, ut scilicet propter ejus meritum det nobis qvod petimus, vel accipiat à nobis qvod ei offerimus. Pater. 1. an ita sit. Ioh. 14. 14. Si qvid petieritis in nomine meo, id est, per me & propter meum meritum. Sic. c. 16. 23. 2. cur ita sit: 1. qvia oratio oritur ex fide, qvâ credimus Deum probare & gratam habere orationem nostram propter Christum, ut dictum th. 4. 2. qvia Christus est Mediator, intercessor, advocatus, per qvem solum aditus nobis patet ad Deum, & ad gratiam ipsius. Ioh. 14. 6. Eph. 3. 12. 1. Tim. 2. 5. 3. qvia nemo est dignus, qvi se Deo, repræsentet, ac in ejus conspectum prodeat, seu nemo habet meritum, qvo Deum, ad dandum sibi aliqvid impellere possit, qvia in se nullum proprium bonum habet. 4. qvia. Hebr. 7. 15. Christus pro nob-

pro nobis interpellat, tùm merito mortis suæ, qvod semper recens est coram DEO, in qvod respiciens Pater, suos exaudit: tùm Deo preces nostras offerendo. Zachar. 1. 12. Apoc. 8. 3. Refutatio. Ergò errant. 1. Pontificii per sanctos Deum invocantes. Obj. 1. Ut per comites & consiliarios itur ad Regem, sic per sanctos itur ad Deum. Resp. Misera est illa excusatio, inqvit Ambrosius: Nam ideò ad Regem per Tribunos & consules itur, qvia Rex homo est, & nescit qvibus debeat Rempublicam credere: ad Deum autem (qvem nihil latet) promerendum, suffragatore opus non est, sed mente devota. Et Christus in terris nec Apostolos pro Cananæa intercedentes: Nec matrem pro novis conjugibus audivit, sed duriter à se repulit. Nam cum ipse satis de nostra salute sit sollicitus, internunciis non eget. Matt. 15. 24. Ioh. 2. 4. 2. Homines qvi in terris degunt, alii pro aliis orare jubentur. Iac. 5. 16. Ergò & sancti defuncti intercedunt. Resp. Conseq. negatur: qvia qvi hic degunt, hoc faciunt alendæ charitatis gratia, ex præcepto Dei, neqve promissione destituti, qvæ rationes à mortuis absunt, qvos à nostro contuberino subduxit Dominus. Eccl. 9. 7. Mortui nesciunt nos: nam qvod de Trinitatis speculo dicūt aliqvi, in qvo res hominum ex alto despiciant, humanum est commentum. 2. Sociniani negantes pios V. T. Deum per Christum invocasse, contra Dan. 9. 17. Obj. Ioh. 16. 24. Usqve adhuc non petiistis qvidqvam in nomine meo: Ergò. Resp. Conseq. negatur: qvia loqvitur sic Christus, qvia in N. T. clarius invocatur.

703147

catur Deus per Christum, qvam in V. T. Dehortatio. Ergò non fieri nostris meritis prodeamus in conspectum DEI, ut Phatisæus. Luc. 18. 11. Sed solius Christi merito.

VI. 2. Oratio oritur ex spe, id est, orans Deum, illa qvæ Deum orat, sperare, seu certò exspectare debet. Patet. 1. an ita sit. Rom. 8. 23. Adoptionem exspectantes, id est, qvia liberationem à miseriis hujus vitæ speramus seu certò exspectamus, suspiramus, id est, eam oramus, petimus, desideramus. Sic præcepto primo. Non habebis Deos alienos, id est, à verò Deo speres omnia: adeóqvè illa ab ipso petas. Psal. 5. 4. 2. cur ita sit. 1. qvia oratio est actus seu fructus spei, ut dictum c. 8. th. 1. 2. qvia oratio oritur ex fide: Ergò oritur etiã ex spe: qvia spes oritur ex fide: ideò enim Dei promissa, qvæ peto, exspecto, qvia ea promissa esse credo. Gal. 5. 5. 3. qvia ideò oramus Deum hoc vel illud promissum; qvia illud speramus seu exspectamus: qvis petat ab eo qvicqvam, à qvo non sperat qvicqvam se accepturum? 4. qvia si id, qvod Deum oramus, non speremus, exspectemus, Deum ludificabimur, sicut mendicus aliqvid petens, & non exspectans ut detur: Mirum qvam irritetur Deus, si poscas à se, qvã non exspectas veniã! Exspectabat David, qvod petebat. Psal. 85. 9. Sic. Habacuc. c. 2. 1. 5. qvia Deus mandat, ut ea, qvæ petimus, indesinenter exspectemus. Psal. 37. 7. 6. qvia talis nescit gratias agere Deo pro acceptis, cõtra. Psal. 116. 1. 7. qvia talis non credit esse necessarium qvod orat. 8. qvia non exspectans id qvod Deum orat, non

credit orationem esse utile medium impetrandi aliqvid, ut impii. Iob. 21. 15. 9. non credit talis Deum posse dare, qvæ petit: ut illum qvem Ieremias arguit c. 59. 1. Exhortatio. Ergò. 1. illa qvæ à Deo petimus, certò certiùs exspectemus: & si ea accepimus, gratias Deo pro iis agamus: si verò non accepimus petere eadem ne desistamus, ut mendici. Pulsate & aperietur. 2. Petamus spem à Deo.

VII. 3. Oratio oritur ex charitate erga Deum, id est, orans Deum debet Deum diligere seu bonitatem ejus cupere participare & celebrare. Patet. 1. an ita sit. Psal. 34. 4. 9. Magnificate, &c. id est, orandus est Deus, qvia est bonus, adeoqve qvia eum diligimus, id est, bonitatem ejus desideramus gustare seu participare & celebrare. Dilectio enim Dei consistit in eo, ut desideremus Dei bonitatem, acqviescamus in Dei bonitate, laudemus Dei bonitatem, ut dictum c. 7. th. 6. & seqq. Sic. Psal. 106. 1. Celebrate Iehovam, qvia bonus est, id est, adoretis Deum idcircò, qvia bonus est, adeoqve eum diligitis. Ideò oranti dicitur David Deum, qvia dilexit ipsum. Psal. 116. 1. 2. cur ita sit. 1. qvia oratio est actus & fructus charitatis, ut dictum c. 8. th. 1. 2. qvia oratio oritur ex fide & spe: Ergò etiam oritur ex charitate erga Deum: qvia charitas erga Deum otitur ex fide & spe erga Deum; ut dictum c. 7. th. 2. 3. qvia nihil petimus ab illo, qvem odimus, id est, cujus bonitatem non cupimus participare. 4 qvia ut ex Dei erga nos dilectione derivantur ad nos omnia bona: sic ex nostra erga Deum dilectione oriuntur omnia

officia

703147

officia erga Deum præstanda. Informatio habetur th. seq. Exhortatio. Ergò. 1. Deum adoraturi ipsum diligamus, id est, desideremus ejus bonitatem participare & laudare. 2. Petamus à Deo, efficiat, possimus ipsum diligere, & tunc cum nos non axaudit secundum votum nostrum.

VIII. Quid ergo necessariò requiritur ad orationem Deo gratam?

Charitas erga proximos. Patet. 1. an ita sit ex illis orationis Dominicæ: Pater noster: Panem nostrum: Remitte nobis: Ne nos inducas. 2. cur ita sit. 1. qvia oratio oriri debet ex charitate erga Deum, cum qva conjungitur semper charitas erga proximos. 1. Joh. 4. 21. 2. qvia pertinet ad nostram consolationem, ut invocemus Deum tanqvam membra Ecclesiæ, cui omnia bona præparavit & promisit. 3. qvia pertinet ad communionem sanctorum, ut inter se perpetuam habeant communicationem precum. 4. qvia charitas erga alios est dispositio, qvæ singulariter à nobis requiritur, ut preces nostræ sint Deo gratæ secundum illud Domini: Si remittatis aliis, remittetur vobis. Correctio. Ergò peccant, qvi odio & vindictæ cupiditate flagrantes ruunt in preces, contra Matth. 5, 23. 24.

IX. Differtne oratio ab auditione verbi?

Sic: qvia auditio verbi versatur circa voluntatē Dei, oratio vero circa voluntatem nostram: qvia in auditione verbi nos voluntatem DEI recipi-

recipimus, in oratione vero nostram voluntatem offerimus DEO, ut ab ipso recipiatur, ut dictum supra c. 8. th. 13.

X. In quo consistit oratio nostra?

Non in simplici & nudo desiderio alicujus boni; sed in desiderio nostro coram Deo repræsentato: qvod patet tùm an ita sit. Psal. 1. 41. 1. 2. & 142. 3. tùm cur ita sit: qvia non sufficit ad orationem, ut bonum desideremus habere, qvia sic homines profani maximè orarent, qvia maximè desiderant bonum; sed requiritur etiam desiderii nostri coram Deo repræsentatio, qvâ significamus nos 1. desiderium habere aliqvid, ut sanitatem à Deo obtinendi 2. desiderium habere sanitatem illam apud Deum qværendi, petendi, resipiscentiâ, usu bonorum mediorum, voto. Refutatio. Ergò oratio non est desiderare bonum; sed est significare Deo desiderium aliqvid ab ipsa obtinendi, & idem apud ipsum qværendi.

XI. Per quid repræsentamus coram Deo desiderium nostrum?

Primo & essentialiter per voluntatem? Qvî. Qvatenus voluntas ad Deum conversa per actum qvasi protensum ipsi repræsentat desiderium suum. Additur, primò & essentialiter: qvia oratio nostra essentialiter & formaliter est desiderii nostri coram Deo repræsentatio à voluntate facta. Observa ergo. 1. oratio nostra debet fieri ex corde seu voluntate. Patet. 1. an ita sit. 1. Cor. 14. 15. orabo spiritu, id est, corde seu voluntate. Sic. Joh. 4. 24. spititu, id est,

703147

id est, corde adorent. Sic in locis. th. 12. citatis. 2. cur ita fit. 1. qvia orare est desiderare, & desiderium coram Deo repræsentare. At cordis & voluntatis proprium est bona desiderare, & desideria coram Deo repræsentare. Lament. 2. 19. Effunde cor tuum, id est, desideria cordis tui repræsentes, patefacias, significes Deo, & eorum impletionem seriò & ardenter ab ipso petas. Sic. 1. Sam. 1. 15. Effundo desiderium animi seu cordis & voluntatis coram Iehova. 2. qvia Deus est Spiritus: Ergò spiritu, seu corde & voluntate adorandus est. Joh. 4. 24. 3. qvia præcipitur, ut oremus ex corde. Matth. 6. 6. 4. qvia. Matth. 6. 5. prohibetur, ne oremus ore tantùm, sine corde, ut hypocritæ, qvi damnãtur propterea. Esa. 29. 13. Matth. 15. 8. & puniuntur seu nõ exaudiuntur ad salutẽ. ibidem & v. 2. 5. qvia Deus cor postulat à nobis. Prov. 6. qvia in corde est efficiens precum. Gal. 4. 6. Informatio habetur. th. 12. 15. 16. Exhortatio. Ergò corde, voluntate adoremus Deum, non tantùm ore, lingvâ, labiis, gutture, ob rationes dictas & exemplum fidelium. 2. Tim. 2. 22.

XII. *Preces piorum cur vocantur desideria*, Psal. 10. 17. *suspiria* Rom. 8. 26.

Qvia in oratione voluntas suum desiderium & suspirium repræsentat coram Deo, ut dictũ th. 11.

XIII. *Per quid porrò repræsentamus desiderium nostrum coram Deo?*

Secun-

Secundo & per modum signi per intellectũ. Qvi? Qvatenus intellectus verbum internum concipit, & iis voluntatis desideria exprimit. Additur, secundo & per modum signi: qvia intellectus desideriorum nostrorum per voluntatem factam repræsentationem, tantùm significat & exprimit verbis coram Deo. Observa ergo: Oratio nostra debet fieri ex intellectu. Patet. 1. an ita fit. 1. Cor. 14. 15. orabo intelligentia, qvæ est operatio intellectus. Sic. Psal. 101. 1. 2. & 142. 2. ubi oratio dicitur meditatio seu cogitatio, qvæ est actus intellectus. Sic in loco. th. 14. subjecto. 2. cur ita fit. 1. qvia intellectus proprium est verbum internum concipere, & coram Deo orationem, seu desideria & affectus cordis exprimere. 2. qvia oratio, colloqvium debet esse inter nos & Deum: Ergò oratio nostra debet fieri ab intellectu, qvia colloqvi primò est intellectus, secundò oris. 3. qvia intelligere debemus qvid, à qvo, pro qvo, qvomodo orandum est: Ergò oratio debet fieri ab intellectu: qvia intelligere illa est actus intellectûs. 4. qvia in oratione attendere debemus & ad Deum, qvem oramus, & ad rem qvam oramus, & ad orationem: Ergò oratio debet fieri ab intellectu: qvia attendere est actus intellectus. 5. qvia oratio sine intellectu rerum & verborum non minùs qvam sine affectu est hypocritica & sine fructu. 1. Cor. 14. 15. 16. Informatio habetur. th 14—16. Correctio. Malè faciunt Pontificii qvi in lingva latina, græca orant coram populo, & populo formulas orandi latinas præscribunt. Nec pueri & homines intelligentiâ carentes orant

703147

benè. Exhortatio. Oremus ergò ex magna intelligentia : secùs oratio nostra Deo grata, aliis & nobis utilis non erit.

XIV. *Preces fidelium cur vocantur verba & sermones, quibus Deum alloquuntur interne mente, & externe ore.*

Hos. 14. 2.

Qvia in oratione intellectus format verba & sermones, qvibus desideria voluntatis suæ coràm Deo exprimunt, ut dictum. th. 13.

XV. *Cujus facultatis actus est oratio?*

Oratio formaliter seu essentialiter est actus voluntatis, qvia voluntas repræsentat coram Deo essentialiter desiderium suum, qvod est oratio, ut dictum. th. 11. Reqviriturne tamen ad orationem nostram actus intellectus? Licet oratio sit formaliter seu essentialiter actus voluntatis, tamen reqviritur ad eam mentis seu intellectus nostri actus. 1. antecedens, qvo intelligimus, qvid, à qvo, pro qvo, qvomodo orandum est. 2. consequens, qvo orationem seu desiderium voluntatis nostræ concipimus & verbo qvodam intellectus nostri exprimimus, ut dictum. th. 13.

XVI. *Quæ ergo simul requiruntur ad orationem?*

1. Voluntatis intentio : qvia desiderium suũ seu orationem voluntas repræsentat essentialiter coram Deo, ut dictum. th. 11. & oratio est formaliter

maliter actus voluntatis, ut dictum. th. 15. Ergò oratio sine intentione voluntatis esse neqvit. 2. intellectus attentio : qvia orationem seu desiderium voluntatis permodum signi intellectus repræsentat coram Deo, ut dictum. th. 13. & ad orationem reqviritur etiam actus intellectus, ut dictum. th. 15. Ergò oratio attentione intellectus carere non potest. Reqviritur ergò. 1. intentio: 1. honorandi Deũ singulariter. 2. desiderandi & petendi, qvod bonum, honestum, divinæ voluntati consentaneum. 3. excitandi tales in nobis affectus, qvales Dei præsentiæ, & rei, qvam ipsi proponimus, naturæ conveniunt. 2. attentio. 1. ad Deum, qvem invocamus. 2. ad rem, qvam petimus vel deprecamur. 2. ad nos ipsos & dispositionem affectuum nostrorum, qvos reqvirit oratio : Unde qvi rectè orare cupit, in seipso collectus, non distractus vel sensibus dissipatus esse debet.

XVII. *Oratio seu desiderii nostri coram Deo repræsentatio qualis debet esse?*

Submissa, humilis, agnitionem nostræ indignitatis, vilitatis, miseriæ redolens. Patet. 1. an ita sit, 2. Chron. 7. 14. Eccl. 5. 1. Esa. 64. 10. 12. Dan. 9. 18. 2. cur ita sit. 1. qvia si oratio non erit humilis, non erit religiosa precatio, qvia non erit profecta à creatura & servo creatori & Domino subjecta; sed erit velimperium superioris erga inferiorem, ut cum dicit Dominus servo, ut faciat hoc vel illud; vel familiare colloqvium inter pares, ut cum dicit amicus amico, ut det hoc vel illud. 2. qvia Deus

703147

humiliter orantes se axanditurum promisit. 2. Chron. 7. 14. 3. qvia Deo gratæ eorum preces non sunt, qvi apud ipsum, justitiam, meritaq; dignitatem & excellentiam suam jactant, ut patet ex Phatisæo. Luc. 18. 11. 12. 13. 4. qvia omnes orantes etiam ipsi Reges sunt mendici. 5. qvia præcipitur: præcipitur enim ut signis abjectissimis humilitatem testantibus utamur. Psal. 95. 6. etsi simus Reges. Exem. David. 2. Sam. 6. 16. 21. 22. Salamon. 1. Reg. 8. 21. 54. 2. Chron. 6. 13. Iosaphat. 20. 5. Rex Ninivitarum. Ioh 3. 6. Exhortatio. Oratio ergò nostra sit humilima supplicatio, ut Sanctorum: n. Abrahami. Gen. 18. 27. & seqq. Iacobi. 32. 10. Prodigi. Luc. 15. 21. Publicani, 18. 13. Qvod ita fieri potest, si consideremus nostram vilitatem & Dei majestatem, n. Deum in cœlo esse, nos in terra. Eccl. 5. 2. nos creaturas esse, Deum creatorem: nos servos esse inutiles, pulveres, cineres, canes mortuos, &c. Deum Dominum Dominorum: nos nihil habentes esse, Deum cœlum, terram, mare & eorum plenitudinem possidentem.

XVIII. *Quis est generalis finis orationis, seu quem ob finem oramus Deum?*

Finis generalis orationis est Deum qvasi afficere & commovere, id est, ad dationē bonorū, qvæ nobis dare vult, & ad acceptionē eorū, qvæ nos ipsi dare volumus, qvasi impellere. Additur, 1. generalis. 1. qvia communis est petitioni & gratiarum actioni. 2. qvia specialis finis est, 1. utilitas nostra & proximi. Hebr. 4. 6. adeo-

6. adeoq; impetratio bonorū, qvæ petimus sive pro nobis sive pro aliis. 2. gloria Dei ipsius. Patet ex. Psal 50. 15. & 66. 20. 1oh. 14. 13. Matth. 6. 13. & ex eo qvod oratio sit pars cultus Dei. 2. qvasi: qvia Deus propriè non afficitur: qvia est immutabilis. Patet. 1. an finis generalis orationis sit qvasi afficere Deum. Gen. 32. 20. Hos. 12. 4. 5. Rom. 15. 30. ubi fideles ideò dicuntur precibus qvasi potentiâ valere, & qvasi certare apud Deum, qvia Deum afficiunt seu impellunt ad dandum id, qvod petunt. 2. cur ita sit:

XIX. Qvia oratio nostra est medium, sine qvo non vult Deus nobis multa (qvædam enim sine oratione vult Deus nobis dare, ut Spiritū Sanctū, regenerationem, fidem, &c.) dare: qvod patet. 1. an ita sit. 2. Cor. 1. 11. ubi liberationis Pauli à Deo datæ precatio Corinthiorum ideò dicitur adjuvans causa esse, qvia oratio est mediū, qvo intercedēte, & nō alias, Deus vult nobis multa communicare. 2. cur ita sit:

XX. Qvia per orationem nostram impetramus id à Deo, qvod credimus eum nobis velle dare: qvod patet: 1. 1oh. 5. 14. Hæc est, &c. id est, credimus Deum nobis dare id, qvod vult dare, subhac conditione, si scil. id eum oremus. 2. qvia auditionis verbi finis est, ut nos afficiamur, id est, impellamur ad voluntatem Dei recipiendam, id est, faciendam: Ergò orationis finis est, ut Deus afficiatur, id est. impellatur ad voluntatem nostram recipiendam, id est, faciendam, ut dictū. c. 5. th. 1. 2. 3. 3. qvia alias frustranea esset oratio nostra. Thesibus. 19. 20. objectiones etiam præoccupantur.

703147

Si ergò objiciatur. 1. ex thesi. 19. Qvi homines orant, illos qvos orant afficiunt, & aliqvo modo disponunt ad id qvod volunt; sed qvi Deum orant, non tàm Deum, qvam se ipsos afficiunt & disponunt ad illa, qvæ volunt, ut loqvuntur aliqvi Theologi: Ergò generalis finis orationis non est Deum qvasi afficere aut commovere. Resp. Conseq. negatur, qvia sic Deo visũ est orationis vim & efficaciã nobis cõmẽdare, ut cãdẽ se qvasi affici & cõmoveri dicat. 2. ex th. 20. Deus scit qvib' egeam', Matth. 6. 23. & Deo à sua sentẽtia se dimoveri nõ patitur: Ergò Deo nõ est invocand'; adeoq; frustranea est oratio, & finis ejus nõ est, ut Deũ qvasi afficiamus & commoveamus. Resp. Conseq. negatur, qvia non ideò Deum oramus, 1. ut eum desideria nostra nescientem, scientem ea reddamus, qvia Deus intelligit semper desideria nostra è longinqvo. (Psal. 139. 2.) id est. antequam ea in animo formentur. 2. ut eum nolentem desideria nostra, volentem ea faciamus, qvia apud eum nõ est transmutatio aut cõversionis obumbratio (Iac. 1. 17.) id est, Deus non est modò hac, modò illâ contrariâ qvalitate præditus (ut explicat h. l. Vendel. de immutabilitate Dei) sed. 3. ut, qvod credimus eum velle, oratione nostrâ impetremus. Vend. l. 2. c. 5. th. 4 expl. 4. Informatio. Oramus Deum, ut eum afficiamus: Ergò 1. Oratio, seu invocatio DEI est valdè necessaria. Patet. 1. an ita sit: 1. Chron. 17 25—27. Indicavit, id est necessarium censuit servus tuus orandum esse. Sic. Hebr. 5. 3. necesse habebant Sacerdotes pro peccatis suis victimas offerre: Ergò necessaria est oratio: qvia est victima nostra. Psal. 141. 2. 2. cur ita sit. 1. qvia præcipitur à Deo. Psal. 27. 8. & 50. 15. Esa. 55. 6. Matt. 7. 7. Iac 5. 13. 1. Tim. 1. 2. 2. qvia Deus orantibus dabit Spiritum Sanctum. Luc. 11. 13. & alia bona. Psal. 150. 15. Matth. 7. 7. 3. qvia necessarius est cultus Dei: Ergò & oratio: qvia est pars cultus Dei. 4 qvia omnis homo est pauper. Psal. 25. 16. 17. Ergò necesse habet aliqvid Deum orare. Refutatio Ergò errant Adamitæ & Prodiciani negantes Deum invocandum esse, hoc argumẽto, qvod nos amet & sciat jam ante, qvibus indigeamus. Exhortatio. Ergò oremus. Sic Deus dabit omnia bona. Sic fecerunt omnes sancti.

2. Oratio, seu invocatio Dei est valdè efficax, seu utilis. Patet. 1. an ita sit. Iacob. 5. 16. 2. cur ita sit; qvia invocatione Dei subsistit Sol, & stat Luna. Ios. 10. 12. 13. 2. retrocedit Sol. 2. Reg. 20. 1. 3. cœlum clauditur ne pluat, & aperitur ut pluat. Iac. 5. 17. 18. 4. turbatur aër 1. Sam. 12. 17. 18. 5. terra concutitur. Act. 4. 31. 6. Dæmonia ejiciuntur. Matth. 17. 21. 7. Angelus reponit gladium suum in vaginam. 1. Chron. 21. 26. 27. 8. Deus redditur nobis beneficus. Deut. 4. 7. Psal. 145. 18. & qvasi obstrictus tenetur ne puniat eos, pro qvibus orant pii. Exod. 32. 10. 9. Fideles resistunt Diabolo. Eph. 6. 17. præparantur ad diem judicii, ne eos imparatos opprimat. Marc. 13. 33. præservantur à tentatione. Matth. 26. 41. tuti præstantur adversus omnia pericula. Prov. 18. 10. & liberantur à periculis, ut Ionas. c. 2 Petrus. Act. 12. 5 10.

703147

Morbi sanantur. Iac. 5. 14. 15. 11. Mortui suscitantur. 1. Reg. 17. 20-21. 12. Mulieres naturâ steriles facultatem concipiendi obtinent. Gen. 29. 21. 13. Cibus, potus, sanctificantur. 1. Tim. 4. 4. 5. 14. Obtinetur. 1. Spiritus Sanctus, id est, major Sp. S. communicatio, tùm ordinaria. Luc. 11 13. tùm extraordinaria. Act. 2. 4. 2. illuminatio mentium. Luc. 9, 29. 3. sapientia Spiritualis. Colos 1. 9. pax. Philip. 4. 6. 7. 4. dissolutio tristitiæ. Iac. 5. 13 iut in Anna. 1. Sam. 1 & 10. 18. 5. remissio peccatorum. Iac. 5. 14. 15. 6. salus æterna. Ioel. 2. 32. Luc. 21. 36. 1. Ioh. 5. 16. Exhortatio. Ergò ne negligamus invocationem Dei, si tàm utilis & efficax sit.

XXI. Immutabilitas ergo providentiæ, seu voluntatis Dei, quâ scimus & credimus omnia inevitabiliter ita evenire, sicut Deus vult preces fidelium tollitne?

Non tollit, sed stabilit, & magis excitat ad orandum. Patet. 1. an ita sit. 1. Chron. 17. 25—27. ubi David id orat Deum, qvod certò Deum facere novit. Sic. Dan. 9. Apoc. 22. ubi illa petuntur, qvæ certò futura cognoscuntur 2. cur ita sit: qvia oratio est medium, qvo intercedente & non alias vult Deus nobis multa communicare. th. 19. & ideò Deum oramus, ut qvod credimus eum velle impetremus. th. 20. Si ergò obiiciatur. Si in ev tabili necessitate divinæ providentiæ seu voluntatis omnia eveniant, sequitur frustraneas esse preces piorũ: qvia

qvia iis providentia seu voluntas DEI in hoc vel illo efficiendo non potest mutari, vel impediri. Resp. Conseq. negatur: qvia (ut dictum) non ideò Deum oramus, ut voluntatem & decretum ejus mutemus, & solitum providentiæ ejus cursum inhibeamus; sed ut utamur medio ab ipso præscripto, & eo id, qvod scimus Deum velle, ab ipso impetremus. Vēd. l. 1. c. 6. th. 13. expl. 1. Admonitio. Ergò ne argumentare sic. 1. Causa omnium rerum, h. Decretum, Providentia, voluntas Dei immutabilis est, id est, Dei voluntatem non possum mutare, non possum Deum à sua volantate abducere, & ad meam voluntatem adducere, flectere: Ergò non orabo, fruſtra orabo. 1. qvia fruſtra non fit, qvod ad præscriptum DEI fit. 2. qvia fruſtraneũ nõ est, qvod amplissimas promissiones habet. 3. qvia velle oratione mutare voluntatem Dei est contra illud: Fiat voluntas tua. 2. Scio Deum hoc mihi datum: Ergò non petam hoc ab ipso: qvia ideò debes hoc vel illud petere, qvia scis hoc vel illud Deum tibi velle dare: id enim jubemur petere. 1. Ioh. 5. 14. id petiverunt sancti, ut dictum supra. Et non licet id petere, qvod nescis an Deus velit dare, nec ne.

XXII. Quî ergo orandum est?

1. Orandum est instantèr, seu constantèr, diligentèr, qvasi compellenter, rantispèr, donec exaudiamur. Patet. 1. an ita sit, Habac. 2. 3 si moram, &c. id est, si Deus statim non exaudiat, ne cesses orare, sed instes donec exaudiat. Sic. Esa. 62. 8. 9. Luc. 11. 5. 8. 9. & 18. 1. & seqq.

703147

seqq. & 21.36. 2. cur ita sit, 1. qvia oratio est medium necessarium ad Dei gloriam & bonum nostrum. Additur. 1. necessarium: qvia sine oratione ordinariè nobis nihil dat Deus. 2. ad gloriam Dei: qvia sine oratione Deus non potest glorificari. 3. ad bonum nostrum, qvia oratione intercedente & non alias dabit Deus, nobis ordinariè bona, & oratione impetramus à Deo, qvæ credimus eum nobis velle dare, ut dictum. th. 19. 20. 2. qvia Deus jubet ut instantèr oremus. Matth. 7. 7. 1. Thess. 5. 17. 3. qvia segnes in orando esse vetamur. Luc. 18. 1. 4. qvia importunitas in orando laudatur, Luc. 8. 5. 7. 5. sicut rem magnam non accipies ab homine, si eam negligentèr, cessantèr, semel, vel iterum petas: sic nec à DEO. 6. qvia violenti, id est, instantèr, orantes rapiunt regnum cœlorum, adeóqve alia bona, Matth. 11. 12. Exhortatio. Ergò vitam, sanitatem, sapientiam, liberationem, salutem, &c. Deum ne oremus obiter, pigritèr, cessantèr; sed instantèr, diligenter, constanter & qvasi cogenter tantisper donec id qvod petimus, impetraverimus, ut Barthimæ' cæcus. Moveant præter rationes dictas exempla Discipulorum, qvi instantiâ orationis adegerunt Christum, ut maneret secum; Iacobi, qvi instantè oratione angariavit Angelum, ut sibi benediceret, Chananææ Matth. 15. 23. & seq. Cæci, Luc. 18. 39. Mosis. Deut. 9. 25. Nehemiæ. Neh. 1. 6. Davidis. Psal. 77. 3. Ecclesiæ Ierosolymitanæ. Act. 12. 5.

2. Bono sensu, continuo seu omni tempore & sine intermissione orandum est. Patet. 1. an ita

an ita sit. Eph. 6. 18. 1. Thess. 5. 17. Psal 119. 62. Rom 12. 12. Colos. 4. 2. 1. Tim. 5. 5. 1. Petr. 3 7. Exempl. in Samuele. 1. Sam 12. 23. Anna Prophetissa. Luc. 2. 37. Cornelio. Act. 10. 3. Epaphra. Colos. 4. 12. 2. Cur, & qvatenus possimus & debeamus continuò orare? 1. qvia dispositio seu inclinatio, & præparatio animi ad orandum continua esse debet: qvia à cordibus & desideriis nostris ad Deum dirigendis, absqve peccato nunqvam desistere possumus. 2. qvia continuò omnis occasio astu orandi est captanda Philip. 4. 6. ut. 1. cum cibum capimus, Esa. 62. 9. Act. 2. 21. cum 46. Rom. 14. 6. 1. Cor. 10. 31. 1. Tim. 4. 3. 4. 2. cum bellum suscipimus. 2. Chrō. 20. 36. 37. adeóqve cum præliun instat. Exēpl. Moses. Exod. 17. 11. Samuel. 1. Sam 7. 9. Rubenitæ & Gaditæ. 1. Chron. 5. 20. Asa. 2. Chron 14. 11. Iosaphat. 18 31. & 20. 3. 21. Iudæi. Neh. 4. 9. 3. cum sortitiò usurparut. Act. 1. 24. & seqq. 4. cum auspicamur opera, qvæ ad cultum Dei & nostram salutem pertinent. Exempl. Christus & Paulus suscipientes baptismum. Luc 3. 21. Act. 22. 16. Christus in institutione Cœnæ. Matth. 26. 27. 30. Christus in eligendis Apostolis. Luc. 6. 12. 5. cum discessuri valedicimus nostris, ut Paulus. Act. 20 36. & 21. 5. 6. cum cubitum imus & cubitu surgimus, &c. 3. qvia astu qvotidiè, tùm publicè statis, tùm privatim, liberis & statis horis, orandū est. 1. qvia cūctis vitæ nostræ diebus servire Deo debemus. Luc. 1. 75. 2. qvia in oratione Dominica jubemur qvotidiè petere panem nostrum qvotidianum

703147

num. 3. qvia in V. T. juge sacrificium qvotidiè celebrari publice debuit. Num. 28. & hora etiam precationis constituta legitur. Act. 3. 1 4. qvia pii homines solebant qvotidiè orare. Psal. 55. 17. Dan. 6 10. 5. qvia omnium communis hic est instinctus, inter ipsos etiam Mahumetanos. 6. qvia causas qvotidiè precandi varias habemus propter qvotidiana Dei beneficia, & nostros defectus atqve necessitates. Refutatio. Ergò instanter & continuò orare, non est per omnium temporum momemta orare, neqve ab orando cessare unqvam, ut volunt Eucheta & post eos Monachi, qvi precum prætextu pigritiæ litant, & cætera officia omittunt; Sed diligenter orare, inclinationem orandi semper habere, omnes occasiones orandi actu captare, actu qvotidiè tùm privatim horis & liberis ut David, qvi orat nunc bono mane. Psal. 5. 4. nunc noctu. 6. 7. nunc media nocte. 119. 62. & statis, ut idem David, qvi vespere, mane, meridiè orabat. 55. 18. tùm publicè statis & fixis horis. Act. 3. 1. Obj. Si horis statis orandum: Ergò horæ canonicæ Pontificiorum orandi sunt approbandæ. Resp. Conseq. negatur, qvia horæ canonicæ seu statæ Pontificiorũ sunt multa superstitione & idololatria refertæ. Arnold. Lux in tenebris videatur de horis canonicis.

XXIII. *Quæ sunt adjuncta orationis?*

Confessio & promissio Deo facta: qvæ in omni oratione DEO grata adhibentur vel expressè vel implicitè, Expressè confitemur peccata

cata cum sic oramus: Tibi, tibi, soli peccavetam. Psal. 51. 6. & 32. 5. Dan. 9. 7. qvomodo confitemur præcipuè cum conscientiæ nostræ peccatorum reatu nimis oneramur, ut docet Author, l. 4. cas. c. 16. q. 2 implicitè verò cõfitemur cũ sic oramꝰ: Remitte nobis debita nostra. Matth. 6. 12. Miserere nostri. Hos. 14. 2. Luc. 18. 13. Psal. 19. 13. Expressè promittimus, vovemus Deo, cum sic oramus: si remiseris peccata mea Deus, liberaveris ab hoc malo, docebo defectores vias tuas: Observabo legem tuam: dimidium bonorum dabo pauperibus: domum tibi ædificabo, &c. Psal. 51. 14. 15. & 119. 106. Luc. 19. 8. Gen. 28. 20—22. qvomodo promittimus Deo præcipuè, cum versamur in magnis angustiis, ex qvibus liberationem petimus, vel in magna lætitia, ob singularem Dei benedictionem, ut docet Author l. 4. cas. c. 16. q. 1. r. 4. implicitè vero promittimus Deo cum sic oramus, Deus da copiam rerum, & promissionem subintelligimus, ac si sic loqveremur: Deus da nobis rerum copiam, & nos tibi gratias agemus: gloriam tuam promovebimus: pauperes sustentabimus, &c. Observa ergo. 1. In omni oratione Deo grata miseriam nostram vel expressè, vel tacitè confiteri tenemur. Patet. 1. an ita sit ex exemplo Davidis. Psal. 51. 6. Danielis. c. 9. 7. 2. cur ita sit:

XXIV. Qvia enim, &c. id est. 1. qvia petimus aliqvid à Dei misericordia: Ergò cõfiteri tenemur nos esse miseros. 2. qvia sine confessione peccati, reatûs, miseriæ à Deo aliqvid petere, est Deo illudere. Plures ratio-

703147

nes vide. l. 4. cas. c. 15. q. 1. Exhortatio. Ergò orantes Deum confiteamur peccata nostra vel expresse, dicentes, peccavimus Domine, digni sumus morte; vel si non expresse, saltem tacitè. Moveant præter rationes dictas. 1. exempla orantium peccata sua vel expresse vel tacitè confitentium. 2. promissio Dei de præstanda gratia sincerè confitentibus peccata sua. Lev. 26. 40. 1. Sam. 7. 6. & 12. 19. & seqq. 2. Sam. 12. 13. & 24. 17. 1. Reg. 8. 46. Iob. 13. 15. 3. necessitas eius ad remissionem peccatorum obtinendam. Prov. 28. 13. 1. Ioh. 1. 8—10. 2. Ille, cui peccata confiteri tenemur est Deus. Patet. 1. an ita sit. Psal. 51. 12. Sic, Esdr. 9. 6. Dan. 9. 7. & Luc. 15. 21. & 18 13. 2. cur ita sit. 1. qvia soli Deo peccamus. Psal. 51. 6. peccatum enim est transgressio legis scil. Dei. 1. Ioh. 3. 4. 2. qvia solius Dei est peccata condonare. 1. Ioh. 1. 9. Matth. 6. 12. Eph. 4. 32. Matth. 9. 2. 3. Luc. 5. 21. & 7. 49. 3. qvia scriptura monet, ut Deo cõfiteamur peccata nostra. 4. qvia fideles DEO confessi sunt sua peccata. 5. qvia Deo debetur invocatio, qvæ in confessione peccatorum semper locum obtinet. Refutatio. Ergò damnanda est auricularis confessio, qvâ Pontificii peccata Sacerdoti confitenda esse docent. 1. Qvia illa non præcipitur in verbo DEI. 2. Qvia tyrannicè exigitur, ac si citra eam remissio peccatorum impetrari non possit. 3. Qvia est carnificina animarum, cum in ea reqviratur omniũ peccatorũ & circũstantiarũ eorũ exacta enumeratio, qvæ est impossibilis. Psal. 19. 13. & 38. 5. & 40. 13. 1. Obj. Sacerdotes possunt remittere peccata. Ioh. 20. 23. Ergò omnia ipsis sunt cognoscenda. Ratio consequentiæ, qvia remitti non potest, qvod Sacerdoti per cõfessionem non innotescit. Resp. Conseq. negatur. Possunt enim Pastores annunciare pœnitentibus remissionem omnium peccatorum, etsi in specie non nõrunt omnia. Vene. l. 2. c. 2. th. 21, expl. 2. 2. Obj. Vos etiam. 1. docetis hominibus confitenda esse peccata: Ergò licita est auricularis confessio. Resp. Conseq. negatur, qvia longè alio sensu nos hoc docemus ut vides in Ravanello de confessione, n. 3. Ames. l. 4. cas. c. 16. q. 5. 3. In omni oratione Deo grata, Deo vel expresse, vel implicitè promittere, seu vovere aliqvid tenemur. Patet. 1. an ita sit exemplo Davidis. Psal. 51. 15. & 119. 106. Hannæ. 1. Sam. 1. 11. 12. Iacobi. Gen. 28. 20—22. 2. cur ita sit, qvia petere aliqvid à Deo sine promissione, id est, sine proposito illud ipsum omni legitimo conatu nostro assequendi; aut sine proposito nomen ejus glorificandi de petitione concessa; aut Deum verbis laudare de ejus beneficiis nobis communicatis, sine proposito factis etiam, honorem ipsi tribuendi; aut denique voluntatem ullam nostram Deo repræsentare, ut illius ratio habeatur coram ipso, sine proposito voluntatẽ ejus observandi, & convenienter tali actioni vivendi, hoc nihil aliud esset, qvam Deum aliqvo modo irridere, ut dictum. th. 24. & l. 4. cas. c. 16. q. 2.

XXV. *Quid est confessio?*

Est humilis, &c. id est, in oratione. 1. confitens

703147

sitens debet agnoscere, 1. culpam, seu peccatum suum, ut David. Psal. 51. 6. peccaveram. 2. reatum, qvod ob illam culpam dignus sit omnibus malis. 2. miseriam, seu pœnam, qvæ ob culpam meritò inflicta est, & porrò infligitur. 2. confitens debet agnoscere culpam, reatum, miseriam suam. 1. nudè, sine occultatione. Prov. 28. 13. qvamvis in perpetratione peccatum celare melius est, qvam enunciare. Esa. 3. 10. in confessione omnia sunt enunciandа coram Deo, & nihil celandum. 2. humiliter, eum submissione animarum nostrarum ad judicium Dei, qvod peccatis debetur. Atqve adeo cum dolore & detestatione peccati, qvasi in pulvere & cinere. Iob. 42. 6. & cum pudore faciei. Ezech. 9. 6. 15. Dan. 9. 7—9. Si hæc conditio absit enunciatio peccati non est confessio, sed potius professio. l. 4. cas. c. 14. q. 3. Ames. lect. in. Psal. 51. doc. 7. Exhort. Ergò orantes Deum, ptomittamus aliqvid Deo vel expressè vel implicitè dicentes cum Iacabo. Gen. 28. 20. 22. Hanna. 1. Sam. 1. 11. 27. Davide. Psal. 119. 106. Causam impellentem ad nuncupandum Deo votum, vide in Ravanello de voto.

XXVI. *Quis est finis confessionis peccatorum?*

Finis, &c. id est, confitemur in oratione peccata nostra. 1. ut Deus justificetur, qvando judicat, id est, ut prædicemus Deum nos juste, non injustè punire. Confessio enim peccatorum si fiat syncera, talis est, ut Dei qvalicunqve judicia immunia faciat ab omni specie iniqvi-

iniqvitatis. Patet. 1. an ita sit. Psal. 51. 6. Ut justificeris, &c. 2. cur ita sit. 1. qvia causam justam in peccatis admissis agnoscit, non tantùm judiciorum eorum, qvæ à Deo adversus illa exercentur; sed & graviorum. Psal. 119. 75. 137. Nehemia. 9. 33. Dan. 9. 7. Lam. 3. 22. 2. qvia continet in se humilem submissionem robustæ Dei manui. 1. Petr. 5. 6. 1. Sam. 3. 18. Esa. 39. 8. 2. Sam. 15. 26. 3. qvia hac ratione gloriam omnem tribuit Deo tàm justitiæ si velit punire, qvam misericordiæ si velit condonare. Ios. 7. 19. Exhortatio. Ergò peccata nostra tàm sincere confiteamur, ut omnia Dei judicia immunia faciamus ab omni specie iniqvitatis. 2. Ut disponamur ad gratiam Dei obtinendam, id est, ut nos præparemus ad remissionem peccatorum accipiendam. Nam dolus deponitur & remissio simul ex misericordia, obtinetur, tàm per confessionem ingenuam. Patet. 1. an ita sit. Psal. 32. 5. Sic Prov. 28. 13. 1. Ioh. 1. 9. 10. Ier. 3. 13. 1. Cor. 11. 31. Ion. 2. 10. 2. cur ita sit. 1. qvia sincere confessio in se complectitur humiliationem, pœnitentiam, & spem. Psal. 32. 5. 2. qvia gloriam justitiæ tribuit Deo. Psal. 51. 6. 3. qvia gloriam etiam gratiæ Dei illustrat, & ad genuinam ejus receptionem disponit: misericordia enim non habet locum, vel qvoad rem ipsam, vel qvoad perceptionem nisi miseria præeunte. Exhortatio. Ergò animos nostros præparemus ad seriam peccatorum nostrorum confessionem. Psal. 38. 18. 19. 3. Ut gratia concessa magis illustretur, id est, ut misericordia Dei, & illinc tota peccatorum remissio magis appareat in nobis.

703147

XXVII. Quomodo debemus confiteri peccata?

1. Peccata ignota & levia qvæ non cognoscimus generaliter confiteri debemus, ut David. Psal. 19. 13. Ab occultis absolvè, id est, peccata qvæ non cognosco, remitte. Nam pluribus peccatis implicamur, qvam ut illa omnia scire possimus, nedum enumerare. Patet. 1. an ita sit. Psal. 19. 13. Sic. Psal. 38. 5. & 40. 13. Eccl. 1. 15. 2. cur ita sit. 1. qvia transgressores sumus singularum partium legis: lex autem perfectior est, qvam ut à nobis intelligatur. 2 qvia in omnibus, qvæ agimus, dicimus, cogitamus, adest semper peccati iniqvinatio: hæc autem nos non possumus numerare. 3. qvia stupore magno laboramus, qvo fit ut sæpè non attendamus ad illa, qvæ sunt manifesta. Refutatio. Ergò errant Pontificii dicentes se posse omnia sua peccata in confessione auriculari enumerare. 2. peccata nota, & graviora, qvæ cognoscimus confiteri debemus, tùm generaliter, dicentes peccavimus; tùm specialiter, singulariter, seu nominatim dicentes: Peccavimus Regem petendo. 1. Sam. 12. 19. 21. affinitatem jungendo cum populis abominandis. Esdr. 9. 14. homicidium, adulterium committendo, ut David. Psal. 51. 1. 4. cas. c. 15. q. 4.

XXVIII. Quid est promissio?

Est testificatio, &c. id est, promittere Deo, est significare Deo nostrum serium propositum, conatum, voluntatem de eo, qvod ab eo petimus, assequendi, mediis & necessariis, & liberis, adjqve Deo promittere, est Deo polliceri media

media necessaria & libera id obtinendi qvod ab ipso petimus: ut cum sic oro Deus da mihi sapientiam; & media sic promitto: & ego discam, legam, sapientes audiam; & te propter eam laudabo, insipientes vias tuas docebo, à vino abstinebo, &c.

XXIX. Quid est illud propositum qvod orantes Deo significamus?

Est determinatio, &c. id est propositum qvod orantes Deo significamus est (ut dictum) noster magnus & serius conatus, prosequendi, habendi, assequendi obtinendi per legitima media id, qvod à Deo petimus: ut cum dico: Deus da mihi sapientiam, & ego seriò conabor eam per media legitima assequi. Talem serium conatum habuit David assequendi liberationem ab afflictione premente per legitimum medium, n. votum: Sic enim orat: Iehova vivum conserva me: qvia juravi seu vovi & promisi tibi qvod præstabo, me observaturum jura justitiæ tuæ Psal 119. 107. 106.

XXX. Quibus mediis conamur id, qvod a Deo petimus assequi?

1. Necessariis, qvæ naturaliter ordinata sunt ad id assequendum, qvod à Deo petimus: qvalia media sapientiæ habendæ sunt studium, diligentia, lectio bonorum librorum, auditio sapientum: sine qvibus aliqvid à Deo petere, & velle habere, est Deum tentare. 2 Liberis, qvæ pro circumstantia contingente, seu pro re nata à consilio nostro ordinata sunt ad id obtinendum, qvod à Deo petimus: qvalia media

703147

castitatis obtinendæ sunt, frequentèr jejunare, à vino semper abstinere, diligentèr laborare; sapientiæ consequendæ sunt, conat' eã cũ aliis gratis & diligentèr comunicãdi, eà veritatẽ cœlestem non oppugnandi; liberationis à malis assequendæ sunt, conatus decimas dandi, templa, Scholas ædificandi, pauperes alendi, legẽ Dei observandi: sine quibus aliquid à DEO petere & velle habere, est erga Deum ingratum velle fieri etiamsi det id, quod ab ipso petimus.

XXXI. *Promissio mediorum liberorum obtinendi id, quod à Deo petimus, quomodo vocatur?*

Posterioris generis promissio, id est, promissio est duplex: prioris generis, quâ promittimus Deo media necessaria aliquid ab ipso obtinendi; vel posterioris generis, quâ promittimus Deo media libera aliquid ab ipso habendi. Iam, promissio liberorum mediorum obtinendi id, quod petimus, distinctè & ex deliberato consilio Deo facta, per appropriationem quandam vocatur votum. Additur: 1. distinctè & ex deliberato consilio, quia promittere & vovere Deo debem⁹. 1. nõ temerè. Eccl. 5. 2. ut Iephte Iud. 11. 30. Saul. 2. Sã. 14. 24. 28. 2. Spõte. Deut. 23. 23. 2. per appropriationem quandam: quia promissio necessariorum mediorum propriè non potest dici votum.

XXXII. *Quid est votum?*

Est (ut dictum.) promissio mediorum liberorum (n. decimarum, eleemosynæ, &c.) consultò & sponte Deo facta. Vel, est pollicitatio,

tatio, qva consultò, & sponte nos Deo obligamus ad aliqvid faciendum, vel omittendum, qvod gloriæ Dei illustrandæ, nostræ saluti promovendæ, aut gratitudini testandæ in servitutem arbitramur, ut Deum ad dandum illud qvod ab ipso petimus, impellamus. 2. Qvæ requirit votũ? Requirit, ut non voveam⁹. 1. 16. 1. impossibilem, qvam præstare non est in nostra potestate: qvalem rem vovent, qvi occisionem alicujus vovent, ut Iudæi: Act. 23. 12. qvia vitam alicui tollere non est in hominis potestate: & qvi vovent continentiam, & immunitatem ab omni peccato, qvia hæc vota sine gratia speciali, per ordinariam gratiam præstari nequeunt. l. 4. cas. c. 16. q. 3. r. 3. & 2. simpliciter necessariam, qvæ absolutè necessariò fit, vel non fit: stultum enim esset, si qvis voveret se esse moriturum, vel se non esse volaturum. Thom. 2. 2. q. 88. art. 2. Sed: 1. possibilem, qvam per ordinariam DEI gratiam præstare possumus: qvalem rem vovebat Iacobus. Gen. 28. 20—22. Hanna. 1. Sam. 1. 11. David. Psal. 119. 106 & 2. liberam, qvæ liberè à nobis fit vel non fit: qvalem rem vovent, qvi vovent bonorum suorum decimas, eleemosynas, promotionem studiosi, jejunium. 2. rem: 1. malam, seu illicitam, qvam Deus prohibuit: qvalem rem vovebat Mater Micæ vovens sculptile. Iud 17. 3. Iudæi, voventes occisionem Pauli. Act. 23. 12. item voventes pretium canis, & mercedem meretricis. Deut. 23. 18. Pontificii, qvi contra. Gen. 3. 19 Matth. 17. 5. 1. Cor. 7. 2. vovent mendicitatem, obedientiam, sine exceptione superioribus præstandam, cœlibatum, &

703147

tum, & 2. vanam, seu inutilem, qvæ proximo non prodest, sed potiùs nocet: talem rem vovent, qvi rem adiaphoram, ut adiaphoram vovent: ut qvi vovent se longas comas alituros: vinum non bibituros: carnem non comesturos: peregrinaturos: l. 4. cas. c. 16. q. 5. 1. sed qvoad omnes circumstantias bonam vel potiùs licitam, qvam Deus 1. præcepit: qvalem rem vovebat Iacob. Gen. 28. 20—22. David. Psal. 119. 106. Tenetur qvisqve abstinere ab ebrietate, fornicatione, aleâ, si qvis tamen postqvam in hæc, vel per illa incalamitatem incident, voto speciali se insuper obstrinxerit, ad ea vitanda benè fecerit, & 2. non præcepit seu adiaphoram, qvatenus ordinatur ad finem bonum V. g. ut expedit qvandoqve à licitis abstinere, ut facilius illicita vitentur. sic ad aliqvã rei alias licitæ abstinentiam potest qvis se voto obstringere, ne incidat in illicitum; Usi voveat abstinentiam à vino, ne scandalo sit fratri, aut edomandæ libidinis gratiâ, aut ad ebrietatẽ, qvæ ipsi aliàs causa alicujus mali extiterit, vitãdam: ita cum hanc vel illam summam pauperibus erogare sit indifferens, potest tamen qvis voto solemni eleemosynis destinare hanc vel illam pecuniam, hos vel illos reditus, vel absolutè, vel sub conditione talis, aut talis eventus. Hæc & similia vota, qvibus vel juvaremur ad præcavenda vitia ad qvæ essemus propensiores, vel excitaremur ad præstanda officia ad qvæ essemus segniores, debent populo Christiano cõmendari, adhibita semper hac cautela, ut nemo sibi temere laqveum injiciat non nisi ægre & reluctante animo postea voto suo defuncturus.

Deus

Deus enim amat hilarem datorem. 2. Cor. 9. 7. & præstaret non vovere, qvam votum suum vel iritum facere, vel non alacriter persolvere, ut fecit Ananias. Act. 5. 3. 4. Additur: qvoad omnes circumstantias: qvia potest qvis vovere rem sine bonam, sed medio malam: ut si qvis voveat eleemosynam dare, propter Deum, ex iis qvæ rapuit. Obj. Lex Dei satis obligat nos ad faciendum rem bonam, & fugiendum rem malam: Ergò voto non debemus nos porrò obligare. Resp. Vevemus, non ut ad faciendum rem bonam, & fugiendum rem malam nos magis obligemus, sed ut obligationem legis ad faciendum rem bonam, & fugiendum rem malam magis agnoscamus. l. 4. cas. c. 16. q. 4. 3. Sanctis & Angelis, sed soli Deo. 4. ut qvicqvam mereamur apud Deum, ut Deum qvasi ex pacto obligemus ad dandum nobis aliqvid, qvo fine Pontificii vovent, Deus enim se nobis debitorem [illegible]; Sed. 1. ut à nobis colatur Deus, sive res voto nuncupata sit præcepta, adeóqve cultus Dei per se, sive medium qvoddam ad Dei cultum: ut si qvis è præsenti periculo liberatus voveat in singulos mensis jejunium unius diei, ut tanto ardentius Deum laudare possit. 2. ut animus noster voto seu promissione obligatus ad obediendũ Deo magis extimuletur. 3. ut pro acceptis beneficiis nostrã erga Deum gratitudinem testificemur, ut Iacob. Gen. 28. 20—22. Hanna. 1. Sam. 1. 11. Nautæ. Ion. 1. 14. Ionas. c. 2. 10. 4. ut misericorditèr impetremus à Deo bonum, qvo egemus. 5. ut nobis & proximis prodesse possimus: cum enim Deo decimas proventuum

703147

tuum vovemus, proximos ædificamus, qvibus Deus confert illa, qvæ ipsi conferuntur. Observa ergo: 1. Res, qvas Deo vovem' debent esse possibiles, seu tales qvæ à nobis præstari possunt. Patet. 1. an ita sit. Gen. 28. 20—22. Psal. 119. 106. 2. cur ita sit. 1. qvia alias non possemus præstare votum, contra. Deut. 23. 21—23. Eccl. 5. 4. 5. 2. qvia damnanturilli, qvi votum fecerant de Paulo occidendo, non modo, qvia ré per se malam voverant, sed etiam qvia tollere Paulo vitam non erat in eorum potestate. Act. 23. 12. 21. Admonitio. Ergò ne voveamus rem, qvam Deo reddere non possumus, ut perfectâ legis impletionem; sed rem, qvam præstare possumus, ut præstationem legis imperfectam. Psal. 119. 106. collationem hujus vel illius in gloriam Dei, &c. 2. Res qvas DEO vovemus debent esse bonæ & licitæ. Patet. 1. an ita sit. Gen. 28. 20—22. Psal 119. 106. 2. cur ita sit. 1. qvia res illicitæ & malæ Deo nõ placent: eas enim prohibuit. 2. qvia damnat Scriptura Sacra voventes res vel illicitas. Exempl. mater Micæ. Iud. 17. 3. Iudæi. Ier. 44. 21. Illi, qvi conspiraverant in necem Pauli. Act. 23. 12. 21. vel Deo ingratas, ut pretiũ canis & mercedem meretricis. Deut. 23. 18. vel qvas ignorant an Deo gratæ sint, necne. Exempl. Iephte. Iud. 11. 30. Admonitio. Ergò ne voveamus Deo res illicitas, id est, legi Dei ullo modo contrarias. Ne ergo voveamus. 1. vindictam privatam. 2. res bonas sine eorum consensu, sub qvorum potestate sumus. Num. 30. qvia est contra illud: Honora Patrem & matrem tuam. 3. Votum rerum licita-

licitarum soli Deo vovendum est. Patet. 1. an ita sit. Num. 30. 3. Psal. 119. 106. 2. cur ita sit. 1. qvia in scriptura nusqvam docetur, vota ulli alii præterqvam DEO esse nuncupanda & reddenda, sive respicias mandata, sive species exempla votorum, qvæ sancti nuncupasse & reddidisse leguntur. 2. qvia Deus solus est invocandus & per eum solum est jurandum: At votum est species invocationis & juramenti, aut saltem invocatio & juramentum cum eo solet conjungi. 3. qvia Deus est dator omnium bonorum, solus etiam cui gratiæ agantur pro acceptis beneficiis, ac proinde solus etiam cui nuncupandum est votum, qvod in hunc finem suscipitur, ut bonum aliqvod impetremus & in hunc finem persolvitur, ut pro acceptis beneficiis gratitudinem testificemur. Refutatio. Ergò nefas est Angelis & sanctis defunctis vovere, ut solent Pontificii. Exhortatio. Ergò soli Deo vota voveamus.

4. Vota rerum licitarum DEO reddenda sunt. Patet. 1. an ita sit. Psal. 76. 12. Sic. Num. 30. 3. Deut. 12. 17. 18. 2. cur ita sit. 1. qvia Deus præcipit. Deut. 23. 2. & Eccl. 5. 4. 2 qvia non persolventes votum Deo sunt Stolidi. ibidem: & eos Deus odit. ibidem. 3. qvia non reddentes votum Deo pejerant. Matth. 5. 33. 4. qvia sub lege, si res qvæ votæ erant, solvi non possent, redimendæ erant. Lev. 27. 2. & seqq. 5. qvia non reddens votum Deo mentitur. Act. 5. 4. 6. qvia non solvens votum graviter punitur. Act. 5. 5. 7. qvia votum est religiosum, qvia est adjunctum orationis, qvæ est actus religionis. 8. qvia vo-

703147

tum si sit de re à Deo expresè præcepta est per se cultus Dei, qvia Deus colitur unicè præstatione ejus, qvod ipse præcepit, si verò sit de re expresè non præcepta à Deo, non est qvidem per se cultus Dei, ut Pontificii volunt, qvia Deus præstatione ejus, qvod ipse non præcepit, non colitur; sed est adminiculum cultus Dei, seu præstationis illius, qvod Deus præcepit: sic votum de non bibendo vino non est per se cultus Dei, seu obedientia ergà Deum; sed est adminiculum cultus Dei, seu obedientiæ erga Deum, ut abstinentiæ ab offendiculo proximi, & carnis libidine. Exhortatio. Ergò votũ bonũ Deo reddamus ob rationes dictas & qvidem verè, non dolosè, ut Iudæi illi, de qvibus. Maalach. 1. 14. seu hypocriticè, ut meretrix. Prov. 17. 14. & Absolon. 2. Sam. 15. 8. 9. hilaritèr. 2. Cor. 9. 7. non ægrè & reluctantè animo, ut Ananias. Act. 5. 3. 4. Dehortatio. Ergò votum malum Deo ne reddamus, vel studeamus reddere, ut Iephte. Iudic. 11. 30. & seqq. Saul. 1. Sam. 14. 24 cum v. 39. 44. Iudæi. Ier. 44. 25.

XXXIII. *Quotuplex est oratio quoad modum?*

Duplex: Brevis vel prolixa, seu solennior. Qvid est oratio brevis? Est brevis ejaculatio, seu repræsentatio desiderii nostri coram Deo, ut cum dicimus: Deus juves: Deus liberes: Deus miserere: Deus vobis benedicat. Oramus brevitèr horis incertis, cum aliud agentes, vel agere volentes non penitus, aut non diù vacamus orationi, ut transeuntes. Psal. 120. 8. & Nehemia

Nehemia Regi respondere volens. Nehem. 2. 4. Qvid verò est oratio prolixa? Est continuata series orandi, seu prolixa repræsentatio desiderii nostri coram Deo, ut cum longam aliqvã orationem omnibus suis partibus constantem concipimus vel conceptam ab alio recitamus: ut cum recitamus, Pater noster. Psal. 51. Oramus prolixè horis certis, seu statis, ut manè, meridiè, vesperi, cum aliud non agentes. vel agere volentes penitus, aut diù orationi vacamus, ut David. Psal. 51. & Christus, qvi solebat aliqvando in oratione pernoctasse.

XXXIV. *Qualis debet esse oratio brevis & prolixa?*

Oratio prolixa rarior, brevis verò frequentior esse debet. Patet. 1. an ita sit, exemplo Nehemiæ c. 2. 4. & transeuntium. Psal. 119. 8. qvi prolixè orarunt Deum certis suis horis, sed breviter toties, qvoties necessitas postulavit. 2. cur ita sit. 1. qvia negotia nostra ordinaria orationem prolixam impedire possunt; sed brevem non. 2. qvia orationi prolixæ, seu solenni certum tempus destinatum est; sed brevi, seu vulgari ferè omne tempus, juxta illud: indesinenter orate. 3 qvia brevis oratio zelosior est vel esse potest juxta illud: Brevis oratio penetrat in cœlũ. 4. qvia Christus brevè crãdi ideam vel formulam nobis tradidit. 5. qvia longa oratio sæpè est vana, ut Pharisæorum. Matth. 6. 7. 6. qvia Deus non longiores preces, sed eas, qvæ ardentiores sunt, licet brevissimis verbis conceptas, exaudit. Luc. 18. 12. 13. 14. Exhortatio. Ergò prolixè oremus Deum

703147

um ratiùs, id est, horis certis: breviter autem frequentiùs, id est, omnibus horis.

XXXV. Quo uplex est oratio & brevis & prolixa?

Oratio & brevis, & prolixa est mentalis, vel vocalis: aliqvando enim corde sine voce oramus: aliqvando verò corde & voce simul.

XXXVI. Quid est oratio mentalis?

Qvæ in voluntate, &c. id est, cum solo corde, sine ulla voce, & sine ullo signo ex voluntate adjuncto aliqvid à Deo petimus, vel pro aliqva re accepta Deo gratias agimus. Nehemia solo corde sine voce petit à Deo, ut flectat cor Regis, ut mittat ipsum in Iehudæam. Neh. c. 2. 4. Et Hanna solo corde sine voce petit à Iehova semen masculum. 1. Sam. 1. 13. Addit, sine ullo signo ex voluntate adjuncto: qvia sæpè solo corde orantes, sine voluntate adjungunt orationi, qvæ fit in corde, qvædam signa, ut labia movere, oculos attollere, pectus percutere, ex qvibus facilè colligitur, qvod orent. Sic Hanna solo corde orans, sine voluntate movebat labia, ex qvo Sacerdos eam non orantem, sed ebriam esse, malè concludebat. Observa ergò. Qvoad essentiam, seu naturam orationis sufficit solo corde sine voce orare. Patet. 1. anita sit. ex exemplo Nehemiæ c. 2. 4. Qvi solo corde orans Deum, exauditus est ab ipso: qvod factum non fuisset si solo corde orare ad essentiam orationis non sufficeret. 2. cur ita sit. 1. Qvia pietas seu religio erga Deum, qvæ in oratione exercetur, actu interno exeri

exeri potest, qvamvis nullus externus actus accedat: ut in Hanna. 1. Sam 1. 13. in Nehemia c. 2. 4. 2. Qvia Deus internum actum satisgercipit, qvamvis nullo externo signo exprimatur: qvod patet. Psal. 119. 4. l. 4. cas. c. 17. q. 1. 3. Qvia oratio essentialiter, seu formaliter est actus non intellectus, vel oris; sed voluntatis, seu cordis: qvia oratio est repræsentatio desiderii nostri coram Deo: desiderium autem nostrum primariò & essentialiter voluntas, seu cor repræsentat Deo, ut dictum th. 11. cum 15. 4. Qvia vox non ad essentiā orationis faciendæ; sed ad orationis à corde factæ promulgationem pertinet. 5. Qvia vocis potissimus usus est in orationibus publicis ad mutuam ædificationem & Dei celebrationē. Colos. 3. 16. 6. Qvia (ut Cyprianus inqvit) Deus est non vocis, sed cordis auditor, juxta illud: Non vox, sed votum, non cordula musica, sed cor. Non clamans, sed amans cantat in aure Dei. Informatio. Ergò sancti sine voce possunt aliqvando orare: n. 1. qvando orant inter homines aliud agentes, qvos voce sua turbare nolunt. 2. qvando talia orant Deum, qvæ homines celare volunt. 3. qvando sinistrum judicium aliorum metuunt, si enim orationem mentis voce semper exprimerent, hypocriseos & Phariſaismi à multis accusarentur. Exhortatio. Ergò qvando Deum voce orare non licet, oremus eum corde, affectu. Interna enim oratio valet etiam sine externa, licet externa non valeat sine interna. Et hoc in casu DEUS affectum pro effectu habet. Multi sic orarunt: ut Servus Abrahami. Gen.

703147

24. 45. Moses. Exod. 14. 15. Hanna. 1. Sam. 1. 13. Nehemia. Nehem. c. 2. 4. Dehortatio. Ne putemus nos non satis & verè orare Deum, cum eum sine voce oramus, vel orare cogimur.

XXXVII. Quid est oratio vocalis?

Quæ, &c. id est, cum corde & voce simul à Deo aliqvid petimus, & ipsi pro acceptis gratiis agimus. Sic Iudæi corde & voce orare jubentur Deum. Hos. 14. 2. Observa ergo. Ad officium orantis explendum non semper sufficit solo corde, sine voce orare. Patet. 1. an ita sit. Hos 14. 2. Sic. Psal. 5. 34. ubi David etiam voce oraſſe dicitur, & 3. 5. 2. cur ita sit, partim ex. thes. seq. 1. qvia vox in oratione est necessaria. 1. qvia est medium excitandi, continuandi, augendi pium illum affectum, ex qvo emanat. 2. qvia Deus & animis & corporibus est glorificandus, adeóqve voce. 1. Cor. 6. 20. 2. qvia sæpè cum aliis orandum, aliíqve vocis nostræ beneficio ædificandi. l. 4. cas. c. 17. q. 1. 2. Vend. l. 2. c. 5. th. 24. expl. 1. 3. qvia vox fortiter retinet mentem, ne inter precandum huc & illuc vagetur. Exhortatio. Ergò qvando licet oremus corde & voce simul. Deus enim non solum cor, sed & os ad sui celebrationem condidit. Sancti etiam voce orarunt, ut Salamon. 1. Reg. 8. 22. & seqq. & illi qvi DEUM voce cano laudarunt, ut David in Psalmis, Christus Matth. 26. 30. & laudare jubentur. Eph. 5. 19. &c. Colos. 3. 16.

XXXVIII.

XXXVIII. Quid est vox orantis?

Est sonus, &c. id est vox orantis est sonus humanus, seu ab intellectu juxta. th. 13. formatus, & postea ore articulatè, seu distinctè prolatus, qvo affectus ejus significatur, excitatur, continuatur, augetur. Vox articulata est, qvæ scribi potest: inarticulata, qvæ scribi non potest. Vox articulata, seu distincta, cogitata & volita exprimens, est hominum: vox verò inarticulata, seu confusa, non cogitata & volita, sed naturales aliqvos affectus significans, est bestiarum. Observa ergo. Vox orantis est sonus humanus qvo internum animi sui affectum coram DEO exprimit, continuat, auget. Patet. 1. an ita sit. Psal. 5. 3. Attende voci meæ, id est, sono meo intelligibili, qvo coram te desideria mea significo, affectus animæ meæ exprimo, excito, continuo, augeo. Sic. Psal. 142. 2. Esa. 58. 4. Act. 4. 24. 2. cur ita sit: qvia qvamvis affectus orantis antecedere debeat vocem ejus, & vox orantis affectui ejus conformari debeat, tamē ejus affectus religiosè expressus, & à precante auditus, per ipsum auditum revertitur ad animum, & ibi magis accenditur, & majores vires acqvirit: juxta illud: Affectus cordis verbis excitatur orantis. Triplex correctio habetur. th. 39—41.

XXXIX. Quo sermone habenda est oratio solitaria?

Vernaculo, vel illo, qvem orans intelligit. Patet. 1. an ita sit. 1. Cor. 14. 15. 2. cur ita

703147

sit. 1. qvia vox orantis ordinata est ad internos animi affectus exprimendos, excitandos, continuandos, augendos, ut dictum, th. 38. Ergò orans non debet orare sermone incognito, qvia sermo incognitus, internos animi affectus, in qvorum repræsentatione primariò oratio consistit, ut dictum. th. 1. 9. 10. distinctè exprimere non potest. 2. qvia vox orantis est sonus hominis articulatus, ut dictum. th. 38. Ergò orans non debet orare sermone qvem nō intelligit: qvia sermo qvem orans nō intelligit, non est propriè humanus: qvia sermo humanus formatur ab intellectu; sed sermo qvem orans non intelligit, non formatur ab intellectu; sed foris inculcatur, ut sermo Psittaci. 3. qvia orandum est ex corde, ut dictum. th. 11. At sermone ignoto non possumus ex corde orare. 4. qvia orandum est ex intelligentiâ, ut dictum th. 12. At lingvâ ignotâ non possumus intelligentiâ orare. Refutatio. Errant Pontificii, qvi populum lingvâ Latinâ, Græcâ orare docent: Sic enim jubent populum orare: Ave Maria: Kirieleison.

XL. *Quanto sermone habenda est oratio?*

1. Non debemus orare sermone prolixo, vel sermone eadem sæpiùs repetente, internis animi affectibus carente: qvod patet. 1. an ita sit. Matth. 6. 7. ubi Christus sermonem prolixum, longum, sermonem eadem repetentem, interno animi affectu carentem damnat. 2. cur ita sit: qvia vox est medium internos animi affectus exprimendi, excitandi, continuandi, augendi,

augendi, ut dictum. th. 38. At sermo orantis prolixus, & eadem sæpiùs repetens, sæpè internos animi affectus non exprimit, continuat, & auget, ut Ethnicorum orantium sermo prolixus & eadem sæpiùs repetens. 2. Orare debemus etiam sermone prolixo, & sæpiùs eadem repetente, internis animi affectibus abundante: qvod patet. 1. an ita sit, ex prolixa oratione Salamonis. 1. Reg. 8. Danielis. c. 9. Christi aliqvando in oratione pernoctantis, sæpiùs eadem repetentis. Matth. 26. 44. 2. cur ita sit: Qvia oratio ex cordis affectu profecta non tantùm brevis & diversas res repetens, sed etiam longa & eadem res repetens, est bona & grata Deo, ut longa oratio & eadem repetens Christi. l. 4. cas. c. 17, q. 3. Observa ergo. Polylogia, vel battologia, seu multiloqva vel eadem repetens oratio, qvæ sit sine omni affectu cordis, qvæ dicitur loqvacitas & garrulitas, est fugienda. Patet. 1. an ita sit. Eccl. 5. 2. 3. ubi paucis verbis non multis orare jubemur Deum. Additur: qvæ sit sine affectu cordis: qvia oratio longa & eadem repetens, qvæ fit ex affectu cordis, non est fugienda, qvia sancti aliqvando ex ardore animi, præcipuè sub gravi afflictionum pondere gementes, prolixioribus verbis utuntur inter precandum, easdemqve preces iisdem verbis conceptas, sæpiùs iterant, ut dictum supra. Obj. Fugienda est oratio longa affectu cordis carens: Ergò non est fugienda oratio brevis affectu cordis carens: Resp. Conseq. negatur. Qvia Deus non illam orationem exaudit, qvæ longa vel brevis est, sed illam, qvæ est ardens & affectu cordis abun-

703147

abundans, sive sit longa sive brevis. Luc. 18. 12. 13. 14. 2. cur ita sit. 1. qvia damnatur in Ethnicis populatibus, ut multiloqvio suo, hoc est, inani multorum verborum strepitu & earundē vocum, sine causa usurpatarum, frequenti iteratione exaudiantur. Matth. 6. 7. in Pharisæis solitis uti longis precibus, & qvidem in malum finem. Matth. 23. 24. Marc. 12. 40. Luc. 20. 47. & in Baalitis, nihil aliud à mane usqve ad meridiem, qvàm, Baal, exaudi nos, ingeminantibus. 1. Reg. 18. 26. 2. qvia simulata adhibetur, qvia non exauditur à DEO. Matth. 6. 7. Esa. 1. 15. 3. qvia propria est Ethnicorum, qvibus Christiani assimilari non debent. Matth. 6. 7. 8. 4. qvia novit Pater ille noster, qvibus sit nobis opus, antequam nos petamus ab eo. Matth. 6. 8. 4. Correctio. Ergò damnanda est Pontificiorum adnumeratio precum, qvæ sit phatnalis precatoriis, & Monachorum beatus templicus. Dehortatio. Ergò fugiamus istam loqvacitatem & garrulitatem, ob dictas rationes.

XLI. *Qualis cura habenda est verborum in oratione vocali, id est, qvalis attentio requiritur, in oratione vocali ad verba & vocem?*

1 In oratione vocali præcipua attentio non debet esse ad verba & vocem. Patet. 1. an ita sit, ex exemplis voce orantium, n. Davidis. Salomonis, Danielis, Christi, qvi præcipuè non ad vocem, sed ad Deum, ad rem, & effectum suum

suum attenderunt. 2. cur ita sit. 1. qvia præcipua cura vocis vel attentio ad vocem minuit attentionem ad Deum, ad rem, ad affectum animi internum: At vox est medium affectus animi internos augendi, ut dictum. th. 38. Ergò. 2. qvia illa sunt adjuncta tantùm orationis, & possunt eodem modo usurpari ab eo qvi non orat, ut amente, dormiente, infante, ludente. 3. qvia in tali attentione studetur magis nostræ inani gloriæ, qvam gloriæ DEI. 4. qvia hac ratione non promovetur, sed impeditur, minuitur, aut tollitur internus ille affectus, in qvo orationis essentia consistit. Correctio. Ergò peccant qvi inter orandum præcipuè curant verba, voces, non Deum, rem, & affectus suos: qvales sunt. 1. qvi verbis affectatis, phaleratis, humanâ arte excogitatis Deum orant. 2. qvi præscriptâ orationis formula utuntur. 2. In oratione vocali aliqva attētio ad verba requiritur. Patet. 1. an ita sit. Eccl. 5. 2. 2. cur ita sit, qvia voce Deum orans curare debet, ut verba 1. sint decentia, ne aliqvid Deo & cultu ejus indignum eis immisceatur. 2. ut sermo qvantum fieri possit, talis sit, qvalem docet Spiritus Sanctus. 1. Cor. 2. 13. 3. ut humano modo proferātur, sed spirituali tamen habitu naturæ rei accommodato, qvasi vestiantur. 4. ut si cum aliis oretur, eorum inserviant ædificationi. Correctio. Ergò peccant, qvi in oratione vocali non considerant verba. 1. an sint convenientia, ut, illi qvi sic orant: Lelkem Istenem, ne hadgy-el: Halgass-meg minket az mi batyankért, &c. 2. an sint humana, vel divina. 1. Cor. 2. 13. 3. an intelli-

703147

intelligantur, vel non, adeóqve an ædificent, nec ne. 4. an sint memoriæ, linguæ, vel cordis.

XLII. *Quid adjungitur orationi?*

Orationi vocali, si sit solennis, adjungitur gestus, qvia sicut voce, sic gestu affectus nostet & aliorum excitatur, conservatur, continuatur. l. 4. cas. c. 18. q. 1. r. 3. Additur, si sit solennis: qvia oratio est brevis ejaculatio desiderii, seu non solennis; vel continuata series orandi, seu solennis (ut dictum. th. 33.) Illa, non requirit gestum: hæc verò requirit. l. 4. cas. c. 18. q. 1. Qværes. 1. qvid est gestus orantis? Est situs corporis, qvo corpus orantis certò modo constituitur ad orandum. 2. Qvalis debet esse gestus orantis? Talis, qvalis decet: 1. Dei Majestatem, Deus enim est judex totius terræ, Dominus Dominorum. 2. nostram vilitatē: nos enim sumus pulvis & cinis. Gen. 18. 25. 27. 3. rei ipsius naturam, seu orationē, oratio enim est humilis supplicātio, qvā mortis reus liberationem à morte petit. 3. Qvi sunt tales gestus orantis? Caput detegere, stare, genu flectere, manus attollere, oculos attollere, vel demittere, pectus percutere, lachrymari. Observa ergò. Orandum est piis: 1. caput detegendo: qvod patet. 1. an ita sit. 1. Cor. 11. 4. & seqq. 2. cur ita sit. 1. qvia humilitatem sonat. 2. qvia reverentiam Dei testatur. 3. qvia hoc decet. 1. Dei Majestatem. 2. nostram vilitatem. 3. rei naturam. Correctio. Ergò peccant viri tecto capite

pite orantes, psallentes. 2. stando. Patet. 1. an ita sit ex exemplo Salomonis. 1. Reg. 8. 2. Christi. Ioh. 11. 41. Publicani. Luc. 18. 11. Iosaphaticum populo. 2. Chron. 20. 5. 13. 2. cur ita sit: qvia facit ad nostram humiliationem & Dei venerationem testandam. Correctio: Peccant illi, qvi sedendo, jacendo, orant, psallunt: qvia sedere & jacere per se non est gestus orandi: qvia nullam humilitatem nostri & Dei reverentiam exprimit, neqve in scripturis approbatur. Obj. 1. Sedens super lectum precatus est Isaacus. Gen. 27. 30. 31. & Iacobus Patriarcha. Gen. 48. 15. 16. 20. jacens in lecto precatus est David. Psal. 6. 7. Ezechias. 2. Reg. 20. 2. 3. paralyticus. Matth. 9. 2. & jacentes precantur morbo in lectum conjecti: Ergò licet etiam sedendo & jacendo orare. Resp. Conseq. negatur. 1. qvia illi non orarunt solennitèr: brevis ejaculatio desiderii non requirit gestum. 2. necessitas frangit legem: illi fuerunt senes vel morbidi, qvi stare vel genua flectere non potuerunt. 3. genu flectendo. Patet. 1. an ita sit ex exemplo Salomonis. 1. Reg. 2. 54. Eliæ. 1. Reg 18. 42. Levitæ. 2. Chron. 29. 30. Esdræ. Esd. 9. 5. Danielis. Dan. 6. 10. 11. Michææ. Mich. 6. 6. Christi. Luc. 22. 41. Stephani Act. 7. 60. Petri. 9. 40. Pauli cū suis. 20. 36. & 21. 5. ejusdē. Eph. 3. 14. 2. cur ita sit: qvia hoc gestu humilis subjectio & nostri corā Deo exinanitio significatur. Correctio. Peccant reformati, qvi genua sua nunqvam flectunt, & Pastores eorum, qvi genua cordis tantùm, non etiam corporis flectenda esse jubent. 4. manus attollendo.

703147

Patet. 1. an ita sit. Exod. 17. 11. Nehem. 8. 7. Psal. 44. 21. 2. cur ita sit, 1. qvia præcipitur. Psal. 134. 2. Lament. 2. 19 & 3. 41. 1. Tim. 2. 8. 2. qvia sumus Filii Dei: liberi enim parentibus manus porrigunt, cum aliqvid impetrare volunt, vel iis supplices fiunt. 3. qvia admonet cor & sensus in sublime tollendos esse, ne in suis fœcibus defideant, qvi e audiri cupiunt à Deo, ut David interpretatur. Psal. 24. 1. Correctio. Peccant qvi inter orandum manibus complicatis ventrem cingunt. Exhortatio. Orantes attollamus manus nostras versus cœlum. Exemplo Mosis. Exod. 9. 29. Salamonis. 1. Reg. 8. 22. 38. 54. Esdræ. Esd. 9. 5. Populi Neh. 8. 6. Davidis. Psal. 88. 10. Israelitarum. Es. 1. 15. 5. Oculos attollendo versus cœlum. Patet. 1. an ita sit exemplo Davidis. Psal. 25. 15. & 69. 4. Ezechiæ. Es. 38. 14. Nabucadnezaris. Dan. 4. 34. Christi. Ioh. 11. 41. & 12. 1. Obj. Publicanus demisit oculos inter orandum. Luc 18 13. Ergò orantes non debent elevare oculos. Resp. Conseq. negatur. Qvia sancti elevarunt oculos ex certa animi fiducia: Publicanus demisit ex serio peccatorum suorum sensu. Tu etiam in testimonium fiduciæ eleves in cœlum oculos, in signum verò humilitatis demittas ad terram oculos. 2. cur ita sit. 1. qvia est signum cordis elevantis se ad Deum fiduciâ exauditionis. 2. qvia omnis bona donatio est superne descendens à Patre luminum. Iac. 1. 17. 3. qvia naturâ omnia aliqvid omnia desideratura spectant in cœlum. Psal. 145 15. Rom. 8. 19. 4. qvia Deus, qvem invocamus in cœlis dicitur esse,

esse: Pater noster, qvi es in cœlis. Exhortatio. Ergò Deum oraturi elevemus oculos nostros in cœlum ob exempla sic orantium. 6. Pectus percutiendo, tundendo. Patet. 1. an ita sit. Luc. 18. 13. Sic. Luc. 23. 48. Christo in cruce mortuo, omnis turba cædens pectora sua revertebatur: nam pectora tundendo, piaculi seu flagitii reatū deprecati sunt, qvod sentirent piaculum seu flagitium injusta & nefanda cæde contractum esse. 2. cur ita sit: 1. qvia est signum. 1. serii sensūs peccati. 2. confessionis peccati. 3. metūs ex peccato orti. 4. vehementis doloris cordis ob peccatum. 2. qvia Dei Majestatem, nostram vilitatem decet. Exhortatio. Oraturi tundamus pectora nostra ob exempla. 7. lachrymando. Patet. 1. an ita sit exemplo Iacobi. Osæ 12. 5. Iobi. Iob. 16. 20. Annæ. 1. Sam. 1. 10. David. Psal. 6. 7. Ezechiæ. 2. Reg. 20. 1. 3. 5. Iosiæ. 2. Regum. 22. 19. Esdræ, Esd. 10. 1. Izraelitarum. Ier. 3. 21. Patris habentis Spiritum mutum. Marc. 9. 24. Christi. Hebr. 5. 7. 2. cur ita sit. 1. qvia hoc præcipitur. Ioël. 2. 17. 2. qvia mortem deprecamur cum David. Psal. 6. 7. 3. 3. qvia orandus est Deus animo fracto & cōtrito, seu humiliato, qvia eo delectatur Deus, qvia continet in se abnegationem peccati, qvod solum Deus odit, & abnegationem nostrarum virium, ut toti pendeamus à Deo. Psal. 51. 19. At signum animi fracti seu humiliati sunt lachrymæ. 4. qvia lachrymæ nostræ accipiuntur pro oratione. Psal. 39. 13. Aurem adverte ad lachrymas meas, id est, orationem meam. Sic. 2. Reg. 20. 5. Vidi lachrymas

703147

tuas, id est, preces tuas fastas cum multis lachrymis. Ratio: Qvia pii solent inter precandum lachrymas largiter profundere, propter sensum peccatorum suorum, vel aliorum, & gravissimarum afflictionum suarum, vel aliorum. Psal. 119. 136. Ier. 9. 18. & 13. 17. & 14. 17. Lament. 3. 48. 5. qvia qvamvis Deus lachrymas impœnitentium & hypocritarum non curet. Deut. 1. 45. Mal. 2. 13. piorum tamen lachrymæ vehementèr afficiunt Deum ipsum, ut colligitur. 2. Reg 20. 5. (cum. Esa. 38. 5.) & 22. 19. Psal. 39. 13. & 56. 9. Exhortatio. Ergò Deum oraturi flea mus ut sancti, flere discamus, & cupiamus cum Ieremia dicente, O si, &c. Ier. 9. 1.

XLIII. *Quotuplex est oratio vocalis?*

Oratio vocalis est vel in prosa vel in metro, id est, oratio vocalis sit, vel sermone soluto seu non rhythmico, ut: Pater noster; vel sermone ligato, seu rhytmico, ut omnis Psalmus Davidis ad melodias Gallicas concinnatus.

XLIV. *Quid conjungitur cum oratione metrica, seu rhytmica?*

Cantus, seu Melodia. Orationi rhytmicæ conjungitur cantus: Ergò. 1. in illa major debet esse cura sermonis & toni, qvam in oratione non rhytmica. Ratio consequentiæ, qvia cantus est svavis flexio vocis, qvæ sine magna cura sermonis & toni esse non potest. Cantus ergò seu Psalmus est oratio metrica seu rhytmica, qvâ aliqvid à Deo petimus, vel ei pro acceptis

ceptis gratias agimus. 2. oratio, qvæ fit prosa, non debet esse rhytmizans, ut qvorundam Pastorum oratio, habita ante vel post concionẽ. 3. cantus non debet conjungi orationi, qvæ est prosa, non rhytmus, ut multi nostri cantus solẽt.

XLV. *Quo fine instituitur cantus?*

Cantus autem, &c. id est. 1. cantus est medium delectans animum nostrum in DEO: qvod Patet. Psal 104. 33. 34. Psallam Deo: lætabor, adeóqve delectabor in Iehova. 2. cantus est medium retinens animum nostrum in meditatione rei cantatæ: qvod patet. 1. an ita sit. Psal 104. 33. 34. Psallam Deo: svavis erit meditatio mea de eo. 2. cur ita sit thesi seqventi:

XLVI. Qvia in oratione qvæ fit cantu, magis distincta & fixa meditatio intercedit inter verba & cordis ad Deum elevationem, qvam in oratione, qvæ fit prosâ. Informatio. Cantus delectat nos in Deo, retinet animum nostrum in meditatione rei cantatæ: Ergò. 1. proximus & immediatus fructus, usus, effectus cantûs est ædificatio nostra in fide & observantia. Additur proximus & immediatus: qvia fructus, usus, effectus cantus remoti & mediati sunt etiam alii, qvos jam jam dicemus. 2. cantus est oratio utilissima. Observa ergò. 1. Eo animi debemus proposito firmo, & syncero conatu, ut maximè delectemur in DEO, ejusqve honore. Patet tum an ita sit. Psal. 104. 34. tum cur ita sit: qvia hæc est perfectio officii nostri, principium beatitudinis, cau-

703147

sa omnis alacritatis & constantiæ in Deo honorando v. 33. Correctio. Ergò peccant, qvi non nisi cum tædio in cultu Dei versantur.

2. Cantus est oratio utilis. Patet. 1. an ita sit. Colos. 3. 16. Sic. Eph. 5. 19. ubi Apostolus ad cantum hortatur: Ergò est utilis. 2. cur ita sit. 1. qvia primus usus & finis cantus est gloria Dei: Levitæ cantu glorificarunt Deum arcâ fœderis assumta & deposita. Sic Angeli cantu glorificant à principio in æternum Deum. Esa. 6. 3. Sic qvoqve qvatuor animalia. Apoc. 5. 9. 2. qvia secundus usus cantus est exhilaratio nostra: tristes enim cantus exhilarat. Exemplum est in Saule, 1. Sam. 16. 16. 23. Elisæo. 2. Reg. 3. 15. 3. qvia tertius usus est grave opus mollire: fossor enim, frondator, nauta, pastor, arator, pensa trahens, laborem suum cantu solent fallere, & suam lassitudinem pellere, ut Ovid. l. 4. Tristium Eleg. 1. canit:

Hoc est cur cantet vinctæ qvoq; compede fossor,
Indocili numero cum grave mollit opus.
Cantat & innitens limosæ pronus arenæ
Adverso tardam qvi trahit amne ratem,
Qviq; refert pariter lentos ad pectora remos,
In numerum pulsa brachia pulsat aqva,
Fessus ut incubuit baculo, saxóqve resedit
Pastor; arundineo carmine mulcet oves,
Cantantis patiter, pariter data pensa trahentis
Fallitur ancillæ, decipiturqve labor,
Hinc alta sub rupe canit frondator ad auras.

4. qvia qvatenus usus cantus est conferre Spi. Sancti & dona ejus, ut clarè colligi potest ex Eph. 5. 18. 19. Correctio. Ergò peccant, qvi cantum

cantum flocci pendunt. Tales sunt qvi inter canendum intrant in templum & eo exeunt. Exhortatio. Ergò discamus cantum: frequenter cantemus. 1. qvia Israelitæ cantu vicerunt Ammonitas. 2. Chron. 20. 22. 2. qvia cantus concutit terram, aperit fores carceris, laxat vincula captivorum. Act. 16. 26. 3. qvia dissolvit tristitiam. Prov. 25. 20.

3. Cantus est oratio utilior & efficacior oratione, qvæ fit sine cantu. Patet. 1. an ita sit. Colos. 3. 16. ubi magis hortatur Apostolus ad Deum cantu colendum, qvam aliâ communi oratione. Sic. Eph. 5. 19. 2. cur ita sit. 1. qvia gloriam Dei majorem, magis illustrem & pomposam reddit oratio, qvæ fit cantu, qvam oratio qvæ fit prosâ. Hinc est qvod Deum maximè laudare, & glorificare volentes, cantu eum glorificarunt: ut sæpissimè Israelitæ, qvi singularia Dei beneficia, cantu celebraverunt. Levitæ, qvi assumta & deposita arca fœderis hoc cecinerunt: Surge Iehova, &c. 3. Angeli, qvi in cœlo Deum cantu laudant. Esa. 6. 3. 4. beati, qvi in cœlo Deo pro ingentibus beneficiis gratias agunt. Apoc. 5. 9. 2 qvia magis delectat qvam alia oratio. Psal. 104. 34. 3. qvia in corde fidelium majorem meditationem, elevationem, admirationem parit qvam alia oratio. ibid. 4. qvia pientiorem ostendit cantus hominem, qvam alia oratio. Colos. 3. 16. 5. qvia nos mutuò magis ædificat, qvam alia oratio. Eph. 5. 19. Ames. l. 4 cas. c. 19. q. 1. Exhortatio. Ergò veneremur Deum oratione soluta freqventer; sed orationem metricâ freqventissimè.

703147

XLVII. Quæres. 1. quare, Colos. 3. 16. dicimur canere in corde nostro Domino, id est, Deum cum gaudio cordis laudare?

Qvia in cantu cor nostrum elevatur ad Deum. 2. Cantus estne oratio? sic: qvia in cantu est elevatio cordis ad Deum: at elevamus in cantu cor ad Deum, ut in eum credamus, & eum oremus: Ergò cantus est oratio. Si ergò objicias: Finis cantûs est delectare animum, & eum detinere in meditatione rei cantatæ, non Deum orare: Ergò cantus non est oratio. Resp. Conseq. negatur: qvia in cantu præter delectationem animi, & ejus detentionem in meditatione rei cantatæ, reqviritur etiam elevatio cordis ad Deũ: qvod patet tùm an ita sit. Psal. 25, 1. tùm cur ita sit: & finis etiam, &c. id est, qvia cantus ideò detinet animum nostrum in meditatione rei cantatæ, ut cor nostrum elevemus ad Deum: Ergò cantus est oratio: qvia (ut dictum) elevare cor ad Deum est in eum credere, & eum invocare. Observa ergo. Cantus seu Psalmus est oratio. Patet an ita sit. Eph. 5. 19. 20. Canentes in corde vestro Domino, id est, Deum cum gaudio laudantes & ei gratias agentes, adeóqve eum orantes: Nam laudare Deum & ei gratias agere est Deum orare. Sic. Colos. 3. 16. 2. cur ita sit. 1. qvia est representatio desiderii nostri coram DEO. 2. qvia est petitio & gratiarum actio. 3. qvia cantus est elevatio cordis ad Deum, ut dictum thesi precedente.

XLVIII. Refutatio. Decalogus Symbolum,

lum, passio Christi, &c. non sunt oratio, qvia non constant petitione & gratiarum actione: Ergò minus consentaneum est, ut Decalogus, Symbolum Apostolicum, Passio Christi, &c. vertantur in metrum & loco Psalmorum cantẽtur. Additur. 1. minus: Ergò aliqvomodo consentaneum est decalogum, &c. vertere in metrum, & loco Psalmorum cantare. Resp: Conseq. negatur: qvia minùs consentaneum est, id est, non consentaneum est. 2. loco Psalmorũ, id est, loco orationũ rhytmicarũ: Ergò liceat Decalogũ, Symbolũ, &c. in metrũ vertere, & nõ loco Psalmorũ decãtare. Resp. Sic est, Decalogus & alia similia possunt decantari extra cultum Dei præcipuè pro doctrina & historia, ut facilius memoria comprehendantur: qvia res insignes & magni momenti solebant antiqvi carminibus complecti, ut essent in ore omnium, & perpetuò earum memoria servaretur, ut constat de Cantico Mosis. Deut. 31. 19. 21. sic Cantica Salamonis. 1. Reg. 4. 32. id est, parabolæ, seu præclaræ sententiæ, qvas ille eloqvutus est, ut dicitur in principio versûs. Obj. Cantus seu melodia religiosa Decalogi, symboli, &c. habet rationem orationis: Ergò cantus Decalogi symboli est oratio. Resp. Conseq. negatur, qvia tria reqvirumtur ad hoc ut cantus fiat oratio, n. 1. ut materia cantus sit oratio, id est, petitio vel gratiarum actio. 2. ut illa materia vertatur in metrum, seu rhytmum. 3. ut metro illi addatur religiosa melodia. 4. ut cantus sit compositus in laudem Dei non ab homine, ut cantica multa nostra in Graduali & alibi; sed à Spiritu Sancto, ut

Cantica

703147

Cantica Mosis. Exod. 15. 1. 2. 5. Mulierum Israelis. Exod. 15. 21. Israelitarum. Num. 21. 17. Deut. 26. 3. Deboræ & Barac. Iud. 5. 1. 2. Hannæ. 1. Sam. 2. Davidis. Salomonis Canticum canticorum. Esaiæ. Esa. 5. & 26. 9. Ezechiæ. 38. 10. Ionæ. Ion. 2. 3. Habacuc. c. 3. Mariæ Luc. 1. 46—48. Zachariæ v. 68. &c. Simeonis 2. v. 28 & seqq. Christi & discipulorum. Matth. 26. 30. Angelorum. Esa. 6. 3. Luc. 2. 13. Apoc. 4. 8. Ecclesiæ triumphantis. Apoc. 5. 9. & 7. 9. & 15. 3. Exhortatio. Ergò 1. Cantus habeamus pro orationibus. 2. Illa, quæ naturâ non sunt oratio, ne vertamus in metrum, & ne loco Psalmorum, quæ naturâ sunt oratio, cantemus: quia Deum deridemus, & nos decipiemus, nihil enim impetrabimus.

XLVIX. Ubi planè gestus corporis requiruntur in oratione metrica, seu cantu, qui in oratione soluta, quos th. 42. recensuimus?

Non. 1. quia cantus immediatè nos ædificat, ut dictum th. 46. Ergò sine istis gestibus etiam ædificat, & decantari potest. 2. quia (ut dictum th. 45.) cantus lætitiam quandam animi suâ naturâ præ se fert. Iac. 5. 13. Bono animo, seu lætos est quis? Psallat, seu cantet: Ergò sine lachrymis, percussione pectoris, &c. debet decantari Psal. 137. 1. & seq. Observa ergò. Canere seu psallere magis proprièest hominum lætorum. Patet. 1. an ita sit. Iac. 5.

Iac. 5. 13. ubi orare ægri, seu tristis, psallere boni animi seu læti esse dicitur. Sic. Psal. 137. 1—4. Additur, propriè: quia possumus cane & tristes, ut pœnitentiam agentes, ut David. Psal 51. & mortè alicujus deflentes, ut David. 2. Sam. 1. 19. & 3. 35. 36. & tristibus. Prov. 25. 20. 2. Chron. 35. 25. l. 4. cas. c. 19. q. 2. 2. cur ita sit: quia cantus suâ naturâ lætitiam quandam præ se fert. 1. quia canere significat lætari. Psal. 64. 8. ubi canere in umbra alarum Dei est lætari. Sic. Psal. 5. 12. & 33. 1. 2. quia canticum notat gaudium & lætitiam. Prov. 25. 20 ubi canticum canere apud animum malè affectum, est eum lætificare. Sic. Esa. 23. 16. 3. quia cantare Deo, Domino, est cum gaudio laudare Deum. Exod. 15. 1. Eph. 5. 19. Colos. 3. 16. Exhortatio. Ergò cum nos Deus lætitiâ afficit, canamus ipsi, id est, cum gaudio laudemus: ut Moses, Israelitæ & Maria, post submersionem Pharaonis & exercitus ejus. Exod. 15. 1. 2. 3. 21. Debora & Barac, post victum Siseram. Iud 5. Mulieres Israelis, victis Goliatho & Philistæis. 1. Sam. 18. 67. David. 2. Sam. 22. 1.

L. Quotuplex est oratio iterum quoad modum?

Duplex: 1. Solitaria, seu privata, quam quis sive separatim, & solus facit ubicunq; locorũ, sive cum aliis & imprimis cum familia sua domi, aut in quocumque loco privato. Observa ergò. 1. Locus privatus orandi semper liber fuit tàm in V. quã in N. T. quod patet: quia Isac orat in agro. Gen. 24. 63. Christus in monte. Matth.

703147

Matth. 14. 23. Cornelius in ædibus suis. Act. 10. 30. Petrus in solario. v. 9. 2. Pii secessum debent qværere ubi precentur: Patet. 1. an ita sit exemplis citatis Isaci, Christi, Cornelii, Petri. 2. cur ita sit. 1. qvia sic vitatur ostentatio. Matth. 6. 5. 6. 2. qvia mens sic sit libera ab avocamentis, & melius attenta ad Deum. Exemplo. Ezechiæ. 2. Reg. 20. 2. Christi. Matth. 26. v. 36. 39. Luc. 9. 18. Correctio. Ergò peccant Pharisæi, & hypocritæ, qvi in angulis platearum, id est, coram hominum freqventia orare amant. 3. Qvod si in precatione privata plures sint conjuncti, absente ministro Ecclesiæ, potest aliis voce præire etiam laicus, veluti Paterfamilias, aut alius. Nec solum togati, sed etiam milites precationis ad Deum officio olim defuncti sunt & defungi debent religiosè. Exemplo est Centurio. Matth. 8. 5. & alter Centurio. Act. 10. 1. 2 3. 2. Cum aliis, seu socia & publica, qvam cœtus fidelium in Christi nomine congregatus publicè facit, vel Pastore Ecclesiæ, vel Presbyterio, vel Diacono, præeunte voce clarâ, seu exhortatione, & exemplo. Observa ergo. 1. Etiam in publico loco precandum est. Patet. 1. an ita sit. Matth. 18. 20. & 21. 2. cur ita sit. 1. qvia in omni loco id faciendum. 1. Tim. 2. 8. 2. qvia Christus ipse in publico coram aliis precatus est. Ich. 11. 41. & 17. 3. qvia publica multorum precatio efficatior est privata. Matth. 18. 19. Refutatio. Ergò errant dicentes Christum locum communibus precibus destinatum sustulisse. Obj. 1. Matth. 6. 6. Resp. Conseq. negatur: qvia hic Christus non simpliciter, sed

ter, sed comparate loqvitur; potius; in conclavi occluso privatim orandum, qvam appetendam hominum freqventiam, qvæ nos orantes videat. Obj. 2. Ioh. 4. 21. 23. Resp. Conseq. negatur: qvia sensus loci hic est: Hactenus publicus locus publicè precandi fuit, nunc hîc, nunc illic; sed deinceps erit in omnibus Ecclesiis particularibus. Admonitio. Ergò publica loca publicè precandi ne contemnamus. 2. In V. T. locus publicus precandi fuit tabernaculum, in qvo arca erat templum Salomonis; Sed in Novo Testamento locus publicus precandi est omnis ille locus in qvo fideles ad publicè precandum conveniunt, vel convenire solent. Patet. 1. an ita sit, prùs membrum. 1. Chron. 21 10. 2. Sam 6. 2. Exod. 25. 8. & 2 30. item 1. Reg. 6. 1. Dan. 6. 10. Luc. 18. 10. Act. 2. 27. 2 cur ita sit: qvia veri templi effigies & typus unici Mediatoris Christi fuerunt, per qvem solum vult Deus exaudiri. Patet secundum membrum. 1. an ita sit. Matth. 18. 20. ubi duo, &c. Ioh. 4. 21. 1. Tim. 2. 8. 2. cur ita sit. 1. qvia ita præcipit Deus. Psal. 103. 22. 2. qvia Christus istam sacri loci ceremoniam adventu suo sustulit, & publicum locum orandi liberum reddidit. Ioh. 4. 21. 3. qvia templa non sunt propria Dei habitacula, unde proprius aurem nobis admoveat, aut secretam nescio qvam illi affingamus sanctitatem, qvæ sacratiorem apud Deum orationem reddat. Hæc enim arguit. Esaias. 66. 1. Stephanus. Act. 7. 48. Sed Dei templum cum simus, ipsi in nobis oremus oportet, si in Sancto Templo suo Deum invocare volumus.

703147

4. qvia non locus sanctificat orationem, ut Pontificii volunt; sed oratio locum, & alia omnia. Correctio. Ergò damnandæ sunt votivæ peregrinationes Romam ad sepulchrum Petri, Pauli &c. 5. Ex veteri Ecclesiæ disciplina etiam Diaconi possunt & presbyteri in precibus publicis cœtui voce præire. Nam ad diaconum qvoqve pertinet officium precum ut & ad presbyterum, ut docet Isodorus Hispalensis Episcopus in Epistola ad Ludifredum, Soli autem ii qvi Ecclesiastico ministerio funguntur, in publicis precibus possunt præire voce vel exhortatione ad precãdũ. Sic Deꝰ jubet: Sic in V. T. Sacerdotes & Prophetæ fecerũt, ut ostendit exemplũ Mosis Exod. 15. Obj. Salamõ adstante summo Sacerdote, preces publicas pro populo fudit. 1. Reg 8. Ergò. Resp. Conseq. negatur: qvia Salamon semel tantum id fecit, idqve extraordinarie ut Propheta Dei extraordinarius. Idem de Iosophato statuendũ, 2. Chron. 20. 5. & seqq.

LI. 1. *Quotuplex est oratio vocalis socia?*

Duplex: qvæ fit prosâ, vel qvæ fit cantu. 2. Qvi habenda est oratio vocalis socia qvæ fit prosâ? In oratione vocali socia, qvæ fit prosâ, unus præire debet clarâ voce, reliqvi eum debent. 1. seqvi affectu & fide seu assensu. 2. in fine orationis affectum & assensum suum testari dicendo, Amen. Patet. 1. an ita sit, Neh 8. 7. ubi populus Israeliticus non seqvutus est Esdram orantem voce, sed fide & assensu, qvem testificatus est dicendo Amen. Sic 1. Cor.

1. Cor. 14. 16. 2. cur ita sit. 1. qvia Moses sic instituit. Deut. 27. 15 & seqq. Israelitæ sic cõstituarunt. 1 Chron. 16. 36. Nehem. 8. 7. Paulus approbat. 1. Cor. 14. 16. 2. qvia David id jubet. Psal. 106. 48. 3. qvia plures non possunt simul loqvi sine confusione, qvam Apostolus prohibet. 1. Cor. 14. 40. 4. qvia secus Minister voce præiens non parùm turbabitur. 5. qvia & simul loqventes se mutuò non parùm impedinnt, adeóqve eorum ædificatio non parùm impeditur contra illud Pauli. 1. Cor. 14. 26. Obj. Prophetæ duo aut tres loqvuntur. 1. Cor. 14. 29. Ergò in oratione vocali socia, qvæ fit prosâ, non unus debet præire voce. Resp. Conseq. negatur, qvia duos aut tres loqvi permittit Paulus non simul, sed successivè unum post alterum; qvod patet v. 31.

LII. *Quid est precum alternatio?*

Qvâ in cœtu per modum antiphoni alter post alterum clarâ voce orat: ut cum in Papismo Sacerdos dicit: Dominus vobiscum: & alii respondent: Et cum spiritu tuo: ut in Breviario eorum vides. Antiphonon est vox reciproca duobus choris alternatim psallentibus, ut vides & in nostro Graduali, & in Breviario Romano, Graduale enim illa (qvod ego miror) reformatiùs continet, qvæ Breviarium Romanum. Qvid est precum distributio inter ministrum & populum? Qvâ in cœtu partem orationis alicujus clarâ voce minister recitat: partem verò populus circumstans, ut hoc etiam vides in Rubr. gener. Breviarii c. 34. Qvid est orationis, repetitio? Qvâ in cœtu populus

703147

orationem ministri clarâ voce reperit, ut audi; qvotidiè in nostris Ecclesiasticis cœtibus.

LIII. *Quî habenda est oratio vocalis socia quæ fit cantu?*

In oratione vocali socia qvæ fit cantu, simul omnes conjungere debent voces suas. Patet. 1. an ita sit ex exemplo Christi & Discipulorū simul canentium hymnum. Marc. 14. 26. Mulierum Israelis. Exod. 15. 21. Israelitarum 21. 17. Deboræ & Barac. Iud. 5, 1. 2 Angelorum. Esa. 6. 3. Ecclesiæ triumphantis, Apoc. 5. 9. & 7. 9. & 15. 3. 2. cur ita fit. 1. qvia cantus facit ad mutuam nostram ædificationem, attentionem, & affectus pios internos invicem excitandos, Colos. 3. 16. 2. qvia Deus sic instituit. 1. Chron. 16. 35. 3. qvia simul omnes possumus sine ulla confusione canere. Correctio. Ergò peccat Ecclesia, qvæ studiosos alit, ut pro se canant, ipsa autem taceat, ut paries & columna templi. Admonitio. Ergò nemo sit in templo, qvi dùm canitur, non canat.

LIV. *Quo sermone habenda est oratio vocalis socia, tùm quæ prosâ, tùm quæ cantu fit?*

In istis, &c. id est, ut omnia sacra, sic oratio vocalis socia, sive fiat prosâ, sive cantu, sermone vernaculo qvē aliis intelligūt habēda est. Patet. 1. anita sit. 1. Cor. 14. 9. & v. 16, & v. 19. & v. 23. 2. cur ita sit. 1. qvia Deus mandavit, ut preces & reliqva sacra vernaculâ lingvâ, & populo nota haberentur. 1. Cor. 14. 37. & v. 9. 14. 16. 19.

16. 19. 2. qvia qvæ fiunt in Ecclesia debent fieri ad ædificationem illius. 1. Cor. 14. 26. At qvod ignota sit lingva neminem ædificat. Ibid. v. 6. 9. 3. qvia si minister lingva ignota precatur, ille populo, & populus illi barbarus erit. 1. Cor. 14. 11. At hoc fieri non debet. 4. qvia Prophetæ, Christus, Apostoli lingva vernacula, & populo cognita sacra administrarunt. Refutatio. Ergò errant. 1. Pontificii sacra omnia latinè administrantes. Obj. Figuræ & ceremoniæ V. T. erant populo utiles: At eas non intelligebat: Ergò preces etiam non intellectæ, nobis nihilominus utiles esse possunt. Resp. Assumptio falsa: Levitæ enim ceremonias illas explicabant. Scharp. pag. mihi 51. 2. Pontificii & Lutherani in templo canentes Musicâ, cujus sermonem alii non intelligunt, ut thesi sequenti dicetur.

LV. *Possumusne in templis Musicâ uti?*

Fracta Musica abesse debet à sacris exercitiis pietatis, saltem qvæ cum aliis in templis scil. habemus, qvia orandum est sermone, qvi ab aliis intelligitur, ut dictum thesi 54. At fracta Musica ab aliis non intelligitur: Ergò ea non utendum est in sacris pietatis exercitiis, qvæ cum aliis in templis habemus. Additur; fracta: qvia Musica instrumentalis est duplex: simplex, qvæ purè canit; vel fracta seu composita, ornata, ut vides in Encyclo. Alsted. l. 14. c. 3. reg. 4. Iam. Musicâ simplici possumus uti in sacris exercitiis pietatis, qvæ cum aliis in templis habemus, qvia intelligi potest ab aliis;

703147

sed Musica fracta seu ornata non possumus, qvia non potest propter nimium ornatum & artificium intelligi ab aliis. 2. saltem, qvæ cum aliis habemus : qvia fracta Musica possumus fortè uti in exercitiis pietatis, qvæ sine aliis extra templum habemus. 3. sacris exercitiis pietatis : qvia in aliis rebus possumus uti & fracta seu ornata musica, qvia Musica præclara qvæqve effecta habet, ut vides in Ravan. de Musica num. 1. Obj. Luth. 1. Chron. 15. 16. Ergò Musica fracta seu artificialis, ornata, usum obtinere debet in templis. Resp. Conseq. negatur. 1. qvia Musica illa V. T. in cultu Dei propter ruditatem & infantiam Ecclesiæ adhibita fuit. 2. qvia Musica illa fuit pars cultûs Leviitici, adeóqve cum aliis cultum Leviticum concernentibus fuit abrogata. Arnold. Lux in tenebr. in. 1. Chron. c. 15. v. 16.

LVI. *Quot sunt species orationis?*

Orationis species duæ sunt : nimirum, petitio & gratiarum actio, id est, Deum rectè orâtium duo sunt officia, petere aliqvid à Deo, & ei pro acceptis postea gratias agere. Patet. 1. an ita sit. Philip. 4. 6. Sic. 1. Tim. 2. 1. 2. cur ita sit. 1. qvia Deus sic vult. Psal. 50. 15. 2. qvia petitionis secundarius finis est gratiarum actio; ideò enim petimus aliqvid à Deo primariò, ut accipiamus, secundariò ut ei pro eo gratias agamus, ut dicetur. 91. th. 3. qvia qvi semper petit, & nunqvam gratias agit, non exauditur : Deus enim gratias agentibus promisit exauditionem. Psal. 50. 15. Correctio. Ergò peccat qvi à Deo semper petit, & nunqvam gratias agit. Talis enim ingratus est erga Deum. Exhortatio. Ergò tàm diligenter faciamus officium gratias agendi, qvam officium petendi.

LVII. *Quid est petitio?*

Petitio est, &c. id est, petitio est talis oratio, qvâ oramus Deum, qvod non habemus, ut ab ipso accipiamus. Ubi est. 1. definitum, petitio : cujus notatur. 1. genus : nimirum oratio. 2. objectum : nimirum id qvod deest. 3. finis proximus, nimirum impetratio, seu exauditio & acceptio. Observa ergò. 1. Petitio est oratio. Patet. 1. an ita sit. Phil. 4. 6. ubi Apostolus preces seu orationem vocat petitionem & gratiarum actionem. Sic. 1. Tim. 2. 1. Psal. 50. 15. ubi per invocationem DEI seu orationem petitio intelligitur, Invoca me, &c. id est, pete liberationem à tribulatione. 2. curita sit. 1. qvia petitio est repræsentatio religiosa desiderii nostri coram Deo, ut eâ qvasi afficiatur. 2. qvia est species orationis, ut dicit Author. 3. qvia gratiarum actio est oratio. Exhortatio. Ergò hâc petitione à creatura nihil petamus, ut volebant Duces Darii. Dan. 6. 8. qvia secus idololatræ erimus, qvia petitio est oratio, qvæ soli Deo convenit. Daniel hoc nõ fecit, nec Socii ejus. 2. Id debemus à DEO petere, qvod nobis deest. Patet. 1. an ita sit. Matth. 7. 7. Petite & dabitur. Dabitur olim : Ergò nunc deest. 2. cur ita sit. 1. qvia præcipitur. Iac. 1. 5. 2. qvia petens est pauper & egens. Psal. 86. 1. 3. qvia pro eo gratias agimus qvod adest : Ergò petere debemus id, qvod deest : qvia petitio & gratiarum actio sunt species contrariæ : contrariorum autem

703147

contraria sunt objecta. Institutio. Ergò, 1. sentire debemus nostram indigentiam. 2. credere debemus Deum sufficientem esse ad indigentiam nostram elevandam: secùs enim non petimus rectè id, quod deest, ut dicetur. th. 59. Admonitio. Ergò 1. ne petamus illa quæ nobis adsunt; verùm pro iis gratias Deo agamus. 2. diligenter cognoscamus, an desit illud nobis quod petimus. 3. Deum sufficientem credamus ad dandum nobis id, quod petimus ab ipso.

LVIII. Quî deest nobis id quod petimus?

Deest semper nobis quod petimus: 1. ex toto, ut Israeli in Aegypto, & in Babylonia liberatio. 2. ex parte ut Patri pueri fides. Marc. 9. 24. Discipulis. Luc. 17. 5. Regenitis Sanctificatio, glorificatio. 3. in se se, ut alicui Sapientia. Iac. 1. 5. 4. in sensu nostro, ut Christo consolatio. Matth. 27. 46. Med. l. 1. c. 22. th. 23. & justificatis remissio peccatorum. Med. l. 1. c. 27. th. 25. 5. quoad actũ, ut Christo sapientia. Luc. 2. 52. Med. l. 1. c. 21. th. 6. & gaudiũ Med. l. 1. c. 22. th. 7. 6. quoad continuatam ejus durationem, ut justificatis remissio peccatorũ. Med. l. 1. c. 27. th. 25. divitibus panis. Vend. l. 2. c. 5. th. 16. expl. 3.

LIX. Quis petit rectè à Deo?

Is. 1. qui habet sensum indigentiæ suæ, quo scit & sentit se indigere, eo quod petit, seu sibi deesse id quod petere vult: ut Publicanus, Cœcus natus. 2. qui habet apprehensionem sufficientiæ Dei, quâ credit Deum posse efficere, ut id, quod nobis deest, adsit, seu ut inopi adver-

vertatur in copiam. Ratio quia petimus à Deo id, quod deest, ut dictum. th. 57.

LX. Quis est finis vel effectus petitionis?

Finis vel effectus petitionis non est mereri vel satisfacere, sed est impetrare tantùm. Pontificii docent 1. bena opera adeóque & preces mereri id à Deo, quod petimus, ut dictum supra c. 8. th. 19. 2. eleemosynas, preces, jejunium esse opera satisfactoria apud Deum pro culpa & pœna, ut dictum, Med. l. 1. c. 20. th. 22.

LXI. Quid verò est impetrare?

Impetrare propriè est medii vim habere ad boni aliqvid gratuitò ab alio abtinendum: Petunt ergò pii aliqvid à Deo, ut impetrent, id est, ut eos Deus gratis exaudiat, seu det eis id, qvod secundum suam voluntatem petunt. Observa ergò.

1. Piorũ petitio impetrat aliqvid à Deo, seu pios petentes exaudit DEUS, seu Deus piis petentibus dat ea qvæ petunt, Patet. 1. an ita sit. Ioh. 9. 31. 1. Ioh. 3. 22 & 5. 15. 1. Petr. 3. 12. Apoc. 8. 3. 4. 2. cur ita sit. 1. qvia illis promissa est exauditio. Psal. 50. 15. Ioh. 15. 7. 2. qvia bona petenda illis promissa sunt. Deut. 28. 1. & seqq. 3. qvia fideles Deus exaudit. Iac. 5. 6. At pii sunt fideles. 4. qvia est noster Rex: tuum est regnum: At Regis est subditos suos æqva petentes exaudire. 2. qvia potest nobis dare, qvæ ex Christi præscripto petimus: tua est potentia. 3. qvia exauditio

cedit

703147

cedit in ipsius gloriam: tua est gloria. Dehortatio. Ergò ne simus impii, qvia orationē talium Deus abominatur. Prov. 15. 8. 29. sed simus pii ob dictas rationes.

2. Piorum petitio est impetratoria, seu non merens, sed gratis obtinens aliqvid à DEO, Patet. 1, an ita sit, Luc. 17. 10. Sic, Psal. 51. 2. cur ita sit. 1. petitio piorum non meretur exauditionem, seu dationem petitorum: 1. qvia nulla bona opera merentur aliqvid à Deo, ut dictum supra: Ergò nec petitio. 2. petitio piorum gratis obtinet à DEO petita: qvia gratuita sunt omnia bona petita: n. fides, Eph. 2. 8. justificatio seu remissio peccatorum. Rom. 3. 23. 24. vita æterna. Rom. 6. v. ult. Refut. Ergò errant Pontificii docentes preces mereri exauditionem seu dationem petitorum.

3. Piorum petitio non semper impetrat aliqvid à Deo, seu Deus non semper exaudit pios, seu DEUS piis non semper dat ea qvæ petunt. Patet. 1. an ita sit, Iac. 4. 3. Petitis, sed non accipietis. Qværes, qvando non exaudit Deus pios? 1. cum orant pro impiis qvibus Deus non vult gratiam facere, Ier. 15. 1. 1. Sam. 15. 1. & 16. 1. Ier. 7. 16. & 11. 14. & 14. 11. & 26. 7. 16. 2. cum petunt 1. impossibilia. Exod. 33. 18. 20. 2. ea, ex qvorum concessione nullam utilitatem essent consecuturi. Gen. 32. 29. cum v. 26. 3. bona temporalia. Deut. 3. 25. 26. 2. Sam. 12. 16. 18. Sic fideles precantes pro liberatione Pauli, qvi Romæ captivus erat, non exaudivit Deus: Philem. v. 22. Nam ibi Paulus jussu Neronis interfectus est. Deus enim sæpè non exaudit ad vo-

luntatem (inqvit Augustinus) ut exaudiat ad salutem. 2. cur ita fit. 1. qvia aliqvādo petunt contra voluntatem Dei. 1. Ioh. 5. 14. 2. qvia aliqvando hoc non esset eis salutare. 3. qvia sæpè malè petunt. Iac. 4. 3. Dehortatio. Ergò promiscuè omnia à Deo ne petamus. 2. Deum non exaudientem ne accusemus, qvia in nobis non in Deo est causa non exauditionis. 4. Piorū petitio nō semper impetrat aliqvid à Deo, seu Deus non semper cōcedit statim piis, qvæ petunt, seu Deus differt dare, qvæ daturus est. Patet. 1. an ita sit ex exēplo Israelitarū. Exod. 2. 23. 24. Danielis. c. 10. 10. 12. Zachariæ. 1. 17. & ex qverelis piorum. Psal. 22. 3. Lam. 3. 8. 44. 2. cur ita sit. 1. ut pios probet. 2. ut piorum fidem magis accēdat. 3. ut dona sua jucū diora reddat. 4. ut ne vilescat cito datum. 5. ut in timore ejus donata custodiamus. 6. ut desiderio orandi magis ac magis flagremus. Exemplum in Cananæa. Matth. 15. 23. Exhortatio. Ergò exauditionem patienter exspectemus. Consolatio. Deus differt dare, qvæ daturus est: qvod differtur autem non aufertur: Ergò bona qvæ petimus tandem Deus certò certiùs nobis largitur, cum nulla amplius supereſt spes impetrandi ea. Exemplum in Zachariā. Luc. 1. 13. cum. 18. & qvidem tunc ea nobis largitur majori mensura. Exemplum est in eodem, cui cum Deus dare sobolem pro qva oraverat, distulisset diu, tandem filium dedit, qvi præcursor Christi futurus esset & Spiritus Sancti donis illustribus cumulandus. Luc. 1. 13. ad v. 18. Solet enim Deus nō solū exaudire piorū preces (cū

exspe-

703147

expedit) sed etiam multa alia, qvæ non petebant, ipsis ultro largiri. Exemplum in Iacobo. Gen. 28. 20. cum c. 32. 10. Davide. Psal. 21. 7, 5. Salomone. 1. Reg. 3. 9. 12. 13. Ezechia. 2. Reg. 20. 6. Centurione. Matth. 8. 7.

LXII. Obj. præoccup: Omne bonum opus, seu omnis observantia, ut eleemosynæ largitio, potest à Deo bona impetrare, ut dictum supra c. 1. th. 19. Ergò impetrare bona à Deo non est proprius finis & effectus petitionis. Resp. Conseq. negatur: Qvamvis igitur, &c. hoc est, qvia bona opera alia communiter, id est, nō suâ naturâ impetrant bona à Deo, sed virtute promissionis Dei, qvâ Deus omnib⁹ bonis operibus communiter præmium promisit. Deut. 28. 2. Sed petitio piorum impetrat bona à Deo & communiter, id est, & virtute promissionis, ut alia omnia bona opera, est enim pars bonorum operum seu observantiæ, & obedientiæ erga Deum, cui Deus mercedem promisit; & naturâ suâ propria, qvia petitionis proprius finis & usus est impetrare, ut dictum th. 60. qvia petitio est formalis actus fidei & spei, (ut dictum supra c. 8. th. 1 & c. 9 th. 4. 6.) qvibus omnia bona impetramus seu recipimus à Deo. Obj præocc: Omne bonum opus impetrat communiter, seu virtute promissionis Dei bona à Deo, ut dictum: Ergò omne bonum opus, ut largitio eleemosynæ potest à qvibusdam voceri oratio realis, distincta ab oratione mentali & vocali. Resp. Sic, sed valdè impropriè: qvia omnis oratio propria est mentalis vel vocalis, non distincta à reali. 2, qvia oratio

oratio propriè est repræsentatio desiderii nostri coram Deo, ut ea qvasi afficiatur; sed bonum opus, non est repræsentatio talis.

LXIII. *Quæ est causa impetrationis, seu quid impellit Deum ad hoc, ut pios exaudiat, seu det eis ea quæ petunt?*

Impellit Deum ad exaudiendam orationem nostram propriè non justitia ejus, qvia sic oratio nostra mereretur exauditionem & Deus deberet orationi nostræ exauditionem (justitia enim supponit meritum & debitum) qvod falsum, Luc. 17. 10. Sed misericordia ejus. Psal. 32. 3. Ratio: qvia oratio nostra gratis impetrat à Deo ea qvæ petit, ut dictum. Additur: propriè, qvia etsi ratione nostri exauditio sit à misericordia Dei, sed ratione promissionis Dei, & meriti Christi est ab ejus justitia. Observa ergò. Deus exaudit orationem nostram seu dat nobis ea qvæ petimus non propter suam justitiam & nostrum meritum; sed propter suam misericordiam. Patet. 1. an ita sit. Dan. 9. 18. Sic. Psal. 51. 3. 2. cur ita sit. 1. qvia exauditionē petimus à Deo propter Dominum, id est, Christum Iesum, qvi nobis donat⁹ est ex misericordia DEI. Dan. 9. 27. cum. Ioh 3. 16. 2 qvia nulla nostra bona opera merentur qvicqvam à Deo Luc. 17. 10. Refutatio habetur thesi seqventi.

LXIV. *Bonum quod petimus, unde recipimus?*

Non ex justitiæ manu, ut Pontificii volunt,

703147

qvia Deum non justitia sua seu nostrum meritum impellit ad exaudiendum nos; sed misericordia ejus. seu Deus exaudit nos non propter suam justitiam seu meritum nostrum; sed propter misericordiam suam, ut dictum. Obj. Pontif. Domine secundum justitiam tuam averte faciem tuam. Dan. 9. 16. Ergò Deus exaudit nos propter suam justitiam. Resp. Consequentia negatur: qvia dicto loco justitia notat veritatem promissionis divinæ.

LXV. *Quî petendum est aliquid à Deo, seu quî sunt apprecanda bona & deprecanda mala?*

Eo modo, qvo ea Deus nobis promisit, adeóqve qvo modo ea credimus & speramus: qvia petitio maximè formaliter fluit ex fide & spe, ut dictum supra. th. 4. 6. At qvædam Deus nobis absolutè, qvædam conditionaliter promisit, adeóqve qvædam absolutè, qvædam conditionaliter credimus & speramus: Ergò qvædam absolutè, qvædam conditionaliter petenda, seu apprecanda & deprecanda sunt.

LXVI. *Quæ sunt ergò absolutè, quæ conditionaliter petenda, seu apprecanda & deprecanda?*

Absolutè petenda seu apprecanda & deprecanda sunt illa, qvæ concernunt Dei gloriam & nostram salutem (1. qvia illa Deus absolutè promisit. Ioel. 2. 28. Rom. 10. 13. adeóqve ea absolutè credimus & speramus. 2. qvia iis non possumus nisi benè uti) cætera verò, id est, illa

illa qvæ ad hujus vitæ usum faciunt conditionaliter (si scilicet Deus velit ea nobis largiri. 2. Sam. 15. 25. 26. Matth. 8. 2. & 26. 39. & si non imminuant gloriam Dei, impediant nostram salutem) petenda seu apprecanda & deprecanda sunt. 1. qvia illa Deus conditionaliter nobis promisit. adeóqve ea conditionaliter credimus & speramus. 2. qvia bonis possumus benè & malè uti. 3. qvia mala possunt nobis adjumento esse ad bonum. Exhortatio. Ergò. 1. absolutè 1. bona sic apprecemur. 1. sanctificetur nomen tuum, non conditionaliter, si scil. velis sanctificetur nomen tuum, qvia hoc concernit gloriam Dei. 2. adveniat regnum tuum, non conditionaliter, si scilicet velis adveniat regnum tuum, qvia hoc concernit nostram salutem. 3. fiat voluntas tua, non conditionaliter, si scil. velis fiat voluntas tua, qvia hoc inservit gloriæ Dei & saluti nostræ. 2. mala sic deprecemur. 1. Remitte nobis debita nostra: Ne nos inducas intentationem, non conditionaliter si velis remitte, &c. qvia illa imminuunt gloriam Dei & impediunt salutem nostram. 2. Conditionaliter 1. bona sic apprecemur, Da nobis panem nostrum qvotidianum seu victum, vestitum, pacem, sanitatem, sobolem, &c. si scil. prosunt gloriæ tuæ, & saluti nostræ. 2. mala sic deprecemur, ne da nobis inediam, nuditatem, bellum, morbum, sterilitatem, &c. si scil. obsit gloriæ tuæ & saluti nostræ. Obj. Iacobus jubet petere sine hæsitatione. c. 1. 6. Ergò nihil debemus conditionaliter petere, si scil. faciat ad gloriam Dei, & si nobis salutare sit.

703147

Resp. Conseq. negatur. Nam aliud est cum hæsitatione petere, qvod Iacobus vetat, qvia fidei repugnat, aliud cum conditione. Nam fidelis non dubitat, qvin Deus suas preces exaudiat, ubi certam Dei promissionem habet, qvoniam si id non dat, qvod petitur, certè id qvod melius est, largitur, ut Bernardus inqvit.

LXVII. Modum ergò & tempus exaudiendi debemusne petere à Deo?

Modum & tempus particulare, n. crastinum diem vel septimũ diem nos exaudiendi, seu dandi ea qvæ petimus à DEO petere non debemus. 1. qvia illa debemus à Deo petere, qvæ promisit, ut dictum: Sed modum & tempus nos exaudiendi non promisit nobis Deus: Ergò. 2. qvia Deus ipse novit optimè qvo qvid tempore, qva ratione facere, qvomodo suam gloriam illustrare debeat, & nobis opitulari: qvod innumeris piorum precantum exemplis confirmatur. Licetne tamen petere, ut Deus festinanter & citè exaudiat? Sic: qvia hoc facere promisit. Luc 18. 8. Licetne ergò petere, ut Deus citò hac vel illa opportunitate exaudiat? Non: qvia hoc facere non promisit.

LXVIII. Quæ sunt maximè petenda à Deo?

Illa sunt maximè à Deo petenda, qvæ maximè faciunt ad gloriam & bonitatem ejus celebrandam. Patet. 1, an ita sit. Matth. 6. 33. Qværite primò, id est maximè regnum Dei. & 22. 38. 2. cur ita sit, qvia petitio oritur etiam ex charitate erga Deum, qvâ bonitatem DEI cupimus celebrare seu Deo benevolumus, supra. th. 7. cum. c. 7. th. 13. Institutio vel informatio habetur thesi seq. Exhortatio. Ergò maximè petamus à Deo, ut nomen ejus sanctificetur, id est, ut ipse rectè agnoscatur juxta. 1. Theol. partem, & rectè colatur juxta. 2. Theol. partem, qvia ista faciunt maximè ad gloriam Dei maximè celebrandam: qvod patet; qvia est prima orationis Dominicæ petitio.

LXIX. Pro quibus ergò petere, seu apprecari & deprecari debemus?

Hinc etiam, &c. id est, petere debemus & nobis & aliis omnibus viventibus in particulari, qvi salvari & juvari possunt. Patet. 1, an ita sit. 1, ex subjecto loco. 1. Tim. 2. 1. 3. 2. ex illis: Panem nostrum da nobis: Remitte nobis, &c. 3. ex benedictionibus Patriarcharum, thesi seqventi. 2. cur ita sit. 1, qvia petitio oritur ex charitate erga Deum, ut dictum, adeoqve etiam ex charitate erga nos & alios, qvia charitas Dei conjungitur cum charitate erga proximum. 1. Ioh. 4. 20. 2. qvia Deus omnes homines vult salvari & ad cognitionem veritatis venire. 1. Tim. 2. 4. 3. qvia hoc bonum & acceptum est in conspectu Servatoris nostri Dei. 1. Tim. 2. 3. 4. qvia omnis vivens salutis capax est diligendus. 5. qvia omnis vivens cui commodare possumus est proximus noster. l. 5. cas. c. 7. 8. Refutatio habetur thesi 71. Exhortatio. Ergò petamus à Deo seu apprecemur bona, & deprecemur mala pro

703147

omnibus hominibus id est: 1. Pro Magistratibus & subditis. 1. Tim. 2. 1. 2. Pro ministris Ecclesiæ Matth. 9. 38. Colos. 4. 3. Rom. 15. 30. 2. Thess. 3. 1. 3. Pro amicis, fratribus, totâque Ecclesia. 1. Cor. 1. 2. alius pro alio. Ier. 42. 2. 10. 1 Thess. 5. 25. Iac. 5. 16. 4. Pro inimicis. Num. 16. 22. 5. Pro peccatoribus & incredulis. Matth. 5. 44. Sic oravit Abraham pro Sodomitis. Gen. 18. Loth pro Segor. 19. 20. 21. Moses pro populo, cum erecto vitulo peccaret: Exod. 32. 31. Samuel pro Saule. 1. Sam. 15. 35. 6. Pro afflictis & ægrotis. Iac. 5. 13. 14. 2. Sam 12. 16. Quî pro inimicis orandum est? Si sint inimici causæ justæ, id est, veræ doctrinæ orandus est Deus, ut causam suam tueatur & illos vel convertat si sunt emendabiles, vel evertat si sunt in emendabiles: vel à nobis læsi, & tum petenda venia, & injuria compensanda: vel non læsi sunt, & orandum, ut ex inimicis fiant amici, vel ut tuti simus ab eorum truculentia. Si causæ justæ simul & personæ nostræ inimici sunt, exemplo Christi orandum pro emendabilibus, & contra incurabiles, vindicta à Deo petenda.

LXX. Vnde. 3. patebat proaliis omnibus nos petere debere?

1. Ex benedictionibus, Patriarcharum, Prophetarum, qvâ aliis à Deo bona optabant, cũ dicebant (det Deus tibi) & datum iri prædicabant (cum dicebant, dabit Deus tibi. Gen. 27. 30.) verbũ enim Hebraicũ jiththẽ utrúmq; significat. n. det, vel dabit Deus, Benedictio enim est oratio, qva bona aliis à Deo dari petimus, optamus, sive amicis sive inimicis. Matth. 5. 44. Rom. 12. 14. Estqve qvoad causas. 1. divina, qva qvis à spiritu Dei inspiratus prophetico more res eventuras precatur: qvalis fuit Patriarcharum morituorum, ut Isaci. Gen. 27. 6. & seqq. & Iacobi. Gen. 48. & Mosis. Deut. 33. 2. humana, qva qvis humano civiliqve studio res bonas aliis à DEO precatur. 2. qvoad subiecta. 1. Publica, qvæ fit in publico cœtu à ministris Dei: cujus formula extat. Num. 6. 24. 25. 26. 2. Privata, qvæ fit à qvovis fideli aliis benè precante: ut cum parentes benedicunt liberis, præcipuè ex hac vita migraturi. Gen. 27. 6. & 48. 8. 15. 2. Ex salutationibus & valedictionibus sanctorum, qvâ aliis salutem bonamqve valetudinem, & bona omnia aliis precantur à Deo ex charitate erga illos profecta. Exempla passim occurrunt in V. & N. T. præsertim in Epistolarum Apostolicarũ exordiis & conclusionibus. Observa ergò. Fideles salutatione uti debent. Patet. 1. an ita fit exemplo Christi. Luc. 24. 36. Ioh. 20. 19. 21. 26. Pauli & aliorum Apostolorum, in exordiis & finibus Epistolarum. Iohannis. Apoc. 1. 4. 5. 2. cur ita fit. 1. qvia est precatio, qva aliis bona salutaria optamus. 2. qvia præcepta est fidelibus. Matth. 10. 12. Rom. 16. 3. & seqq. 3. qvia comes & humana salutatio inter officia Christiana numeratur. 4. qvia ut est qvidam ad colloqvendum cum aliis ingressus: ita est simul declaratio charitatis erga alios. Refutatio. Ergò errant, qvi salutatione fidelibus utendum esse non credunt. Obj. Prohibetur. 2. Reg. 2. 29. Luc. 10. 4.

703147

Ergò. Resp. Conseq. negatur: qvia non est propriè accipiendum, qvod figuratè dicitur Elisæus & Christus Dominus usi hyperbolica locutione, nihil aliud sibi voluerunt, qvam præcipere, ut mandata obirent celeriter nullâ interjectâ morâ, qvam adferre solet colloqvium cum qvovis obvio institutum.

LXXI. Refutatio. 1. Pro viventibus debemus petere: Ergò non pro mortuis: qvia oratio pro mortuis. 1. neqve præceptum, neqve exemplum in scripturis laudatum habet: adeóqve sit sine fide, adeóqve est peccatum. Additur laudatum, qvia oratio pro defunctis exemplū nō laudatū habet in libris Apocryphis, ut dicetur. 2. in utilis est: qvia qvi hinc migrāt vel in fide migrāt & sunt beati, adeóq; nō opus habent precibus: vel fide carent, & sunt damnati. Ioh. 3. 18, 36. adeóqve juvari non possunt. Obj. Pontif. Machab 12. 46. sancta est cogitatio pro defunctis orare, ut à peccatis solvantur: Ergò. Resp. Conseq. negatur: qvia hoc non est laudatum exemplum. Polan. pag. mihi 611. 2. Debemus petere pro omnibus in particulari seu distributivè: Ergò pro omnibus collectivè non debemus orare, ut salvi fiant, qvia collectivè non sunt omnes redempti, Ioh. 17. Additur, ut salvi fiant, qvia ut in mundo benè se se habeant possumus orare collectivè pro omnibus. 3. Debemus orare pro omnib⁹ qvi salvari & juvari possūt: Ergò orare non debemus pro hostibus Dei induratis, aut iis qvos Dominus nobis veluti digito commonstravit peccare in Spiritum Sanctum. Ioh. 5. 16. 1. Sam. 16. 1. Sed contra eos po-

tius. 1. Ne progressum sortiantur, sed impediantur & reprimantur. 2. Sam. 18. 31. Act. 4. 29. (hoc enim est charitatis) 2. ut exscindantur si diabolico furore, Deo, Ecclesiæ, ac veritati adversari pergant, sintqve immedicabiles: qvod non est privatæ vindictæ, sed singularis zeli Dei. Sic David. Psal. 5. 11. & 59. 6. 13. & 84. & 140. 9—11. Et Paulus. 2. Tim. 4. 14. Sic Moses. Num. 16. 15.

LXXII. Quotuplex est petitio?

Duplex: apprecatio vel deprecatio, seu petentiū aliqvid à Deo officiū est apprecari bona & deprecari mala. Patet. 1. an ita sit. Psal. 4. 6. & ex Petitionibus orationis Dominicæ, ubi in prioribus qvatuor apprecamur bona: in duabus autē posteriorib⁹ deprecamur mala. 2. cur ita sit: qvia res qvæ petitur est duplex, n. bona vel mala. Admonitio. Ergò aliqvid à Deo petituri bonum apprecemur, malum deprecemur. Sic enim docet Christus, & exemplum petentium à Deo.

LXXIII. Quid est apprecatio?

Est petitio, qvâ petimus, ut Deus bona det. Sunt autē bona apprecāda. 1. qvæ cōcernūt gloriam DEI, qvæ consistit in sanctificatione nominis divini, qvam petimus primâ petitione: Sanctificetur nomen tuum. 2. qvæ concernunt nostram salutem, qvæ consistit in adventu regni Dei ad nos, qvem petimus petitione secundâ: Adveniat regnum tuum. Observa ergò. 1. Ultimus dies est nobis expetendus. Patet. 1. an ita sit ex secunda petione orationis Dominicæ. Adveniat regnum tuum. 2.

cur

703147

cutita sit. 1. qvia est beatissimus dies ille nuptiarum Agni & Sponsæ suæ Ecclesiæ. Apoc. 19. 7. est tempus refrigerii à conspectu Domini. Act. 3. 19. 2. qvia à fidelibus semper expetitus fuit. cant. cant. c. 8. 7. 2. Cor. 5. 2—4. Apoc. 6. 9. 10 & c. ult. v. 17. & v. 20. 3. qvia die illo perfectam redemptionem, regenerationem, &c. habebimus. Luc. 21. 28. Matth. 19. 28. Ioh. 5 28 29. Act. 3. 21 4. qvia illius exspectatio & amor est nota hominum vere piorum: unde piorum periphrasis sumitur à Paulo, qvi. 2. Tim. 4. 8. ait: reposita-qvi dilexerint illustrem illum ipsius adventum, id est, omnibus piis. Sicut olim piorum erat periphrasis, qvi exspectabant regnum, & redemtionem Israelis. Institutio. Ergò finis mundi est ab omnibus fidelibus cum gaudio exspectandus. Vide Exeg. l. 1. Med. c. ult. th. 8. 2. Futura corporum resurrectio universalis exspectenda est. Patet. 1. an ita sit ex secunda petione orationis Dominicæ. 2. cur ita sit. 1. qvia ultimus dies est petendus: Ergò & resurrectio illa, qvia in ultimo die actiones Dei erunt resurrectio & judicium, seu condemnatio impiorum, & salvatio piorum. 2. qvia credimus in Symbolo Apostolico: adeoq; 3. qvia promissa est à Deo. 4. qvia à fidelibus semper expetita fuit. Rom. 8. 20—23. Exhortatio. Ergò corporum nostrorum universalem resurrectionem petamus & expetamus. 3. qvæ ad Dei gloriam & nostram salutem promovendam faciunt, qvæ petitione tertiâ petimus: Fiat voluntas tua. 4. qvæ faciunt ad vitæ hujus usum, qvæ petimus petitione qvarta: Panem

nostrum qvotidianum da nobis hodiè. Observa ergò. Corporalia qvoqve bona à Deo petenda sunt. Patet. 1. an ita sit ex petitione. 4. orat. D. 2. cur ita sit 1. qvia mandavit Deus. Matth. 7. 7. 2. qvia promisit ea Deus. 3. qvia legitimus eorum usus cedit in Dei gloriam. 4. qvia eorum impetratio nos consolatur, & de benevolentia nos certos reddit. 5. qvia iis carere non possumus, neqve absqve iis Dei voluntatem in tertis facere.

LXXIV. *Quid est deprecatio?*

Est petitio, qva petimus, ut Deus mala removeat. Sunt autem contra mala deprecanda. 1. qvæ impediunt gloriam Dei. 2. qvæ adversantur saluti nostræ, ut mala culpæ, qvæ deprecamur petitione qvinta: Remitte nobis debita nostra. 3. qvæ nobis in hac vita molesta sunt, ut mala culpæ & pœnæ, qvæ petitione sextâ deprecamur: Nenos inducas in tentationem, sed libera nos à malo. Has sex Petitiones theoreticè explicat. Vendelinus l 2. c. 5. th. 11. 20. Polanus l 9. c 17. Amesius verò practicè in Sciagraphia sua. Observa.

1. Deprecatio inductionis in tentationem est nobis necessaria. Patet. 1. an ita sit ex 6. petitione orat. D. 2. cur ita sit. 1. qvia inductio in tentationem est vindicta Dei gravissima. 2. qvia eam iussit Christus deprecari & Matth. 26. 41. Exhortatio. Deprecemur inductionem in tentationem, ut David. Psal. 12. 3. & 19. 14. 27. 9. 12. & 28. 3. & 31. 2. & v. 18. & 36. 12. 13. & 71. 9. 12. 18. & 119. 9.

2. Licet mala pœnæ deprecari. Patet. 1. an ita sit. Libera nos à malo. 2. cur ita sit:

703147

qvia malum pœnæ per se nos cruciat & destruit. Exhortatio. Ergò deprecemur malum pœnæ: 1. qvia Christus pœnas illas, qvas nostro loco in se susceperat, deprecatus est. Matth. 26. 39. qvatenus nempe erat cruciatus & destructio. 2. qvia alii fideles idem fecerunt, ut David. Psal. 6. 38. Deprecemur ergò famem, pestem, bellum, morbos, confusionem, &c. Sed qværes, licetne deprecari confusionem, seu pudefactionem? Distingvenda est confusio seu pudefactio. Est enim confusio faciei coram Deo ex peccatorum ingenua confessione. Talis confusio non est deprecanda, sed ultrò subeunda, qvia confessio peccatorum coram Deo minimè subterfugienda. Talem confusionem non reformidavit David. Psal. 51 Daniel c. 9. Publicanus. Luc. 18. 13. Filius perditus sed resipicens. Luc. 15. v. 18. & seqq. Paulus 1. Tim. 1. 13. 14. Fideles Ephesii. Act. 19. 18. Est etiam pudefactio coram hominibus, qvam subeunt confessores veritatis cœlestis & martyres propter nomen Christi: illa qvoqve non deprecanda, sed exoptanda, & ubi obtigerit, cum gaudio suscipienda, ut fecerunt Apostoli. Act. 5. v. 41. Moses. Hebr. 11. v. 24. 25. 26. Fideles Hebræi. Hebr. 10 v. 32. & seqq. Qvi eam subeunt, prædicantur beati. Matth. 5. v. 11. 12. Alia verò est confusio qvæ conjuncta est cum ignominia in Deum, ut. 1. si qvis fidelium peccaret, & propter peccatum illud accerseret sibi infamiam & occasionem præberet ad blasphemandum nomen Dei inter infideles & hostes veritatis divinæ. Talem cõfusionem deprecatur David, cum ait. Psal. 119. v. 31.

v. 31. Inhæreo testimoniis tuis Iehova, ne confundas me erubescere, id est, eo infirmitatis prolabi atqve peccare, ut mihi probrosa sit vita mea. Et v. 39. Averte opprobrium meum qvod reformido, id est, ne sinas me labi in peccatum, qvod metuo, qvodqve deinceps probrosum mihi futurum esset. 2. si qvis fidelium opprobrio & contemtu afficeretur eo nomine qvod pietati studeat & observationi mãdatorum Dei inhæreat. Talem confusionem deprecatur David. Psal. 119. v. 22. Devolve à me opprobrium & contemptum, qvia testimonia tua custodio. 3. Si qvis fidelium videatur frustra Deo servire, frustra ipsum invocare, sed in periculis succumbere, in calamitate probrosa permanere, delusus esse exspectatione suâ, nihil salutis à Deo posse obtinere aut sperare, ut. Psal. 3. v. 3. & 42. v. 11. Talem confusionem deprecatur David. 25. 2. Deus mi, in te confido, ne erubescam. Et Psal 31. 2.

LXXIV. *Quid adjungitur apprecationi & deprecationi* 1. Tim. 2. 1?

Interpellatio seu intercessio: Ut fiant deprecationes, preces seu apprecationes, interpellationes, seu intercessiones. Qvid est interpellatio? Est peculiaris modus deprecationis, qvo injuriam ab hominibus illatam deprecamur. Obj. At Polanus, Bucanus, Ravanellus, interpellationem dicunt esse orationem pro aliis, ut ipsis Deus bonum aliqvod conferat, vel ab ipsis malum aliqvod auferat: Ergò Amesius male definit. Resp. Conseq. negatur:

703147

quia citato loco & apprecationes & deprecationes dicuntur fieri pro aliis: Ergò non tantùm interpellatio est precatio pro aliis.

LXXV. *Quid porrò adjungitur deprecationi?*

Querela & lamentatio, id est, deprecamur mala quærendo, & lamentando coram Deo.

LXXVI. *Quid est querela?*

Est significatio doloris nostri de miseriis ab hominibus per injuriam immissis, ut eâ Deum impellamus, ut ab eis nos liberet. Vel querela sanctorum apud Deum de hostibus, est cum in precibus ad Deum narrant hostium vel multitudinem, vel malitiam, crudelitatem, injurias & insultationes, cum item quæruntur de gravitate & diuturnitate afflictionum, quibus premuntur, de infirmitate animi & corporis, & de desertione ab amicis, &c. ideò ut Deum commovere possint ad liberationem ab eis. Tales querelæ multæ sunt in Psalmis, Psal. 3. & 10. & 13. & 18 Habac. 1. 12. & seqq. Observa ergò, Querelæ piorum apud Deum sunt licitæ. Patet. 1. an ita sit Psal. 3. & 10. & 13. & 38. Habac. 1. 12. & seqq. 2. cur ita sit. 1. quia sunt modi deprecationis. 2. quia Deum valdè commovent. 3. quia sancti usurparunt. 4. quia solus Deus potest hostes nostros vel coercere vel convertere. Exhortatio. Ergò hac tempestate querâmur apud Deum multa de calamitate & injuria nostra.

LXXVII.

LXXVII. *Quid aliquando querelæ sanctorum adjungitur?*

Imprecatio. Ubi quæres. 1. Qvid est imprecatio sanctorum? 1. Quâ mali aliqvid optât iis, qvi sunt authores mali, seu cum sancti Deum orant, ut hostes suos & Ecclesiæ, qvi implacabili odio non desinunt Deum irritare, & pios hostiliter persequi, confundat & perdat, tanqvam justissimus Mundi judex, qvi injuriam facit nemini. Tales imprecationes passim in scriptura occurrunt, ut. Gen. 9. 25. Num. 16. 15. Ios. 7. 25. Psal. 5. 11. & 125. 5. & 144. 5. 6. 1. Cor. 16. 22. Gal. 1. 9. & 5. 12. Act. 8. 20. 2. Imprecationes propheticæ fuerunt etiam prædictiones, id est, denunciationes pœnarum adversus hostes non resipiscentes. Psal. 5. 10. Depelle, id est, depelles eos. Additur etiam: qvia Prophetæ imprecantes non tantùm denunciant pœnas hostibus irresipiscentibus, sed etiam optant. Psal. 5. 11. Depelle, id est, opto, ut depellas eos. 2. Quæ est species imprecationis? Maledictio, seu execratio, qvâ Prophetæ & Apostoli ex inspiratione divina efficaciter usi sunt: ut cum Elisæus maledixisset in nomine Iehovæ pueris Bethelensibus, qvi ei illudebant, 2. Reg. 2. 24. Sic David maledixit calumniatoribus suis apud Saulem. 1. Sam. 26. 10. Petrus Apostolus exsecratus est Simonem Magum volentem pecunia emere potestatem conferendi Spiritum Sanctum. Act. 8. 20. Sic Paulus exsecratur eos, qvi non diligunt Dominum Iesum. 1. Cor. 16. 22. 3. Suntne ergò imprecationes seu maledictiones & execrationes licitæ?

703147

citæ? Sic aliqvando: qvod patet. 1. an ita fit ex locis citatis. An absolutè? Non, sed sub his conditionibus. 1. si imprecatio illa habeat vim (ut Author loqvitur) deprecationis, id est, si idcò authoribus mali imprecemur, seu malum optem', ut per illorũ malũ, malũ aliqvod gravius deprecemur seu removeamus: ut si oremus Deum, ut persecutores moriantur, ut nos ab idololatria liberari qveamus. 2. si male imprecemur iis, qvibus Deus ea denunciat, nempe hostibus Dei. 3. in causa Dei sine privato odio & cupiditate vindictæ. 4. cum conditione, si fint insanabiles. 5. sic tamen ne eorum exitio lætemur, sed tantùm gloriæ Dei vindicationem, & Ecclesiæ liberationem expetamus. 2. cur ita fit. 1. qvia est modus deprecationis mali: At deprecatio mali est licita: Ergò, &c. 2. qvia sunt denunciationes pœnarum Dei adversus hostes veritatis insanabiles. 3. scriptura maledicit violatoribus legis Dei. Deut. 27. 27. Refutatio. Ergò viri pii aliis imprecantes non semper peccant. 4. licetne fideli contra se precari & sibi ipsi imprecari aliorum causa? Nemini licet sibi ipsi ad redimendam aliorum, qvamvis charissimorum, salutem, imprecari æternum exitium, & expunctionem è numeo eorum, qvi grati sunt DEO. Patet. 1. an ita sit. Matth. 22. 39. 2. cur ita sit. 1. qvia est contra illud: Fiat voluntas tua. 2. qvia non licet optare fieri hostem Dei. 3. qvia qvod alii velle non licet, nec tibi. Dehortatio. Ergò aliorum causâ ne optemus nobis malum. Obj. Moses & Paulus hoc fecerunt. Rom. 9. 3. Exod. 32. 32. Iob. c. 3. 1.

c. 3. 1. & seqq. Ergò. Resp. Conseq. negatur: 1. qvia Moses & Paulus fecerunt hoc non absolutè, sed cum conditione, si fieri posfit, si Deo placebit & videbitur. Deinde loqvuntur sic Moses & Paulus hyperbolicè. 2. qvia Iobus hoc ex infirmitate fecit, in qva ille non est imitandus.

LXXVIII. *Quid est lamentatio?*

Est doloris nostri significatio de miseriis à Deo immissis, ut Deum qvasi moveamus, ut nos ab iis liberet: Vel, est qverela lugubris, qva miseriam nostram, & dolorem nostrum, vel aliorum, multis cum lachrymis & magno cum ejulatu & clamore deploramus, ut Deus commoveatur, & nos liberet à miseria nostra. Observa ergò. Afflictis à Deo lamentandum, seu flendum, plorandum & ejulandum est. Patet. 1. an ita fit ex exemplo Israelitarũ. 1. Sam. 7. 2. David. Psal. 6. 3. 4. & 22. 7. & seqq. Ecclesiæ. Psal. 79. 1. 2. 4. Ieremæ, ut constat ex libro lamentationum. 2. cur ita fit. 1. qvia lamentatio est modus optimus deprecationis mali à Deo immissi, ut dictum. 2. qvia Deus præcipit. Ioel. 2. 13. 3. qvia culpa, qvæ est causa pœnæ, cum gaudio fuit commissa: Ergò pœna, qvæ est effectus culpæ, cum fletu est removenda. 4. qvia vera lamentatio est signum cordis ob peccata dolore contriti, qvod Deus non spernit. Psal. 51. 19. 5. qvia lachrymæ piorum vehementer afficiunt Deum ipsum. 2 Reg. 20. 5 (cum. Esa. 38. 5.) & 22. 19. Psal. 39. 13. & 56. 9. Correctio. Ergò peccant, 1, qvi rigent sub miseriis à Deo immissis.

703147

missis. 2. illi, ex qvibus nulla miseria potest lachrymas elicere.

LXXIX. *Quid aliquando accedit deprecationi?*

Deprecationi mali aliqvando accedit jejunium, id est, malum deprecantes interdùm jejunant. Additur: aliqvando: Nam malum deprecandum est ordinarium, ut ordinaria peccata & eorum pœnæ qvotidianæ; vel extraordinarium, ut extraordinaria peccata, ut superba numeratio populi, & pœna ejus extraordinaria, n. pestis triduana. 2. Reg. 24. malum illud deprecamur sine jejunio, hoc autem cum jejunio. Observa ergò. 1. Malum extraordinarium, ut pestem, gladium, famem, deprecantibus jejunandum est. Patet. 1. an ita fit. Iud. 20. 26. 1. Sam. 7. 5. Ioel. 2. 12. 15. 1. Sam. 31. 13. 2. Sam. 1. 11. 12. 2. Chron. 20. 20. 23. Esd. 8. 23. Ester. 4. 3. 16. Ier. 36. 9. Ion. 3. 5. 7. 8. 2. cur ita fit. 1. qvia jejunium est adminiculum precationis, signum humilitatis, & resipiscentiæ. 2. qvia malum extraordinarium deprecantibus jejunium præcipitur. Ioel. 2. 14-16. 3. qvia Deus valdè iratscitur iis, qvi tempore grassantis mali extraordinarii, edunt & bibunt. Esa. 22. 12—14. Refutatio. Ergò jejunium statum & nominanter qvadragesimale qvod Pontificii annuatim ante pascha per 40. dies celebrant, non est observandum: 1. qvia isto jejunio nullum malum extraordinarium deprecantur. 2. qvia in Scriptura Sacra nusqvam fidelibus est mandatum. 3. qvia doctrinæ Christi & Apostolorum adversatur. Christus enim dicit

dicit, Matth. 15. 1. Non qvod ingreditur in os polluit hominem. Paulus verò. Rom. 14. 17. Non est regnum Dei esca & cibus. Sic. Colos. 2. 2. 16. 1. Tim. 4. 1—5. Tit. 1. 15. Obj. Pontif. Moses, Elias, Christus 40. dies & noctes nihil comederunt: Ergò jejunium qvadragesimæ est annuatim observandū. Resp. Consequ. negatur: 1. qvia illi extraordinariè jejunarunt tot dies & noctes: Ergò ordinariè hoc nos nō tenemur facere. 2. Illi hoc semel fecerunt: Ergò nobis hoc annuatim faciendum non est. 3. Illi nihil tot dies & noctes comederunt. Pontificii verò satis comedunt. Polanus pag. mihi 820. Cl. Arnold. Lue. in Tenebr. de jejunio stato, & qvadragesimali. Scharp. de jejunio controvers. 2. Exhortatio. Ergò grassante aliqvo malo extraordinario jejunemus, qvia sic fecerunt olim pii, ut ex exemplis supra citatis patet.

LXXX. *Quid est jejunium?*

Est abstinentia, &c. ubi est. 1. genus: jejunium enim consistit in abstinentia à vitæ hujus adjumentis, ut cibo, potu. 2. Sam. 3. 35. & 12. 17. Somno. 2. Sam. 12. 16. Ester. 4. 16. Ioel. 1. 13. vestibus pretiosis. Dan. 9. 3. 2. Sam. 12. 20. cum v. 16. deliciis Esai. 22. 23. mutuo amplexu. Ioel. 2. 16. 1. Cor. 7. 5. l. 4. cas. c. 21. q. 1. r. 2. Refutatio. Ergò jejunium nō consistit in abstinentia à certis cibis, & præsertim à carnibus, ut patet ex. Colos. 2. 21. & 1. Tim. 4. 3. Obj. Pontif. 1. Dan. 1. 12. & 10. 3. Resp. Daniel & socii ejus pro carnibus non elegerunt cibos delicatos, ut Pontificii so-

703147

lent, sed cibum vilissimum, & aqvæ communis potum. Daniel & socii ejus non indixerant sibi jejunium, sed constituerant se non polluere cibis illis, qvi Israelitis vetiti erant. Daniel abstin ut ab omni cibo desiderabilium rerum, non ut eô iram Dei placaret, ut Pontificii volunt, sed ut paratiore animo ad Deum accederet. Daniel non statô & anniversario tempore, ut Pontificii, jejunavit, sed qvando Ecclesiæ calamitas seria ad Deum preces postulabat. Obj. 2. Matth. 3. 4. Resp. Ioannes Baptista pro carnibus non elegit pisces optimè paratos, & optimum vinum, ut Pontificii faciunt, Papistæ non imitantur Iohannem Baptistâ locustas & mel sylvestre totâ vitâ comedendo. Iejunent Pontificii, ut Iohannes Baptista totâ vitâ, & nos illis non invidebimus. Scharp. de jejunio controv. 1. Cl. Arnold. Lux. in ten. de jejunio. 2. fines. n. 1. ut sit signum humilitatis, seu resipiscentiæ. Esd. 9. 21. 2. ut sit medium & adminiculum precũ efficaciorum seu ferventiorum. 1. Sam. 7. 5. Esd. 10. 1. Observa. 1. Iejunium à cibo debet conjungi cum jejunio à peccato. Patet. 1. an ita sit. Ier. 36. 6. 7. Ioel. 2. 12. 13. Ion. 3. 8. 9. 2. cur ita sit. 1. qvia jejunii finis est humilitas seu resipiscentia, ut dictum. 2. qvia Deus jejunium hominum in peccatis perseverantium averfatur. Ier. 14. 12. 3. qvia jejunium à cibo sine jejunio à peccato inutile est. Esa. 58. 5. 6. 7. Zach. 7. 5. & seqq. Correctio. Ergò jejunium hypocriticum, cum abstinemus à cibo, sed non abstinemus à peccato, fugiendum est, qvia displicet Deo. Esa. 58. 3. 4. 5. 2. jejunium

verum etsi non sit causa meritoria liberationis à malo, est tamen utile medium malum tollendi. Patet. 1. an ita sit. Ioel. 2. 12. 13. 2. cur ita sit. 1. qvia jejunium per se est res adiaphora, id est, nec bona nec mala: Ergò nihil meretur. 2. qvia nullum bonum opus meretur aliqvid. Luc. 17. 10. 3. qvia est efficax medium & adminiculum ferventioris orationis, & signum seriæ resipiscentiæ, qvibus Deus ex sua gratia promisit liberationem à malo. Psal. 50. 15. Esa. 58. 7. 8. 4. qviaex sua gratia benefacit jejunantibus. Esd. 8. 23. Esa. 58. 8. Ioel. 2. 12. 13. cum 14—18. Ion. 3. 9. 10. Matth. 6. 17. 18. 5. qvia Deus præcipit. Ioel. 2. 12. Refutatio. Ergò errant Pontificii docentes jejunium mereri beneficia temporaria & æterna. Scharp. de jejunio controv. 1. Cl. Arnold. Lux in tenebr. de jejunio. Correctio. Ergò jejunium non est contemnendum, sed indictum à Magistratu, cum Deus singulari suo judicio ad id vocaverit, ab omnibus celebrandum. Lev. 23. 29. 2. Chron. 20. 13 Ierem. 36. 6. 9. Ioel. 1. 14. Amos. l. 4. cas. c. 21. q. 3.

LXXXI. *Iejunium estne opus bonum, pars obedientiæ nostræ erga Deum?*

Iejunium per se, id est, si non disponat nos ad preces efficaciores fundendas, non est opus bonum, & pars obedientiæ erga Deum; sed si disponat seu aptiores nos reddat ad preces ferventiores habendas, est opus bonum, & pars obedientiæ nostræ erga Deum: qvia, ut dictum th. 80. jejunii finis est ferventior oratio, a-

703147

tio, adeóqve jejunium est orationis ferventioris medium, & qvidem adiaphorum, adeóqve perse non bonum, sed propter finem. Estne ergò jejunium cultus Dei. Non, ut libr. 4. cas. c. 21. q. 2. resp. 1. 2. clarius dicetur. Patet. 1. an ita sit. 1. Sam. 7. 5. 2. cur ita sit. 1. qvia jejunium est medium & adminiculum cultûs Dei, seu ferventiorum precum, & signum resipiscentiæ, ut dictum. 2. qvia à Deo non est imperatum. Zach. 7. 5. Esa. 58. 5. Objicitur id qvod dicitur. Ioel. 2. 15. Indicite jejunium. Resp. Indicendum jejunium, ut adminiculum precũ ad Deũ, ut ex seqq. ibicẽ liqvet. Mox enim additur v. 16, 17. Colligite populum, &c. Adjoqvi & fletus esset cultus Dei, qvia dicitur fleant Sacerdotes. 3. qvia inter adjuncta cõvenientionis ad Deum & precationis aperte refertur. Ioel. 2. 12. 4. qvia regnum Dei non cõsistit in cibi & potus usu vel abstinentia, ut Paulus ait. Rom. 14. 17. 18. 5. qvia jejunium est per se res adiaphora, non necessaria per se, nec utilis nisi propter fines ad qvos respicit, ut satis docet exemplum Pharisæi superbi. Luc. 18. 12. Sic. Esa. 58. 5—7. Zach. 7. 5. 6. 6. qvia illius neglectum Christus in discipulis excusavit. Matth. 9. 14. 15. qvod Christus non fecisset, si jejunium cultus Dei fuisset. 7. qvia jejunium est corporalis exercitatio, qvæ ad pauca prodest. 1. Tim. 4. 8. 8. qvia jejunium versatur tantùm circà ea, qvibus farcitur caro. Coloss. 2. 23. Refutatio. Ergò errant Pontificii, docentes jejunium cultum Dei esse, non adminiculum Dei cultus, n. precationis, resipiscentiæ. Ames. l. 4. cas. c. 21. q. 4. resp. 5.

LXXXII.

LXXXII. *Idem jejunandi modus & tempus esne omnibus utile & necessarium?*

Non: qvia jejunium est medium & adminiculum precum ferventiorum: jam autem senes & infirmi si eo modo & tanto tempore jejunarent, qvam juvenes & firmi, ineptiores redderentur ad preces efficaciores habendas. Ames. l. 4 cas. c. 21. q. 1 resp. 4. Tempus jejunii non est ordinarium, sed extraordinarium. Matth. 9. 15 Marc. 12. 19. 20. Luc. 5. 34 35. qvod durat tam diù qvam diù malum extraordinariũ deprecandũ durat, & potest esse qvivis dies præter Dominicum. Modus jejunandi est. 1. externus, qvi consistit in abstinentia. 1. ab omni cibo & potu. 2. Sam. 3 35. 2. à somno Ioel. 1. 13. 3. à vestibus pretiosis. Esth. 5. 1. 4. ab hilarantibus deliciis. Esa. 22. 12. 13. adeóqve. 1. abstinendum est conjugibus, à mutuo amplexu. 1 Cor. 7. 5. 2. lugendum est. Neh. 1. 4. 3. flendum est. 1. Sam. 7. 6. 5. ab omni labore. Lev. 16. 29. 2. internus, qvi consistit. 1. in abstinentia à peccatis Esa. 58. 3. Zach. 7. 10. cum 5. 2. in exercitio bonorum operum. Esa. 58. 6. Zach. 7. 5 10. Nam jejunio conjungenda est. 1. oratio. Ioel. 2. 6. 7. 2. decantatio laudum Dei, lectio & auditio verbi Dei. Neh. 9. 1—5. 3. conversio ad Deum. Ioel. 2. 12. Ion. 3. 8. 4. charitas erga proximum. Esa. 58. 3—8. Zach. 7. 5. 9. Matth. 6. 16. Act. 10. 30.

LXXXIII. *Qvis est maximè religiosus seu pius jejunandi modus?*

In gene-

703147

In genere ille, qvo animus totus ita attentus est ad Deum qværendum, ut eo ipso avocetur ab illarum rerum cogitatione, & cura, qvæ spectant ad vitam præsentem: Ratio, qvia jejunii finis est, ut aptiores reddamur ad efficaciores preces habendas: qvod tunc fit, cum mens nostra avocatur à cura rerum mundanarum, & tota addicta est Deo curando. In specie autem ille est modus maximè religiosè jejunandi, qvem diximus: qvia ille avocat mentem nostram à cogitatione rerum mundanarum, & addicit eam totam Deo qværendo.

LXXXIV. *Quid est gratiarum actio?*

Est oratio, &c. id est, gratiarum actio est talis oratio, qvâ pro bonis qvæ accepimus vel habemus, non alios, sed Deum honoramus, laudamus. Ubi est 1. definitum, gratiarum actio, aliis gratitudo erga Deũ. 2. gratiarum actionis. 1. gen': oratio: nam oratio est petitio vel gratiarum actio: adeóqve definitio orationis gratiarum actioni convenit. 2. objectum: bona qvæ accepimus. 3. finis: ut honorem eorum Deo tribuamus. Observa ergò 1. DEO gratias agere, seu erga Deum grati esse, debemus. Non habebis Deos alienos, id est, vero Deo gratias agas. Ostendunt hoc etiam exempla gratias agentium erga Deum, ut Noe. Gen. 8. 20. servi Abrahami. 24. 26. 27. 48. Lev. 29. 33. Iacobi 32. 9, 10. 47. 31. Iosuæ Ios. 8. 30. Deboræ. Iud. 5. 1. 2. David. 2. Sam. 7. 18. 2. cur ita sit. 1. qvia Deus mãdat. Psal. 50. 15. 2. qvia multa bona nobis dedit. Psal. 30. 2. 3. 4. 3. qvia aliis bono exẽplo debemus esse. Correctio. Ergò damnãda est,

da est. 1. Blasphemia in Deum, cum qvis de Deo, à qvo tàm multa accepit beneficia, pugnantia cum ipsius natura & voluntate dicit sive ex ignorantia, sive ex odio veritatis & ipsius Dei. Blasphemia hæc in Deum est valde fugienda. Patet. 2. Ingratitudo erga Deum, qvæ est peccatum. 1. cum bona qvæ habemus, qvibus fruimur non referuntur Deo accepta, ut fecerunt Israelitæ. Hos. 2. 5. 8. 2. cũ qvis obliviscitur beneficiorum à Deo acceptorum. 3. cum qvis utitur Dei donis sine gratiarum actione. 4. cum qvis ex desidia dona Dei supprimit, & ad gloriam Dei aliorúmqve usum non impendit, ut servus ille, qvi talentum unum acceperat. Matth. 25. 25. 5. cum qvis negat, aut reprehendit opera & beneficia DEI. 6. cum qvis extenuat & parvi pendit opera & beneficia Dei, ut Israelitæ. Num. 11. 6. 7. cum qvis beneficia Dei pro maleficiis habet, ut Israelitæ. Num. 13. 32. Deut. 1. 27. 8. cum qvis res terrenas & viles præponit cœlestibus & eximiis, ut Israelitæ. Num. 11. 4. 5. 9. cũ qvis nõ est contentus eo, qvod Deus dat, & Deo qvid aut qvantum dare debeat præscribit. 10. cum qvis pro beneficiis acceptis, Deo maleficia reponit, ut Israelitæ.

Observa. Hæc erga Deum ingratitudo est studiosissime fugienda. Patet. 1. an ita sit. Deut. 4. 23. Ne obliviscamini, &c. id est, ne sitis ingrati erga Deum. Sic. 6. 12 & 8. 11. 2. cur ita sit, 1. qvia Deus eam damnat in Saule. 1. Sam. 15. 17. 18, 19. in Salamone. 1. Reg. 11. 9, in Israelitis, Esa. 1, 2, 3, in novem leprosis à Christo sanatis, Luc. 17, 17, 18, 2.

703147

2. qvia causa est, & gloria DEI, ut Christus Dominus discedat ab ingratis, Ezeh. 11. 22. 23. Ioh. 11. 53. 54. 3. qvia pœnas accersit temporales & æternas: qvales sunt amissio commodorum corporalium. Hos. 2. 9—13. præsentissimus interitus. Num. 14. 35—37. abjectio in tenebras extremas. Matth. 25. 30. Dehortatio. Ne simus ergò ingrati erga Deum, id est, bona, qvæ habemus, ne aliis accepta feramus, &c. 3. Hypocritica gratiarum actio erga Deum, cum qvis gratias qvidem Deo agit pro bonis, qvæ habet, aut se habere jactat, sed aut nõ fert accepta Deo, aut non soli; aut etiamsi fateatur se illa à Deo habere, tamen fiduciam in illis collocat coram Deo, & alios homines despicit. Talis fuit gratiarum actio Pharisæi. Luc. 18. 11. 12. 4. Falsa gratiarum actio ad Deum, qvæ pro gratiarum actione Deo exhibita habetur, cum non sit: ut Papistæ salutationem. Luc. 1. 28. fingunt esse gratiarum actionem, qvâ Deum laudent, qvod Mariam omnium cœlestium munere comulaverit, ipsiqve Mariæ gratulentur illam fœlicitatem. ut habet Catechesis Romana. Nota. 1. Salutatio illa Angelica non est gratiarum actio: qvia est salutatio, ut expresse dicitur. Luc. 1. 29. Salutatio autem est exoptatio salutis. 2. Maria jam in cœlo triumphans non est amplius salutatione illa Angelica compellanda. 1. qvia Angelus illam salutans & dicens, Ave Maria, &c. pro ea oravit, ut Deus eam gaudio & pace comularet. Tali oratione pro se Maria amplius non indiget. 2. qvia qvi Mariam adhuc salutant innuunt, eam nondùm æternæ beatitudinis

nis gaudio & visione Dei frui. 3. qvia injuriam facit Martyri, qvi orat pro Martyre, ut dicit Innocentius tertius Romanus Pontifex in Decretalibus Gregorii. l. 3. tit. 41. de celebratione Missarum: Ergò Papistæ etiam injuriam faciunt Mariæ, qvod pro ea orent.

LXXXV. *Gratiarum actio estne oratio?*

Sic. Patet. 1. an ita sit. Philip. 4. 6. ubi gratiarum actio perinde ac petitio, precatio seu oratio dicitur. Sic. Psal. 50. 15. ubi orantium officium dicitur esse invocare, seu petere, & honore afficere, seu gratias agere. 2. cur ita sit: qvia definitio orationis gratiarum actioni convenit: gratiarum actio enim est voluntatis nostræ religiosa repræsentatio coram Deo, ut illa Deus qvasi afficiatur & commoveatur, ut scilicet accipiat à nobis oblatam gratiarum actionem. Sicut petitio erat repræsentatio voluntatis nostræ coram Deo, ut ea Deus qvasi commoveatur, ut scilicet det nobis aliqvid, adeóq; ab ipso accipiamus aliqvid. Correctio. Ergò damnandi sunt, qvi praxi suâ solum petitionẽ confitentur esse orationem, semper enim petunt, sed gratias nunqvam agunt.

LXXXVI. *Pro quibus rebus debemus Deo gratias agere?*

Maximè propriè pro iis qvæ accepimus. Patet. 1. an ita sit. Psal. 50. 15. ubi pro liberatione jubemur gratias agere. Sic Non habebis Deos alienos, id est, vero Deo gratias pro acceptis agas. 2. cur ita sit. 1. qvia fine

703147

sensu beneficii accepti non possumus Deo gratias agere: qvia sens. beneficii accepti impellit nos ad Deo gratias agendum, ut exempla gratias agentium testantur. 2. qvia petitio est oratio de eo qvod deest: Ergò gratiarum actio est oratio de iis qvæ habemus. 3. qvia Deus pro collatis beneficiis jubet, ut grati simus erga eum. Informatio habetur. th. 89. Deinde non tenemur gratias agere Deo pro nihilo. Exhortatio. Ergò gratias agamus DEO pro omnibus, qvia omnia accepimus à Deo, ut esse, bene esse.

LXXXVII. Objectio præocc. Gratiarum actio est etiam de iis, qvæ credimus & speramus, non est de iis, qvæ accepimus, qvia illa credimus & speramus, qvæ Deus promisit, qvæ accipienda sunt, non accepta. Ergò gratiarum actio est de iis qvæ accepimus. Resp. Assiptio negatur: probatio falsa: 1. qvia ipsa promissio rerum creditarum & speratarum est beneficium, qvod aliqvo modo jam dicitur cōferri. 2. qvia res ipsæ promissæ cum illa certitudine apprehenduntur, ut afficiant animum tanqvam res præsentes.

LXXVIII. Obj. præocc: Prædicare de Deo attributa, ut cū dicimus, Deus sanctus, omnipotens, justus, misericors, &c. est gratiarum actio. Apoc. 4. 8. 9. ubi qvatuor animalia, Deum sanctum, omnipotentem dicentes esse, dicuntur Deo gratias agere: At prædicatio de DEO attributorū nō est de iis, qvæ accepimus, qvia attributa DEI non accepimus: Ergò non omnis gratiarum actio est de iis, qvæ accepimus. Resp. Assump. negatur, qvia etsi attributa Dei.

Dei non accepiamus; tamen eorum effecta accipimus, n. liberationem à malo, & collationem boni.

LXXXIX. *Quæ requiruntur ad gratiarum actionem rectè instituendam?*

1. Cognitio benedictionum Dei, qvâ remissionem peccatorum, salutem, Dei beneficia esse agnosco. 2. Applicatio eatum ad nos per fidem & spem, qvâ remissionem peccatorum, salutem mihi à Deo datam esse credo, & porrò dandam esse spero. 3. justa illarum æstimatio una cum affectu congruente, qvâ scilicet remissionem peccetorum magni æstimo, & pro illa, bono affectu suum erga Deum. Vel, ut alii habent, partes gratiarum actionis sunt. 1. Recordatio operum DEI, cum nobis & aliis subinde in memoriam revocamus opera DEI, & beneficia qvæ ab æterno ad hoc tempus fecit, & deinceps faciet in æternum, ita ut gratam eorum memoriam observatione mandatorum Dei ostendamus. Observa ergo, 1. Primum gratias Deo agentium officium est operum & beneficiorum Dei recordari. Patet. 1. an ita fit. Iohan. 5. 14. Ecce sanus factus es, ne pecca amplius, id est, retine semper in memoria beneficium sanationis, qvod à Deo accepisti, & gratum animum declara fugiendo peccata in posterum. 2. cur ita fit: qvia præcipitur, Deut. 8. 18. Psal. 105. 5. Correctio. Ergò damnanda est. 1. oblivio Dei & operum ejus, qvâ peccant. 1. qvi prorsus memoriam Dei & operum ejus deposuerunt. 2. qvi non memi-

703147

neruntfructuosè, ut officio præstando re ipsa doceant se DEI & operum ejus meminisse: Qvalis oblivio prohibetur. Deut. 4. 23. & 6. 12. & 8. 11. Psal. 87. 7. 103. 2. & damnatur in Israelitis contumacibus. Deut. 23. 18. Psal. 78. & 11. & 106. 21. Israelitæ obliti dicuntur & operum ejus, non qvod nullam Dei & operum ejus memoriam retinerent, sed qvia non ita meminerant, ut oportuit, qvia legem DEI multis modis violaverunt. 2. Hypocritica recordatio Dei, qvalem exprobat Esaias Israelitis c. 48. 1. 2. 2. Parentes liberis, seniores junioribus opera & beneficia Dei commemorare debent. Patet, 1. an ita fit, Gen. 18. 19. 2. cur ita fit. 1. qvia Deus id jubet. Exod. 13. 2. qvia id alii qvoqve fideles fecerunt, qvod commendatur. Psal. 44. 2. & 78. 1. & seqq. 3. qvia parentes sunt custodes Decalogi. Correctio. Damnandi sunt majores hoc officium negligentes. 2. Meditatio seu consideratio operum Dei, cum interdiu & noctu magnitudinem operum, beneficiorum, judiciorum Dei consideramus, admiramur, & Dei in illis sapientiam, voluntatem, bonitatem, misericordiam, justitiam, potentiam, &c. contemplamur, magis magisqve agnoscimus, ad accendendum augendumqve in nobis amorem in Deum tàm munificum benefactorem. Observa ergò. Secundum gratias Deo agentium officium est opera & beneficia Dei considerare. Patet. 1. an ita sit. Psal. 48. 10. Sic. Psal. 16. 7. 2. cur ita sit. 1. qvia præcipitur. Hos. 14 v. ult. 2. qvia damnatur, qvi considerationem hanc negligit. Psal. 107. 43. 3. qvia hoc svadent axem-

exempla sanctorum, ut Davidis. Psal. 8. toto. Curatorum surdi. Marc 7. 37. turbæ. Matth 9. 8. 33. Correctio. Ergò damnandus est operum Dei neglectus, qvi certas pœnas attrahit. Ier. 12. 11. 13. 3. Recta æstimatio operum Dei, cum omnia qvæ Deus facit, approbamus qvod bona sint, adeóqve nobis placere sinimus, nosqve minores & indignos omnibus ejus beneficiis serio agnoscimus & ingenuè profitemur. Observa ergò. Tertium Deo gratias agentium officium est rectè æstimare opera Dei. Patet an ita sit ex exemplis sanctorum, Iacobi. Gen. 32. 9. 10. Davidis. 2. Sam. 7. 18. & Psal. 8. toto. & 119. 71. Fautorum surdi. Marc. 7. 37. Exhortatio. Si ergo grati voluerimus esse erga Deum, rectè opera ejus æstimemus, id est, omnia qvæ Deus facit approbemus, qvod bona sint, ut illi. Marc. 7. 37. iisqve nos indignos confiteamur, ut Iacob. Gen. 32. 9. 10. adeóqve etiam judicia Dei, providentiam ipsius & gubernationem tempestatum, serenitatis, pluviarum, bellorum, valetudinis nostræ, &c. ut David. Psal. 119. 71. 4. Celebratio Dei, cum Deum in omnibus operibus ipsius laudamus, & beneficia ab ipso accepta commemoramus; & alios ad videnda, cognoscenda, considerandaopera Dei, & laudandum ipsum cohortamur. Fit autem celebratio Dei tùm animo: tùm verbis, qvum per nos ipsos Deum laudamus, & alios ad eum nobiscum laudandum exhortamur; sive id fiat cantu, sive simplici pronunciatione absqve cantu, Exod. 15. 1. Psal. 35. 3. id est, qvod non senescit, sed perpetuò durat in Ecclesia, qvasi renovatum in dies aliis hy-

703147

in Ecclesia, qvasi renovatum in dies aliis hymnis & canticis, secundum occasiones qvas Deus nobis suppeditat veluti singulis momentis ad celebrandam bonitatem suam. Tùm factis, qvum tota vita nostra composita est ad glorificandum Deum. Inter alia facta qvibus gratitudinem erga Deum declaramus est & hoc, qvum ad conservandum & propagandum purum cultum Dei è bonis & facultatibus nobis divinitus concessis impendimus pro viribus: qvo pertinet hortatio. Prov. 3. v. 9. Honora Iehovam de substantia tua, & de præcipuo totius proventus tui. Hinc decimæ à Deo ordinatæ fuerunt ad alendos Sacerdotes & Levitas, itē oblationes variæ. Præter illas fuerunt oblationes extraordinariæ, sed voluntariæ, qvarum exempla sunt. Exod. 35. & 1. Chron. 29. Huic parti pietatis facta est singulatis promissio. Prov. 3. v. 10. Observa ergo. 1. Qvantum Deo gratias agentium officium est Deum celebrare. Patet. 1. an ita sit. 1. Chron. 29. 10. & seqq. Sic. Psal. 9. 2. & 30. & 33. & 34. & 66. toto. 2. cur ita sit. 1. qvia præcipitur. Psal. 46. 9. 10. & 47. toto. 2. qvia est signum reverentium Dei. Psal 64. 10. 3. qvia hoc svadent tùm attributa Dei, tùm opera ejus, ut docent David. Psal. 33. & 111. 112. & 117. & 135. 136. 145. Maria. Luc. 1. 46. & seqq. Zacharias. Luc. 1. 68. & seqq. Paulus. Eph. 1. 3. & seqq. Colos. 1. 12. & seqq. Exhortatio. Si velimus rectè gratias agere Deo, Deum celebremus, id est, Deum in omnibus operibus suis laudemus; & alios ad ipsum laudandum inducamus, exemplo Davidis, idqve tùm verbis

peres, sed & ditissimi qvoqve celebrare seu glorificare, & laudare debent. Patet. 1. an ita sit. Psal. 64. 10. 2. cur ita sit. 1. qvia ad id hortatur eos David. Psal. 29. 1. 2. 2. qvia Dei opera id reqvirunt. Psal. 29. toto & 33. 3. qvia celebratio decet rectos. Psal. 33. 1. 4. qvia est bona celebratio Dei. Psal. 92. 1. 5. qvia verbum Dei est rectū. Psal. 33. 4. Correctio. Damnandi ergo sunt Principes, Reges, divites, qvos pudet se Deo subjicere, & eum saltem in cœtu pauperum celebrare.

XC. *Quis est proprius gratiarum actionis finis?*

Finis, &c, hoc est, ideò agimus Deo gratias, ut propter bona, qvæ accepimus, & habemus, Deum laudemus, honoremus. Patet. 1. an ita sit. Psal. 50. 15. 2. cur ita sit: Si enim &c. hoc est, qvia non agimus Deo gratias. 1. Si in bonis hæreat mens nostra, & de illis datis ad Deum dantem non ascendat. 2. Si illa qvæ habemus nostræ potentiæ, industriæ tribuamus, & ob illa nosmet ipsos adoremus. 3. si bona qvæ habemus tantùm causis secundis adscribamus, & ob illa illis litemus, sacrificemus. Additur, tantùm: qvia bona qvæ accepimus, & habemus post Deum etiam hominibus & aliis creaturis possumus tribuere: qvia Deus bona sua communicat nobis mediātibus illis. Hinc absurdus est discipulus, alumnus dicens: Præceptori, Patrono, eruditionem & promotionem meam non adscribo, cum Deus illorum operâ uti dignatus, vult ut & illis adscribas. In formatio habetur. th. 91.

XCI.

703147

XCI. *Quis est secundarius finis petitionis omnis religiosæ?*

Gratiarum actio est secundarius finis petitionis omnis religiosæ, id est, secundario ideo petimus aliqvid à Deo, ut pro illo accepto, DEO gratias agamus. Additur, secundarius: qvia primarius finis petitionis religiosæ omnis est impetratio eorum, qvæ petimus, ut dictum supra, th. 57. Patet responsio. 1. an ita sit. Psal. 7. 18. & 51. 16. 2. cur ita sit. 1. qvia finis proprius gratiarum actionis est honorem Deo tribuere eorum, qvæ accepimus, ut dictum, th. 90. 2. qvia qui rectè aliqvid petit à Deo, non idcircò tantùm petit. 1. ut accipiat. 2. ut in voluptates insumat, hunc enim finem petitionis damnat Iacobus c. 4. 3. Sed. 3. ut pro acceptis Deo gratias agamus: hunc vult esse finem petitionis Paulus. 2. Cor. 1. 11. Informationes habentur. th. 92. 94. 3. qvia Deus vult nobis darè id, qvod petimus sub conditione gratiarū actionis. Psal. 50. 15.

XCII. *In omni petitione promittimusne Deo gratiarum actionem?*

In omni petitione promittimus Deo gratiarum actionem de illo bono, qvod petimus vel expressè, ut David. Psal. 51. 16. & Christus in oratione Dominica, & tua est gloria; vel implicitè, ut Daniel c. 9. Ratio, qvia finis secundarius petitionis est gratiarum actio, ut dictum. th. 91. Mentitur ergò Deo, qvi pro bonis petitis acceptis gratias non agit.

XCIII.

XCIII. *Gratiarum actio estne in se se nobilior & perfectior, qvam petitio?*

Sic. 1. qvia finis secundarius petitionis est gratiarum actio: ut dictum. th. 91. finis autē nobilior est medio ad finem. 2. qvia in petitione sæpè bonum nostrum spectatur, petimus enim bonum à Deo, ut impetremus nobis; sed in gratiarum actione Dei honor tantùm, gratias enim agimus, ut eorum honor qvæ accepimus Deo tribuatur. Additur sæpè qvia aliqvando in petitione etiam spectatur bonum Dei, ut cum petimus illa, qvæ pertinent ad gloriam Dei, ut dictum supra. 3. qvia beatiùs, id est, nobiliùs, perfectius est dare, qvam accipere: At petitione accipimus à Deo, gratiarum actione damus Deo. Exhortatio. Ergò amemus petere, sed magis gratias agere.

XCIV. *Angelis & spiritibus beatis magis tribuitne scriptura gratiarum actionem, quàm petitionem?*

Sic. Patet, 1. an ita sit. Esa. 6. 3. Apoc. 7. 12. & 4. 19. 11. 2. cur ita sit. 1. qvia finis secundarius petitionis est gratiarum actio: ut dictum. th. 91. jam autem finis magis convenit beatis, qvia illi jam impetrarunt, qvod petiverunt, medium verò magis convenit viatoribus. 3. qvia nō assequūtur perfectè qvod petūt. 2. qvia gratiarum actio perfectior & nobilior est in se qvàm petitio, ut dictum: Ergò magis

conve-

703147

convenit Angelis & spiritibus beatis. Ratio consequentiæ, quia illi sunt nobiliores & perfectiores Spiritus, quam spiritus viatorum. 3. quia Angeli & Sp. beati magis spectant bonum Dei, quàm bonum suum, habent enim bonum suum: Ergò gratiarum actio magis convenit Angelis, Spiritibus beatis, quàm petitio. Ratio consequentiæ, quia in petitione bonum nostrum etiam, sed in gratiarum actione tantùm bonum Dei spectatur. Additur magis: quia minùs & Angelis, & Spiritibus beatis, convenit petitio. Apoc. 6, 10. & alibi.

XCV. *Qui vocatur alias gratiarum actio?*

Per istum actum, &c. id est, gratias agere Deo alias est Deum laudare, celebrare, extollere, benedicere, magnificare, glorificare, &c. Obj. præoce: Si gratias agentes Deo, eum laudare, celebrare, &c. dicimur, tùm gratias agentes Deo, eum ex non laudato laudatum, ex non celebrato celebratum, ex humili elatum, ex non benedicto benedictum, ex parvo magnum, ex non glorioso gloriosum efficimus: At hoc falsum: Ergò & illud. Resp. Conseq. negatur: quia gratias agentes DEO, dicimur eum laudare, celebrare, extollere, &c. non effectivè, ut voces istæ sonant, quia nos nihil boni possumus Deo dare; sed declarativè, quatenus eum in se laudatum, celebratum, elatum, benedictum, magnificatum, glorificatum corde agnoscimus, verbis prædicamus, factis ostendimus, ut dictum supra, c. 7. 14. & lib. 1, c. 29. 9.

XCVI.

XCVI. *Qualis debet esse gratiarum actio?*

Gratiarum actio solennis, seu præcipua, & extraordinaria debet aliquando peragi cum hilari solennitate; seu pompâ, qualis est convivium, cantus, tympanum, cithara, buccina, &c. Additur: 1. Solennis, quia ordinaria & quotidiana gratiarum actio, non requirit pompam solennem. 2. Aliquando: quia & gratiarum actio solennis sine hilari pompa potuit olim, & potest hodiè salutariter peragi. Patet. 1. an ita sit ex exemplo Iudæorum, Esth. c. 9. 19. Sic. Neh. 12. 24. 43. 2. Chron. 30. 21. & seqq. 2. cur ita sit. 1. Sicut enim, &c. id est, quia sicut in deprecatione gravioris seu extraordinarii mali, ut pestis, famis, belli, jejunium, seu abstinentia à cibo, potu, convivio, musica, &c. animi nostri tristitiam majorem reddit: Sic in solenni gratiarum actione pro singulari bono communicato, ut liberatione à peste, fame, bello, moderata hilaritas externa, ut convivii, cantus, musica, animi nostri lætitiam reddit majorem. 2. quia præcipitur. Lev. 23. 40. Psal. 81. 3. 4. 3. Quia tristitia tempore gratiarum actionis prohibetur. Nehem. 8. 11. quia hilaris solennitas, seu ceremonia & pompa, ut convivium, musica, &c. tantùm tempore jejunii damnatur. Esa. 22. 12. 13. 5. Quia gratiarum actio ponitur pro lætitia, quia ob præcepta Dei beneficia solemus cum lætitia ei gratias agere. Vide Psal. 92. 6. collatis cum v. superioribus, & 147. Hinc gratiarum actio dicitur inveniri in civitate, cum describitur ingens lætitia

703147

tia propter beneficia, qvæ Deus contulit. Esa. 51.3. Exhortatio. Ergò cum pro singulari bono accepto solennes gratias agimus : ne tristemur, ut volebant Iudæi aliqvando ; sed lætemur, edamus temperanter & bibamus, alios cibemus, potemus, ut sancti olim. Ne damnemus eos, qvi tunc lætantur, ut Mical. Davidem. 2. Sam. 6. 20.

XCVII. *Mala pœnæ, seu afflictiones, debemusne à Deo petere, vel ei pro iis gratias agere?*

Mala pœnæ, qva mala sunt, nec petere, nec pro iis gratias agere debemus, qvia sic illa naturam nostram destruunt, salutem impediunt ; sed pœnæ mala, qva sunt bona & petere, & pro iis gratias agere debemus, qvia sic illa salutem nostram promovent. Rom. 8. 28. Nos enim Deo adhærere faciunt, seu mites & patientes reddunt. Additur mala pœnæ, qvia mala culpæ nec unqvam petenda ; nec unqvam pro iis gratiæ agendæ, qvia hoc esset Deum tentare. Observa ergo. Qvamvis afflictiones per se, seu qvatenus nobis nocent, nec apprecandæ à Deo, nec pro iis ei gratiæ agendæ sint, tamen per accidens, seu qvatenùs nobis per directionem Dei prosunt, & apprecandæ & pro iis gratiæ agendæ sunt. Patet. 1. an ita sit. Iob. c. 1. 21. Psal. 119. 71. Ier. 10. 24. 2. Cur ita sit. 1. qvoad primum membrum. 1. Qvia mala sunt deprecanda. 2. Qvia pro deprecandis Deo gratias agens in Deum insultat, sicut filius, qvi percussus parenti percutienti dicit, benè, perge, & ridet ac lætatur, 2. qvoad secundùm membrum. 1. qvia bona sunt apprecanda. 2. qvia pro solis apprecatis & apprecandis sunt gratiæ agendæ. Admonitio. Ergò. 1. Ne murmuremus sub afflictionibus. 2. Afflictiones non tantùm deprecemur ; sed etiam apprecemur, ut Ieremias c. 10. 24. 3. pro afflictionibus Deo gratias agamus, ut Iobus c. 1. 21. David, Aharon.

CAPUT X.

De Iuramento.

ANALYSIS.

IUramentum explicatur. I. Ab exordio, ubi juramenti & sortis indicatur. 1 genus : nempe modus petitionis ex occasione, seu extraordinariè adhibendus. 2. causa : nimirum infirmitas humana, qvâ homo homini non credit & credit, th. 1. 3. modus iis utendi, th. 2. II. A definitione, th. 3. III. A tempore, qvo juramentum necessarium factum est. Factum est enim juramentum necessariù post lapsum ; homo enim per lapsum tàm infirmus factus est, ut nec illi alius, nec ipse alii credat, th. 4. cujus infirmitatis indicatur qvantitas, th. 5. qvæ ab objectione liberatur, th. 6. IV. A ratione definitionis, cur scil. in juramento testimonium Dei petatur ad veritatem nostri testimonii confirmandam, th. 7. qvæ duo consectaria suppeditat, th. 8. 9. qvorum primum ab objectione liberatur, th. 10. V. A proprietate jurantis, seu testimonium Dei petentis, vel ab objecto cum testimonio Dei saltem implicitè

703147

plicitè petendo. th. 11. ex qva qvatuor consectaria colliguntur, unum, thesi eadem, reliqvatria. th. 12. 13. 14. VI. A distinctione in assertorium vel promissorium. th. 15. ubi. 1. de juramento assertorio: qvod explicatur. 1. à descriptione, th. 16. 2. à fine vel proprietate. th. 17. 3. à causa assertorii juramenti verũ reddente. th. 18. 2. de juramento promissorio; qvod explicatur. 1. à descriptione. th. 16. 2. à fine, vel proprietate, nempe obligatione ad faciendum, cujus obligationis indicatur modus. th. 20. 3. à casibus qvatuor, in quibus obligat & non obligat juramentum promissorum ad implctionem. th. 21. 24. VII. A commendatione. th. 25. qvæ ab objectionibus liberatur. th. 26. 27. VIII. A formula nõ jurandi. th. 28. IX. A modo juramenta intelligendi, interpretandi. th. 29. X. Ab opposito, n. perjurio & perjuro. th. 30. XI. A juramenti liciti etiam latronibus facti obligatione. th. 31. qvod ab objectione liberatur. th. 32. XII. A personis, à qvibus exigere juramentum non licet. th. 33. XIII. Ab idololatris, à qvibus petere juramentum per se non est peccatum. th. 34. XIV. A commendatione juramenti purgationis. th. 35. XV. A juramenti simplicis obligationis qvantitate. th. 36. XVI. A juramenti solennis rituum cõvenientia. th. 37. & secundi ritus, n. positionis manus sub fœmore juramentum exigentis significato. th. 38. XVII. Ab adjuratione; qvæ explicatur. 1. à definitione. th. 39. 2. à subjectis, qvibus proprie convenit. th. 40. 3. à non objectis, th. 41—43. 4. à finibus illicitis, th. 44. 45.

EX-

EXPLICATIO.

I. *Quot sunt modi petendi ab infirmitate humana orti?*

Duo: juramentum & sors: Duplex enim est modus aliqvid à Deo petendi. 1. ordinarius, qvo qvotidiè aliqvid boni à Deo petimus: qui petendi modus fuit etiam ante lapsum; qvia & tunc bonum omne oratione, & labore debebamus à Deo obtinere. 2. extraordinarius, qvo aliqvando duo à Deo petimus: ut sit testis eorum qvæ dicimus vel promittimus; &, ut sortem nostram dirigat, & per eam qvid velit ostendat & testetur: qvi petendi modus efficitur post lapsum, ab infirmitate humana, qvâ homo homini in dicendo, promittendo; dividendo, eligendo, non potest credere, nisi præmisso juramento & sorte.

II. *Quomodo utendum est juramento?*

Non ordinariè, ut pane, vino; sed extraordinarie, ut medicinâ, cum scil. necessitas humana flagitat, & gravis ac justa causa urget, id est, cum secùs inter homines orta controversia decidi neqvit, & alter alteri non credit. Ratio, qvia juramentum & sortem infirmitas humana, qvâ alter alteri discredit; introduxit, ut dictum. Observa ergo: juramento utendum est non ordinariè, cum nulla necessitas postulat; sed extraordinariè, cum magna necessitas urget. Patet. 1. an ita sit. Exod. 22, 7. Sic.

703147

Lev. 5. 4. 2. Cur ita sit. 1. qvia juramentum introduxit necessitas humanæ infirmitatis, qvâ alter alteri non credit, ut dictum. 2. qvia juramentum non est in bonis per se appetendis, sed in necessariis, qvia qværitur ad subveniendum defectui, qvo alter alteri non credit, sicut medicina, qvæ qværitur ad subveniendum infirmitati: Ergò illud usurpare non poteris, nisi necessitas cogat. 3. qvia nomen Dei assumere licet tantùm propter causam necessariam, gravem & justam. Exod. 20. 7. Refutatio. Ergò errant scholastici contra sentientes, ut vides in Thoma 2. 2. q. 89. art. 5. Dehortatio. Ergò ne juremus temere ob causam nullam, vel injustam. 1. Qvia juramentum temerarium damnatur citatis locis, &. Matth. 5. 34. 37. Iac. 5. 12. 2. Qvia impii solent jurare temerè, ut Saul. 1. Sam. 14. 25. 40. 45. & omnes assidui juratores. 3. Qvia pii nonnisi ob necessarias, graves & justas causas jurant, diligenter sibi caventes, ne subinde ex levi causa in juramentum erumpant: unde denotantur per eos, qvi juramentum reverentur. Eccl. 9. 2. Sicut per jurantem intelligitur vir impius, ibidem.

III. Quid est juramentum?

Est petitio, &c. ubi est juramenti. 1. genus, n. petitio, & ejus objectum, n. testimonium Dei. 2. finis, n. confirmatio veritatis verborum nostrorum. Iuramentum ergò est petitio, &c. hoc est, juramentum est oratio, qvâ petimus, ut Deus sit testis eorum, qvæ asserimus, seu dicimus, vel promittimus, ut illi qvibus asserimus, vel

vel promittimus, propter interjectum Dei nomen, de veritate nostrorum verborum ne dubitent, sicqve controversia de aliqva re inter eos orta, finiatur. Hebr. 6. 13. Homines, per eum jurant, qvi major est, hoc est, homines Deum petunt, ut sit testis eorum, qvæ asserunt vel promittunt v. 16. Atqve iisdem omnis controversiæ terminus est jus jurandum ad confirmationem adhibitum, hoc est, ideò petimus Deum, ut sit testis eorum, qvæ dicimus vel promittimus, ut illi qvibus dicimus aliqvid, vel promittimus, propter Deum qvem petimus, ut sit testis noster, credant assertioni & promissioni nostræ, sicqve controversia inter eos dirimatur. Obj. Iurare est Deum in testem vocare: Ergò utens testimonio scripturæ jurat. Ratio consequentiæ, qvia uti testimonio scripturæ, est Deum in testem vocare: At hoc falsum: Ergò & illud. Resp. Conseq. negatur: qvia aliud est testimonio Dei uti jam dato, qvod fit, cum qvis testimonium scripturæ inducit: & aliud testimonium implorare, ut exhibendum, qvod fit in juramento. Thom. 2. 2. q. 89. art. 1. Observa ergo. 1. Iuramentum est oratio. Patet. 1. an ita sit. Deut. 6. 13. ubi jurare per nomen Dei, est orare Deum, ut sit testis noster. Sic. Deut. 10. 20. 21. Heb. 6. 13. 2. Cur ita sit, qvia est petitio testimonii Dei: At petitio est prima orationis species, ut dictum c. 9. th. 56. 2. quia est voluntatis nostræ coram DEO religiosa repræsentatio. Correctio. Ergò peccat, qvi gloria Dei & proximi utilitate postulante juramentum, spontaneum, vel delatum; judiciale, vel extra judiciale, recusat.

703147

2. Iuramentum est res valdè utilis & necessaria. Patet. 1. an ita sit. Hebr. 6. 16. ubi iuramentum finire dicitur controversiam inter litigantes, qvod est valdè utile nobis & necessarium. 2. Cur ita sit. 1. qvia iuramentum est medium. 1. confirmans rem ita esse prout dicimus. Exemplum est Ioseph. Gen. 42. 15. 16. David. 1. Samuel. 20. 3. Ioab. 2. Sam. 19. 7. Angelus. Dan. 12. 7. Apoc. 10. 5. 6. Hebr. 6. 17. 18. adeóqve est medium. 1. lites dirimens, ut dictum. 2. ratum faciens alicui tùm id, qvod ei vendimus, nam juramento rem venditam emptori ratam faciunt venditores. Gen. 25. 33. tùm id qvod ei promittimus. Exemplum servus Abrahæ Gen. 24. 2. 3. 9. 37. Ioseph. 47. 29. 30. 31. Moses. Ios. 14. 9. Exploratores Ios. 2. 12. David. 1. Sam. 24. 12, 23. Saul. 1. Sam. 28. 10. Godolias. 2. Reg. 25. 24. Sedecias. 28. 16. Herodes. Matth. 14. 7. 9. 3. inferiorum fidelitatem erga superiores indubitatam reddens. 2. Chron. 36. 13. Ezech. 17. 13. 4. fœdus sanciens, & inviolabile declarans. Exemplum Abrahæ & Abimelech. Gen. 22. 22. 23. 31. Labæ & Iacob. 31. 53. Ionathæ & David. 1. Sam. 20. 3. 16. 17. 42. Deus & Ecclesia. Deut. 29. 12——14. 2. obstringens nos. 1. ad aliqvid præstandum, qvo referri possunt loca, qvæ habentur. 1. Reg. 1. 51. Nehem. 13. 25. & exempla Abrahami. Gen. 14. 22. 23. Iud. 11. 31. 35. 36. Salomonis. 1. Reg. 2. 33. Semei. v. 42. 2. ad rem, de qva interrogamur verè eloqvendam, qvo fine juramentum reis deferri solet super crimine, de qvo accusantur. Exod. 22. 8. 11. Num.

Num. 5. 19. 20. 21. 1. Reg. 8. 31. 2. qvia ob dictos fines & Deus juravit. Gen. 22. 16. & 24. 7. Exod. 3. 8. Hebr. 6. 13. 17. & Paulus. Rom. 1. 9. 2. Cor. 1. 23. & 11. 31. Philip. 1. 8. 3. qvia juramentum est vinculum veritatis inter homines. Exod. 22. 11. Hebr. 6. 16. Correctio. Ergò peccant, qvi juramentum in societate humana non servant, vel servari curant, ut Pontificii, qvi hodiè juramento pro stratagemate bellico abuti consveverunt, & fidem hæreticis non servandam esse clamant.

LV. *Iuramentum quando factum est necessarium?*

Iuramentum factum est necessarium post lapsum generis humani. Patet. 1. an ita sit. Hebr. 6. 16. ubi juramentum finis dicitur esse omnis controversiæ: At controversia inter homines orta est post lapsum: Ergò juramentum post lapsum factum est necessarium. 2. cur ita sit. 1. Qvia juramentum humana infirmitas, qva homo homini discredit, introduxit, ut dictum. th. 1. At ante lapsum talis humana infirmitas non fuit: Ergò juramentum necessarium factum est post lapsum. 2. Qvia homo per lapsum perdidit fidem tùm illam, qvam alii testimonio ejus simplici adhibere debebant, tùm illam qvam ille aliorum simplici testimonio, seu nudæ assertioni, & promissioni debebat adhibere: Ergò juramentum factum est necessarium post lapsum. Refutatio. Ergò ante lapsum juramentum necessarium non fuisset, nec ullus unqvam jurasset. Exhortatio. Ergò dùm juramus recordemur nostri

703147

stri lapsûs, & illinc ortæ infirmitatis noſtræ, qvâ mutuò de veritate noſtrorum verborum dubitamus: adeóqve meminerimus, qvales ante lapsum fuerimus, & qvales poſt lapsum simus: tunc alii credebant tibi & aliis; ſed nunc nec alii credunt tibi, nec tu aliis, niſi juretur.

V. *Quanta eſt infirmitas humana, qvâ alter alteri non credit?*

Maxima. Patet. 1. an ita ſit. Luc. 24. 25. Sic. Gal. 3. 1, 3. 2. Cur ita ſit. 1. Qvia nec Dei ipſius verbis credimus ſine juramento ejus, qvia verba ſua neceſſe habuit juramento confirmare, Hebr. 6. 13. Gen. 22. 16. Exod. 6. 8. Deut. 1. 8. Hebr. 3. 11. 18. Obj. præocc. Deus exabundanti confirmavit verba ſua juramento. Hebr. 6. 17. Ergò non ex neceſſitate: adeóqve jurare non debuiſſet, qvia ut dictum, cum juramentum non ſit in bonis per ſe appetendis, ſed in neceſſariis, uſurpare ſine neceſſitate non potuiſſet. Reſp. Conſeq. negatur: qvia licet Deus verba ſua confirmaverit reſpectu fidelitatis ſuæ ex abundāti, ſeu ſine neceſſitate, ipſe enim verax eſt, & mentiri neſcius. Rom. 3. 4. ſed tamen reſpectu infirmitatis noſtræ, qvâ etiam de verborum Dei veritate dubitamus, ex neceſſitate verba ſua juramento confirmavit. 2. Qvia nec verbis ſervorum DEI credere poſſumus. Exod. 4. 1. Eſai. 53. 1. 3. Qvia etiam ipſis jurantibus ſæpè vel omninò non credimus, vel ſaltem plenè non credimus. Exhortatio. Ergò. 1. agnoſcamus hoc dum aliis credere non poſſumus, infirmitatem eſſe, & qvidem maximam, agnitámqve

támqve deploremus. 2. Petamus à DEO fidem illam, qvâ aliis credere poſsimus, hoc enim eſt ſignum charitatis mutuæ. 1. Cor. 13. 7.

VI. Obj. præocc. Iuramus propriè præ alium nobis majorem: At Deus per alium ſe majorem non juravit, non enim potuit, qvia majorem ſe nullum habuit, ſed per ſeipſum: Ergò Deus propriè non juravit. Reſp. Deus propriè ob iſtam rationem non juravit; ſed impropriè, & in ſpecie metaphoricè, qvia, ut juramentum noſtrum per alium, nobis majorem, nim. per Deum, factum, perfectè confirmat noſtra verba: ſic juramentum DEI non per alium, ſe majorem; ſed per ſe ipſum factum, perfectè confirmat verba ejus. Patet Deum juraſſe per ſe ipſum. Gen. 22. 16. Exod. 32. 13. Eſai. 45. 23. Ier. 22. 5. Amos. 6. 8. Hebr. 6. 13. Per ſeipſum juravit Deus etiam eum juravit per excellentiam Iacobi. Amos. 8. 7. dextram ſuam. Eſa. 62. 8. ſanctitatem ſuam. Pſal. 89. 36. fidelitatem ſuam. Pſal 80. 5°. nomen ſuum maximum. Ier. 44. 26.

VII. *Teſtimonium Dei meritò petitur ne ad veritatem confirmandam, ſeu meritò vocamuſne Deum in teſtem eorum, quæ aſſerimus vel promittimus ideò, ut illos, quibus aſſerimus vel promittimus, confirmemus, in veritate noſtrorum verborum, neſcil. de ea quicquam dubitent?*

Sic. Patet, 1. an ita ſit ex exemplo Pauli, ob hunc

703147

ob hunc finem Deum in testem suorum verborum vocantis. Rom. 1. 9. 2. Cor. 1. 23. & 11. 31. Gal. 1. 20. Philip. 1. 8. 2. Cur ita sit. 1. qvia Deus est summa veritas, seu tàm verus testis, ut nec ille alium, nec alius ipsum fallere qveat. Hebr. 6. 18. Rom. 3. 4. Num. 23. 23. 2. qvia finis juramenti humani est confirmatio Hebr. 6. 16. ut scil. confirmemus rem ita esse, prout dicimus. Ob hunc finem juravit, seu in testem vocavit Deum Ioseph. Gen. 2. 15. 16. David. 1. Sam. 20. 3. 3. qvia finis juramenti divini etiam est confirmatio veritatis eorum qvæ dicit. Gen. 22. 16. Deut. 1. 8. Iud. 2. 1. 15. 1. Sam. 3. 14. Neh. 9. 15. Hebr. 3. 11. 18. & 6. 17. Informatio. 1. Ideò vocamus Deum in testem, ut verba nostra confirmemus: Ergò juramentum est valdè utile & necessarium, qvia confirmatio verborum nostrorum in hac vita est valdè utilis & necessaria. Secunda & tertia informatio habetur. th. 8. & 9.

VIII. *Iuramentum estne cultus DEI religiosus, seu in Iuramento colitur-ne Deus religiosè?*

Sic. Patet. 1. an ita sit. Deut. 6. 13. Per nomen ejus jurato, id est, Deum colito. Sic, Esa. 45. 23. Iuraturum omnem lingvam, id est, mihi incurvatum iri omne genu, seu culturũ me omnem hominem, nam genu flexio est gestus Deum orantis, adeóqve colentis. Esa. 48. 1. Qvi jurant per nomen Iehovæ, id est, qvi religiosè colunt Iehovam. 2. Cur ita sit 1. qvia in juramento Dei testimonium petitur ad veritatem verborum nostrorum confirmandam, ut dictum. th. 7. Ergò juramentum est cultus. Ratio consequentiæ, qvia petitio est cultus religiosus, qvia est species orationis, qvæ est cultus Dei. 2. qvia in juramento, seu vocatione Dei in testem, ut verba nostra aliis persvadeamus, Deum agnoscimus & credimus esse veritatis Authorem, cogitationum nostrarũ conscium, veritatis & falsitatis remuneratorẽ: Ergò juramentũ est religiosus cult'Dei. Ratio consequentiæ, qvia credere Deum talem, est religiosè Deum colere, fides enim est cultus Dei religiosus, ut dictum c. 5. th. 1. cum 9. 10. Admonitio. Ergò. 1. juramentum ex joco vel ita ne usurpemus. 2. necessitate postulante jurare ne difficultemus.

IX. *Quæres: 1. Per quem jurandum est?*

Iurandum est per solum verum Deum, Patet. 1. an ita sit ex formulis juramenti infra dicendis, & ex eo, qvod juramentum dicatur juramentum Dei, id est, per solum verum Deum præstandum. 2. Sam. 21. 7. 2. Cur ita sit? 1. Qvia in juramento testimonium solius veri Dei petitur, ad veritatem verborum nostrorum confirmandam, ut dictum. th. 7. cum. 3. 2. Qvia solus verus Deus est religiosè colendus: Ergò per solum verum Deum est jurandum. Ratio consequentiæ, qvia in juramento etiam cultus Dei religiosus continetur, ut dictum. th. 8. 3. Qvia solus verus Deus, est omniscius. Hebr. 4. 13. qvi possit scire, qvod jurans verũ dicat. 4. Qvia solus verus Deus est omnipotens, qvi possit asserere veritatem dicentes, &

703147

ulciſci falſitatem loqventes. 5. Qvia ſic Deus præcepit. Deut. 6. 13. Correctio. Ergò peccant, qvi jurant per idola & falſos Deos, ut Laban. Gen. 31. 53. Iezabela, 1. Reg. 19. 2. Iudæi. Ier. 5. 7. Iſraelitæ. Amos. 8. 14. Hoſ. 4. 15. Hoc enim ſerio prohibetur. Exod. 23. 13. Ioſ. 23. 7. Deinde, hoc, & dictæ rationes diſſvadent.

2. Licetne per ullam creaturam jurare? Nullo modo, id eſt, nec directè, nec indirectè. Iuratur per creaturam directè, cum nominatur creatura, & Creator non ſubintelligitur, qvomodo jurant Turcæ per ſalem, panem, barbam, &c. Iuratur verò indirectè per creaturam, cum creatura nominatur, & nomen Creatoris ſubintelligitur, qvomodo jurabant hypocritæ per templum, per altare, per cœlum, per terram, per caput, &c. Iam, nec directè, nec indirectè, licet jurare per creaturam aliqvam, adeóqve per ſanctos. Patet. 1. an ita ſit. Matth. 5. 34. 35. & 23. 21. 22. Iac. 5. 12. ubi damnantur juramenta indirecta, in qvibus creaturæ, n. templum, aurum, altare, &c. nominantur, & intelligitur Deus, Creator earum. 2. Cur ita ſit. 1. Qvia ſancti non ſunt religioſè colendi: Ergò per eos nullo modo licet jurare. Ratio, qvia, ut dictū th. 8. juramentum eſt religioſus Dei cultus. 2. Qvia juramentum eſt petitio teſtimonii DEI, non creaturæ, ut dictum. th. 7. cum 3. 3. Qvia jurandum eſt per ſolum verū Deū. Deut. 6. 13. & 10. 20. 21. Eſa. 45. 23. & 65. 16. At nullus ſanctorum eſt Deus, licet Iovius. Hiſt. lib. 24. Deos tutelares appellet eos: & Leo X. Deam vocet Mariam. lib. 8. epiſto-

epiſtolarum illius nomine à Bembo ſcriptarum epiſt. 17. 4. Qvia juramentum per creaturas ſeveriſsimè punitur: Sicut Deus. Soph. 1. 4. & 5. minatur ſe excindere velle eos, qvi jurāt per Iehovam, & Melechum ſuum, id eſt, qvi injuramentis cum Deo conjuxerunt creaturas: unā enim creaturā exempli causā, nominatā, veluti Melecho (per qvem Sol intelligitur, à gentibus pro Deo habitus & cultus) per ſynecdochen omnes creaturæ intelliguntur. 5. Qvia ſancti non ſunt cordium ſcrutatores, & neqveunt videre, an mentiri vel fallere velimus. 6. Qvia ſancti defuncti non ſunt invocandi, ut dictum. 7. Qvia ſancti non ſunt religioſè colendi, ut dictum. 8. Qvia ſancti non ſunt ubiqve, & jurantes non audiunt. 9. Qvia ſancti mortui non poſſunt eos perdere, qvi pejerant. Refutatio. Ergò errant 1. Pontificii jurantes per creaturas, & ſanctos defunctos. Qvod Pontificii per creaturas jurent, patet ex Thoma. 2. 2. q. 89. art. 6. item ex formulis, qvibus utuntur, qvas plerúmqve hæc clauſula finit: Ita me Deus adjuvet, & mater Dei cū omnibus ſanctis: Vel, ita me Deus adjuvet, & omnes ſancti. Obj. Per ſalutem ſeu vitam Pharahonis Ioſephus Patriarcha juravit. Gen. 42. 25. Ergò per homines & alias creaturas licet jurare. Reſp. 1. Antecedens negatur: qvia formula illa, ita vivat Pharaho, non eſt juramenti, ſed vehementis affirmationis formula, ut dicit Polanus, Theol. l. 9. c. 22. ita ut ſenſus iſtius formulæ hic ſit, qvam verè vivit, aut ſalvus eſt Pharaho, aut ego eum ſalvum eſſe cupio, tàm verè hoc dico. Similis aſſevera-

703147

tionis formula fuit illa Channæ. 1. Sam. 1. 26. Abner. 17. 55. Davidis c. 20. Abigail. c. 25. 26. 2. Conseq. negatur: qvia Ioseph peccavit jurando per vitam Pharahonis, ut dicit Ravanellus de juramento. Num. 4. Dehortatio. Ergò ne juremus sic: vivit anima tua: Dico per vitam, per animam, per fidem, per salutem, &c. Obj. Cum sic juramus intelligimus Deum, qvi est Author vitæ, animæ, salutis, sicut Ioseph etiam per vitam Pharahonis, Gen. 42. 15. 16. & Iacob per pavorem Isaci, intellexit Deum, qvi fuerat Author vitæ Pharahonis, & qvem pavebat Isachus: Ergò licet indirectè per creaturas jurare. Resp. Sic videtur Polano citato loco; sed nos contrarium probavimus cum Ravanello, & Amesio, l. 4. cas. c. 22. q. 2. §. 4.

X. Obj. Schol. præcc. "In juramento cultus religiosus tribuitur Deo, seu religiosè colitur Deus, ut dictum. th. 5. Ergò totum juramentum est cultus Dei religiosus: At hoc falsum: Ergò & illud. Resp. Conseq. negatur: qvia in juramento duo sunt, 1. finis, qvi est veritatem nostrorum verborum confirmare, & genus, qvod est Dei testimonium petere. Iam, juramentum ratione finis, seu confirmationis non est propriè cultus DEI religiosus, qvia cultûs religiosi finis est honorem directè Deo tribuere, ut dictum c. 4. th. 23. juramenti verò finis non est directè honorem Deo tribuere, verum veritatem verborum nostrorum confirmare, ut dictum. th. 3. Sed ratione generis, seu petitionis, est propriè cultus Dei religiosus: qvia petitio est species orationis, qvæ

est cultus Dei religiosus, ut dictum c. 8. th. 1. & c. 9. th. 2. Dico juramenti finem non esse directè Deo honorem deferre, qvia & juramentum indirectè honorem Deo defert, qvatenus omnia ad gloriam Dei facere tenemur. Si ergò qværas, cur juramentum scriptura vocet cultum verum. Deut 6. 13. Esa. 48. 1. & etiam homines, cum finis juramenti sit confirmare veritatem verborum nostrorum, non Deo directè honorem deferre, respondeo, juramentum vocari cultum Dei non ratione confirmationis, qvia ea directè non est cultus Dei; sed ratione petitionis, qvæ directè est cultus Dei. Thō. 2. 2. q. 89. art. 4.

XI. 1. Quid petit jurans à Deo?

Petit jurans à Deo. 1. testimonium DEI ut Deus sit testis animi jurantis, qvod non velit in illa re fallere, de qva jurat. 2. Cor. 1. 23. 2. vindictam Dei, ut Deus puniat jurantem, si sciens fallat. 2. Reg. 3. 31. 32. Eamqve petit tùm implicitè, cum testimonium Dei tantùm petit, & vindictæ petitionem subintelligit, ut cum sic jurat, testis est, vel sit mihi Deus, vivit Deus, feci vel faciam, & subintelligit, Deus puniat, si non feci, vel faciam; tùm explicitè, cum petit. 1. simul testimonium Dei, & vindictam ejus, ut cum sic jurat, vivit Deus faciam, si non fecero Deus me puniat. 2. tantùm vindictam Dei, ut cum sic jurat, puniat Deus, si non faciam. An petens testimonium DEI implicitè petat etiam vindictam Dei, patet. Ier. 42. 5. ubi petentes testimonium DEI, n. sit nobis testis Deus, faciemus qvod nobis di-

703147

xerit, implicitè petunt etiam vindictam Dei, si scil. scienter fallant, n. Deus puniat nos, si non fecerimus. Sic. Rom. 1. 9. Informationes duæ habentur. th. 11. & 12. Correctiones duæ, th. 13. 14. 2. Continetne ergò in omni juramento imprecatio vindictæ divinæ ? Sic, vel implicitè, cum jurans Deum suæ assevera-tionis testem citat, & vindictæ divinæ imprecationem tacet, ut Paulus. 2. Cor. 1. 23. Rom. 1. 9. vel expressè, cum jurans se devovet, & ad pœnam perjurii se obligat, ut anathema sit coram Deo, & Deus eum puniat, si sciens fallat, ut Israelitæ. Nehem. 10. 30. Patet hoc, tùm an ita sit, ex exemplis jam citatis; tùm cur ita sit: qvia jurans, petens, ut Deus sit testis verborum suorum, petit saltem implicitè, ut Deus puniat ipsum, si sciens fallat, ut dictum. Refutatio. Ergò errat Polanus juramentum distingvens in simplex, qvod est absqve imprecatione vindictæ divinæ; vel in compositum, qvod est cum imprecatione vindictæ Dei conjunctum.

XII. *Unde nata est illa formula jurandi, sic faciat mihi Deus, sic pergat facere* 1. Sam. 2. 23 ?

Hinc, qvod jurans petens testimonium Dei, petit implicitè saltem vindictam Dei, ut scil. puniat ipsum, si sciens falsum dicat. Quid vult sic jurans, sic faciat mihi Deus, & sic pergat facere ? Petit in genere vindictam Dei, non in specie, ac si dicat, si non ita est qvod dico, Deus me puniat illa specie pœnæ, qvâ vult, sive peste, sive fame, sive persecutione, &c.

XIII.

XIII. *Licetne in juramento æqvivocatione verbali, vel mentali uti ?*

Aeqvivocatio verbalis est cum verba ipsa qvæ usurpantur sunt ambigui sensus, & illo sensu accipiuntur à jurante, qvem audientes cupit celare, ut alio sensu ab ipsis accipiantur. Ut, si Gallus aliqvis de gente sua rogatus, juraret se non esse gallum, intelligens gallum gallinaceum. Aut si qvis rogatus, an Petrus esset domi, responderet non est, id est, non comedit. Aeqvivocatio verò mentalis est, cum verba ipsa qvæ adhibentur unum simplicem habent sensum, sed per tacitam restrictionem, aut interpretationem, qvam sibi in mente reservat, in alium cõmutantur: qvomodo Franciscum illum monachum feciſſe scribunt, qvi rogatus, qva perrexisset qvidam homicida, qvi juxta eum transierat, manus in manicas immittens, respondit, non transisse illac, intelligens, non transisse cum per illas manicas. Qvomodo etiam Iesuitæ plerique defendunt, Sacerdotem rogatũ an sit Sacerdos, si vel à non judice rogetur, vel rationabilem habeat causam veritatem dissimulandi, posse respondere, se non esse Sacerdotem, dummodo intelligat, se non esse Sacerdotem Baal, aut Isis, aut non esse Sacerdotem, ut alteri dicat. Iam, & verbalis, & mẽtalis æqvivocatio in juramento est illicita: qvia qvamvis æqvivocatione in lusu & joco utens non peccet, est enim lusus; tamen ea in juramento utens valdè peccat, qvia testimonium Dei & vindictam, qvam petit, si sciens fallat, pro lusu habet, & floccipendit: qvia æqvivo-

703147

catione uti est ludere. Observa ergò. 1. verbalis æqvivocatio est illicita in juramento. Patet. 1. an ita sit, ex primò præcepto: non habebis Deos alienos, id est, per verum Deum jurabis verè. Sic & ex præcepto nono: non dices falsum testimonium: æqvivocatione utens autem in jurando nec verè jurat, nec verum testimonium dicit. 2. cur ita sit. 1. Qvia nihil certi testatur: & sine testimonio certò, juramentum saltem est vanum. 2. Qvia non tendit ad jutamenti finem, ut sit controversiæ terminus, veritatem confirmando. Hebr. 6. 16. sed in contrarium. 3. Qvia fallit ac decipit audientes, qvod juramenti naturæ adversatur: si scienter fallo. 4. Qvia affirmatio aut negatio qvæstionis propositæ, si ex conscientia respondentis, non verè conformetur sensui rogantis aut qværentis, est mendacium. Qvæstio enim ipsa, eo sensu, qvo proponitur, est sententia testanda: & affirmatio, vel negatio ejus, qvæ cũ illo sensu confitere non potest, est falsitas; qvæ si sit contra conscientiam testantis, non potest non esse mendacium completum. 5. Qvia juramentum ejusmodi mendacium confirmãs perjurium est manifestum, ex natura rei: & ex ipsa intentione jurantis, est prophanatio nominis divini. Refutatio. Ergò errant Pontificii in juramento æqvivocationem verbalem licitã esse docentes. Obj. Si minus juredice rogemur, aut injuria nobis inferatur, fas nobis est nostro bono consulere, dummodo ambiguè loqvamur. Resp. Nulla injuria nobis ab hominibus illata, justam causam nobis præbere potest injuriam faciendi nomini divino. Gravis autem

autem sit injuria Deo, in mendacii peccato, & multo major in perjurio: Becan. Sch. de juramento q. 8. 2. Mentalis æqvivocatio in juramento est illicita. Patet. 1. an ita sit, itidem ex præcepto primo & nono. 2. Cur ita sit. 1. Qvia in juramento, testimonium aliis perhibemus maximè solenne, cum autem nihil certi verbis explicamus, sed fictũ aliqvid & simulatum, tùm nihil aliis ex intentione testamur: juramenti igitur natura per istam simulationem violatur, & evertitur in primò ejus fundamento. 2. Qvia mentalis hujusmodi æqvivocatio, est mendacium directum & manifestum, qvia verbis testatur tàm contra mentem & conscientiam testis, qvàm contra rem ipsam. 3. Qvia fidem falsam suo testimonio audientibus ingenerare studet: qvod non est permittere tantùm eos decipi & falli, sed illos directè fallere ac decipere. 4. Qvia gravis est erga Deum injuria & provocatio, adferre ejus testimonium, qvanqvam fictè, ad rẽ falsam comprobandam, & propterea illud exterius juramentum fertur supra mendacium grave, cum magna divini invocati testimonii illusione. 5. Qvia hac ratione aperitur janua omnibus mendaciis fovendis. Nihil enim est (ut Azor: Iesu: observat) tàm falsum, qvod non qveat ab omni mendacio liberari, si aliqvid, arbitratu nostro, mente tacitum retineamus. Possemus enim qvicqvid à nobis petitur, qvamvis id apud nos habeamus, diffiteri nos habere, intelligentes, ut demus: qvicqvid fecerimus, viderimus, cogitaverimus, decreverimus, de eo rogati, possemus, dicere, non feci-

mus,

703147

mus. non vidimus, non cogitavimus, non decrevimus, eo nimirum sensu, ut tibi dicamus. Refutatio. Ergò errant Pontificii æqvivocationem mentalem injuramento licitam esse docentes. Obj. Ex oratione vocali, & restrictione mentali, fit una oratio composita, & totalis, in qva nulla falsitas est: ut cum sacrificulus affirmat, verbis se non esse sacrificulum, intelligens, ut alteri dicat. Liberum autem est homini orationem suam componere ex terminis vocalibus & mentalibus. Resp. Qvamvis oratio hujusmodi mixta possit pro axiomate admitti, qvando qvis secum aliqvid commentatur, aut qvando cū Deo solo negotium habemus, qvia Deus & Spiritus noster totum illud qvod est in mente æqvè percipiunt, ac si verbis exprimeretur; nullum tamen locum habet in testimonio coram hominibus ferendo: qvia reservatio mentalis nihil testatur audientibus: qvaliscunqve igitur illa fuerit, testimonium est mendacium, etsi juramento confirmetur, perjurium, cum illud qvod in testimonio oratione vocali significatur, conscientiæ testis repugnat.

XIV. Propriè dicta relaxatio, commutatio, vel dispensatio & absolutio juramenti, potestne ab homine provenire, seu potestne homo facere, ut juramentum licitum non obliget ad sui impletionem?

Ut licitum juramentum nō obliget ad sui impletionem homo non potest propriè facere, vel

vel per dispensationem, vel per commutationem, vel per relaxationem aliam. l. 4. cas. c. 22. q. 11. Facere, ut juramentum non obliget per dispensationem, est ex toto jurantem ab obligatione juramenti liberare: ut cum dicit qvis, jurasti te bonorum tuorum decimas pauperibus daturum, sed ne des, & non peccabis, Deus te non puniet. Facere, ut juramentum non obliget per commutationem, est ex parte jurantem liberare ab obligatione juramenti: ut cum dicit qvis, jurasti te daturum decimas bonorum tuorum pauperibus; sed pro illis decem centum florenos semel pro semper, & non peccabis, & Deus te non puniet. Facere, ut juramentum non obliget per relaxationem aliā, est ex parte jurantem liberare ab obligatione juramenti: ut cum qvis dicit, jurasti te daturum eleemosynam centum florenorum; sed dabis tantùm decem florenorum, & non peccabis, & Deus te non puniet. Patet. 1. an ita sit. Deut. 6. 13. ubi juramentum dicitur esse cultus Dei, qvi est indispensabilis. 2. Cur ita sit. 1. Qvia jurans petit vindictam divinā, subjicit se maledictioni divinæ, id est, obligat se Deo ad pœnam, ut scil. si sciens fallat, Deus ipsū puniat: At homo hominem ab obligatione ad pœnam DEO facta non potest (ut dictum th. 11.) liberare: Ergò homo propriè non potest facere, ut licitum juramentum jurantem non obliget. 2. Qvia aliqvando Deo promittimus aliqvid sub juramento: Ergò homo hominem ab omni juramento promissorio liberare non potest. Ratio consequentiæ, qvia ille potest à juramento promissorio absol-

vere

703147

vere jurantem, cui facta est promissio sub juramento, ut dicetur. th. 24. & lib. 4. cas. c. 22. q. 11. resp. 4. 3. Quia juramentum violatum solus Deus potest remittere : Ergò homo non potest facere, ut juramentum non obliget. 4. Quia nemo potest efficere, ut juramentum assertorium falsum verum fiat : Ergò etiam nemo facere potest, ut licitum juramentum promissorium non impletum sit verum. Refutatio. Ergò errant Pontificii, quia juramentum dispensabile esse docent. Thom. 2. 2. q. 89. art. 9. Becan. de juram. q. 10. c. 2. Obj. præcc. Parentes, Domini, Mariti, Principes, Pastores, filios, uxores, servos, subditos, oves sæpè liberant à juramentis & votis : Ergò homo potest facere, ut juramentum licitum jurantem non obliget. Resp. Conseq. negatur: quia quamvis juramenta illicita, qualia sunt juramenta filiorum, uxorum, &c. sine consensu Parentum, Maritorum, &c. nec non aliorum de peccato committendo facta, homines possunt irrita, seu non obligantia, ex verbo Dei dicere, illicita enim juramenta non obligant jurantem ad impletionem, ut vides l. 4. cas. c. 22. q. 9. resp. 4. Sed tamen à juramento licito homo hominem nullo modo liberare potest, ob dictas rationes, & reverentiam Dei, cujus nomine promissio nostra confirmatur. l. 4. cas. c. 22. q. 11. resp. 2. cum 1.

XV. *Quotuplex est juramentum ?*

Duplex : assertorium vel promissorium. Ratio, quia juramus vel de re facta, ut cum sic loqvimur : Deus novit, ita feci : vel futura ; ut cum

ut cum sic loqvimur : Deus vivit, ita faciam.

XVI. *Quid est juramentum assertorium ?*

Iuramentum assertorium est juramentum, qvo juramus de re præterita : ut Paulus, qvi. 2. Cor. 1. 23. sic jurat : Deum testor, me non venisse Corinthum, ut vobis parcam ; vel de re præsente : ut eum sic juras : Deum testor, verum dico. 2. Qvid est juramentum promissorium ? Est juramentum, qvo juramus de re futura, seu qvo promittimus alicui aliqvid boni olim præstandi : ut Ionathan, qvi. 1. Sam. 20. 13. sic jurat Davidi : ita faciat Iehova Ionathani, & ita pergat, revelaturus sum tibi, si Pater meus te occidere velit. 3. Sub qvo juramento continetur juramentum comminatorium ? Sub juramento promissorio. Iuramentum ergò comminatorium est juramentum promissorium de re futura, seu qvo promittimus alicui aliqvid mali olim præstandi : ut Salomõ, qvi. 1. Reg. 2. 24. sic jurat : vivit Iehova, hodiè morte afficietur Adonia.

XVII. *Quæ est proprietas juramenti assertorii ?*

Non est obligare ad aliqvid faciendum, vel omittendum, qvia juramentum assertorium non est de re futura, qvam facere vel omittere possumus ; sed est confirmare tantum veritatem rei jam factæ ; qvia juramentum assertorium est de re præterita, vel præsente qvam non facere, vel omittere ; sed confirmare tantum possumus. Obj. Thomas. 2. 2. q. 89. art. 7.

703147

dicit etiam juramentum assertorium obligare ad aliqvid faciendum, vel omittendum: Ergò Author male contrarium docet. Resp. Conseq. negatur.

XVIII. Unde pendet veritas juramenti assertorii?

Non à vera rei factæ existentia, qvod scilicet res qvam asserimus, verè ita facta fuerit; sed à vero judicio jurantis, qvod scil. jurans ob infallibilia argumenta judicet rem verè ita factam esse, prout asserit, qvamvis in se non ita forte facta fuerit. Observa ergò. Iuramentū assertorium jurantis judicio, argumentis infallibilibus nixo, consentaneum, qvamvis à re ipsa dissentiat, tamen pro vero habendum est; V. g. qvamvis bos non sit tuus; sed tamen si ex cornibus, stigmate, & aliis signis tuum judices, putes esse, & sub juramento tuum esse asseras, verè jurâsti. Patet. 1. an ita sit Deut. 6. 13. Per nomen ejus jurato, id est, interjecto Dei nomine, id asseras, qvod ita esse scis, judicas, putas. Sic. Exod. 20. 16. Ne proferto testimonium falsum, id est, ne asseras, præsertim invocato Deo, qvicqvam aliter, qvam sentis in corde tuo. 2. Cur ita sit. 1. Qvia juramentum assertorium verum efficit nō vera rei existentia; sed verum jurantis judicium: qvod patet. 1. qvia in hoc juramento, his vocibus solemus uti: sicut puto: sicut arbitror. 2. qvia Romani verbo arbitror, utebantur etiā nunc, cum illa dicebant jurati, qvæ comperta habebant. Informatio. Ergò sive ita sit res, sive secùs, qvam jurati dicunt, verè tamen

tamen jurant, si eam ita putent esse: qvia veritas juramenti assertorii immediatè à judicio jurantis pendet, non à re ipsa, de qva jurātur. Correctio. Ergò arguendi sunt: 1. qvi eos, qvorum juramentum à re dissentit, vel alii dissentire probant, perjurii accusant, & templo excludendos putant. 2. qvi ad falsificanda paucorum juramenta, plurium juramenta admittunt. 3. qvorum juramentum à judicio infallibilibus argumentis nixo, non dependet: Tales sunt conjuratores, seu testes pecuniâ adjurandum inducti.

XIX. Quæ est proprietas juramenti promissorii?

Est, 1. testari nos voluntatem firmam habere rem promissam præstandi. 2. obligare nos ad præstationem rei promissæ.

XX. Iuramentum promissorium absolute obligatne ad sui impletionem, vel secundum quid?

Secùndum qvid, qvatenus scilicet promittit alicui rem: 1. licitam, qvam scil. Deus præcepit, non prohibuit. 2. possibilem, qvam scil. promittens præstare potest: juramentum enim promissorium est vel pium, ut cum qvis jurat se factutum, qvod licet, & potest; vel impium, cū qvis jurat se facturum, qvod verbo Dei repugnat, & sibi planè impossibile est, ut si qvis iratus juret, se occisurum aliqvem, ut David. 1. Sam. 25. 21. 22. Observa ergo. Iuramentum promissorium pium, seu de re licita & possibili di-

703147

sibili diligenter custodiendum & sancte observandum est. Patet. 1. an ita sit ex exemplo Iosephi, Gen. 50. 5. cum 47. 31. populi, 1. Sam. 14. 26. cum v. 25. 27. 28. Davidis, 2. Reg. 1. 30. Psal. 119. 106. & 132. 2. 3. Dei ipsius, v. 11. Luc. 1. 72. 73. 2. Cur ita sit, 1. Qvia Deus præcipit Num. 30. 2. 2. Qvia juramentum non servare est magnum peccatū, qvod Deus graviter ulciscitur. Exemplum est in Saule, 1. Sam. 19. 6. cum cap. seqq. Semei. 2. Reg. 2. 42. 43. 46. Sedecia. 2. Chron. 36. 13. Qvibusdam ex Iudæis. Neh. 10. 29. 30. 31. cum c. 13. 12. 23. reliqviis Iudæorum. Ier. 42. 20. 21. cum v. 5. 3. Qvia juramentum est vinculum veritatis inter homines, & fundamentum omnium pactorum & contractuum, ut dicetur infra c. 21. th. 16. Correctio. Ergò 2. Sedulò cavendum, ne juramento nos temerè obstringamus, hoc est, non priùs debemus juramentum qvod à nobis exigitur præstare, qvam certi simus, nos posse illud implere. Exemplum servus Abrahæ. Gen. 24. 5. & seqq. & v. 37. ac seqq. exploratores. Ios. 2. 12. 14. 2. Ne proximus noster cogatur solvere juramentum qvod præstitit, non debemus gravari, ei acqviescere, & aliter agere, qvam constitueramus. Exemplum Elisæus, qvi non constituerat domum Sunamitidis cum ipsa profecisci, profectus tamen est propter Sunamitidis juramentum, 2 Reg. 4. 30.

XXI. 1. Obligatne juramentum promissorium qvoad modum illicitum, seu servandum esne juramentum promissorium temerè,

temerè, id est, inconsideratè, stultè, inconsultè factum?

Sic. Patet. 1. an ita sit ex exemplo Ducum Israelitarum. Ios. 9. 15. ad 20. cum v. 20. 21. & ipsorumet Israelitarum. Iud. 21. 18. cum seqq. 2. cur ita sit. 1. qvia licet error circa substantiam rei, qvæ in juramento spectatur vel circa propriam causam, promissionis obligationem tollat, qvi casus est matrimonium cōtrahentis cum una persona particulari, qvam putat esse aliam: error tamen circa circumstātiam aliqvam, vel causam extrinsecam & accidentariam non tollit obligationem: qvi casus fuit Israelitarum erga Gibionitas. Ios. 9. & ejus qvi matrimonium contrahit cum plebeja, aut paupere, putans eam nobilem, aut divitem esse. In primò errore testimonium nullum fuit: sed in secundò, testimonium licitum adhibetur. 2. Qvia Deus violanti tale juramentum irascitur, ut Sauli. Correctio. Ergò peccant, qvi juramentum qvoad modum illicitum non servant, ut Saul. Additur, qvoad modū illicitum, qvia juramentum promissorium qvoad rem illicitum, servandum non est, ut dicetur thesi seqventi, cum l. 4. cas. c. 22. q. 9. resp. 2. Iuramentum promissorium Ducum Israelitarum, qvoad rem, fuit licitum, qvia non est prohibitum promittere alicui conservationem vitæ; sed qvoad modum fuit illicitum, tùm ex parte Ducum, qvi hoc promiserunt temere, sine justo examine, tùm ex parte Gibionitārum, qvi promissionem fraude & dolo obtinuerunt. 2. Iuramentum promissorium in damnum non

703147

strum conceptum, ut juramentum latronibus de redemptionis precio solvendo, præstitum, servandum esse? Sic. Patet. 1. an ita sit? Psal. 15. 4. 2. Cur ita sit: qvia damnum nostrum reverentiæ Dei, per qvem juramus, non debet præjudicare. Exhortatio. Ergò juramentum promissorium nobis damnosum etiam servemus, ut Duces Israelitarum. Ios. 9. 18. 19.

XXII. *Juramentum promissorium contra Dei mandata factum obligatne, seu juramentum promissorium de peccato aliquo committendo, aut officio omittendo, factum, servandum esse?*

Non. Patet. 1. an ita sit ex exemplo Davidis, non servantis tale juramentum. 1. Sam. 25. 33. 34 35. cum v. 22. 2. Cur ita sit. 1. qvia juramentum non debet esse vinculum iniqvitatis, est enim vinculum veritatis inter homines. Exod. 22. 11. Ergò tale juramentum non est servandum: qvia fieret vinculum iniqvitatis inter homines. 2. qvia res mala nullam vim accipit à juramento, sed si servetur auget reatum: qvia tùm duo peccata committuntur: unum ejus speciei, cujus est factum per se consideratum, & alterum contra religionem, ex irreverentia & ab usu nominis Dei, qvatenus propositum malum auctoritate DEI firmatur. 3. qvia tale juramentum est impium, & ejus impletio impia. Correctio. Ergò peccant qvi tale impium juramentum servant, ut Iephte. Iud. 11. 31, 35. 39. 39. Giezi. 2. Reg. 5. 20. cum

cum 21. & seqq. Herodes. Matth. 14. 7. 9. Marc. 6. 23. 26.

XXIII. *Juramentum promissorium factum aliqvo modo contra promissa Dei servandum esse?*

Sic aliqvando: ut cum Iudæi, qvibus à Deo libertas fuit promissa jurabant in servitutem gentium, n. Aegyptiorum, Cananeorum, Babyloniorum, in qvarum potestatem venerant. Si ergo objicias: juramentum promissorium contra DEI mandata factum non est servandum: Ergò nec juramentum contra Dei promissa factum servandum est. Ratio conseq. qvia, cum Deus promittit aliqvid, ut libertatē, tunc mandat ne servi aliorum fiamus. Resp. Conseq. negatur: qvia Deus libertatem promittens prohibet ne servi aliorum fiamus, tempore promissæ libertatis præstandæ adveniente, non ante ejus adventum. Additur, aliqvomodo: 1. qvia Iudæi omnimodè non jurarunt in servitutem gentium contra promissionem libertatis à Deo factam, qvia Deus promisit iis libertatem definito tempore adveniente præstandam: Ergò ante ejus adventum voluit Deus, ut Iudæi gentibus servirent. 2. qvia juramentum factum omnimodè contra promissa Dei non est servandum, ut si Iudæi jurassent contra promissam libertatem, in perpetuam gentium servitutem, juramentum illud ipsos non obligasset, seu juramentum illud ab ipsis servandum non fuisset.

703147

XXIV. Iuramentum promissorium, quo aliquid promittitur tantum homini in ejus gratiam, definitne obligare, seu servandum esse, si ille cui factum est promissum vel remittat, vel tollat fundamentum, quo nitebatur?

Cum juramentum factum spectet solummodo obsequium, vel commodum hominis, cui aliqvid promittitur, tum cessat obligatio, ex remissione vel consensu illius hominis, cui promissio est facta. Ratio est, qvia fundamenti hujusmodi promissionis cessat: & ex natura rei, includitur semper illa conditio in tali promissione, nisi alter condonaverit, aut remiserit. Hic est casus creditoris erga debitorem & similium. Sed non potest hoc ad Sponsaliorum contractum extendi: qvia ibi non utilitas hominis tantum spectatur, sed institutum DEI. Additur solummodo obsequium vel commodum hominis: qvia homo potest alteri promittere aliqvid sub juramento dupliciter. Uno modo, qvando promittit aliqvid pertinens ad utilitatē ipsius: puta, si sub juramento promittat se servaturum ei, vel pecuniam daturum: & à tali promissione, potest absolvere ille cui promissio facta est. Intelligitur enim jam ei solvisse promissum, qvando facit de eo secundum ejus utilitatem. Alio modo promittit aliqvis alteri qvod pertinet ad honorem DEI, vel utilitatem aliorum: puta, si aliqvis sub juramento promittat alicui aliqvod opus pietatis factu-

facturum. Et tunc ille cui promittitur, non potest absolvere promittentem, qvia promissio non est facta ei principaliter, sed Deo: nisi fortè sit interposita conditio, ratione cujus possit, scilic. si illi videbitur, cui promittitur, vel aliqvid aliud tale. Thom. 2.2. q. 89. art. 9. & 2. Sunt & alii casus in qvibus juramentum obligat vel non obligat: Nam. 1. Iuramentum posterius contra priùs non est servandum, qvia est illicitum. 2. Iuramentum, cujus impletio majus bonum impedit, non obligat, si bonum illud exceptum fuerit. 3. Si auferatur ratio formalis juramenti, non est servandum. V. g. si qvis juret se obediturum Domino vel Principi, & postea desinat esse Dominus vel Princeps, non tenetur illi obedire. 4. Iuramentum licitum conditionatum, violata conditione nō est servandum. l. 4 cas. q. 9. 11. 5. Iuramētum præstitum ab iis, qvi nomine nostro agunt, servare tenemur: qvod patet ex. Ios. 6. 22. atqve adeò, præstitum à majoribus nostris, ut constat ex. Exod. 13. 19. cum. Gen. 50. 25. & ex. 2. Sam. 21. 1. 2. Valde peccaverunt ergo nuper Ungarici milites, juramentum suorum superiorum, Germanis militibus, Kis-vardam dedentibus, non servantes.

XXV. Iuramentum esne licitum christianis?

Sic. Patet. 1. an ita sit ex exemplis christianorum jurantium. Rom. 1. 9. 2 Cor. 1. 23. & 11. 31. Philip. 1. 8. 2. Cur ita sit. 1. qvia juramentum non fuit legis ceremonialis, qvæ est abrogata; sed juris naturalis, seu moralis, qvæ

703147

qvæ nō est abrogata. l. 4. cas. c. 22. q. 1. resp. 2. 2. qvia juramentum pertinet ad honorem Dei, & charitatem erga proximum, juramus enim gloria Dei & utilitate proximi postulante; & in juramento est cultus Dei religiosus, ut dictum ad th. 3. 3. qvia exmpla sunt laudata juramentorum adhibitorum etiam in N. T. 2. Cor. 1. 23. Apoc. 6. 10. Refutatio. Ergò juramentum in N. T. Christianis non est illicitum, peccatum, ut Anabaptistæ credunt. Thom. 2. 2. q. 89. art. 2.

XXVI. Obj. Anabaptistarum præcc: Christus vetat nos jurare. Matth. 5. 34. 37. Ne jurate omnino: Ergò Christianis nullo modo licet jurare. Resp. Conseq. negatur: qvia Christus citato loco non damnat omne juramentum, non damnat enim juramentum: 1. necessarium, ob graves & justas causas factum; tale enim juramentum præcipitur. Deut. 6. 13. 2. directum, in qvo expresè assumitur Dei nomen, per qvod juratur, ut juravit Paul. Rom. 1. 9. sed damnat tantum juramentum: 1. temerarium, hoc est, nulla necessitate, aut nulla gravi de causa factum. Ne jurate omninò, scil. temerè. 2. obliquum, seu indirectum, in qvo pro Dei nomine appellatio rerū creatarum adhibetur; ne jurate omninò scil. per cœlum, per terram, per templum, &c.

XXVII. Instantia eorundem præcc. Iac. 5. 12. Ne jurate neqve aliud ullum jus jurandum: Ergò Christus omne juramentum damnat. Resp. Conseq. negatur: qvia Iacobus etiam damnat non juramentum necessarium, & directum; Sed, 1. temerarium, ne jurate

jurate neqve ullum jus jurandum, scil. temerarium. 2. indirectum per creaturas, ne jurate, neqve per cœlum, neqve per terram, neqve aliud ullum jus jurandum, id est, neqve per aliam ullam creaturam, cum enim Iacobus verba Christi repetit, clarè ostendit illa verba Christi, ne juretis omninò, conjungenda esse cum sequentibus, neqve per cœlum, neqve per terram, &c. verba enim Christi sic intelligit, ne juretis omninò, scil. per cœlum, per terram, &c. verba enim sua sic intelligit, ne jurate, neqve per cœlum, neqve per terram, neqve aliud ullum jus jurandum, id est, neqve per aliam ullam creaturam. Ames. l. 4. cas. c. 22. q. 1. resp. 5. Polan. l. 9. c. 22. Vend. l. 2. c. 4. th. 22. expl. 4. Thom. 2. 2. q. 89. art. 2. Becan. Schol. de juram. q. 3.

XXVIII. *Amen amen dico estne formula jurandi?*

Non: qvod patet. 1. an ita sit. Ioh. 1. 52. Sic. c. 3. 3. ubi Christus non jurat, sed rem futuram esse affirmat. 2. Cur ita sit: qvia illa phrasis est formula tantum graviter affirmandi. Amen enim significat verè, certè, fiat: est igitur nota: 1. affirmandi, asseverandi rē aliqvā certò esse, aut futuram. 1. Cor. 16. 24. Apoc. 1. 18. Hac in significatione ponitur amen pro re vera, certa, rata, sic dicitur Deus amen, id est, veritas ipsa. Esai. 65. 16. Sic dicitur Christus amen. Apoc. 3. 14. sic dicuntur promissiones Dei in Christo amen, (id est certò futuræ) 2. Cor. 1. 20. 2. optandi. 1. Reg. 1. 36. Apoc. 22. 20. ideò solet amen addi in fine epistolarum,

703147

rum, cum gratiam illis exoptamus, ad qvos scribimus. 2. Cor. 13. 13. Eph. 6. 24. Phil. 4. 23. 3. confirmandi & optandi simul. Rom. 1. 25. Gal. 1. 5. Eph. 3. 21. Hoc sensu amen adhibetur in fine precum tùm privatarum, tùm publicarum. Psal. 41. 14. Benedictus Iehova Israelis à seculo usqve in seculum, amen, hoc est, affirmo Deum certò benedictum esse, & futurum; & opto, ut fiat benedictus. Sic. Psal. 72. 19. & 89. 53. Matth. 6. 13. amen, hoc est, non dubito, sed certò affirmo me Deum exaudiviſſe. & exauditurum, & opto, ut exaudiat. 4. testificandi assensum suum tàm in re aliqva confirmanda, qvàm optanda. Ier. 11. 5. Sic. 1. mulier, qvæ adulterii accusabatur, pronunciata à Sacerdote in precatione, respondebat, amen, amen, Num. 5. 22. simile exemplum vides. Neh. 5. 13. 2. doxologiâ finitâ, qvæ retribuebatur Deo & agno, dicebant amen, tùm qvatuor animalia. Apoc. 5. 14. cum v. 13. tùm Angeli. 7. 12. cum v. 10. tùm viginti seniores & qvatuor animalia. 19. 4. cum v. 1. 2. 3. 3. populus in publicis precibus & gratiarum actionibus, præeunte Pastore, respondebat amen, Deut. 27. 15. & seqq. 1. Chron. 16. 36. Neh. 8. 6. Psal. 106. 48. 1. Cor. 14. 16. Refutatio. Ergò erant qvi, amen, amen dico, docent esse formulam jurandi. Obj. præcc. 1. Deus dicens certè, seu amen, benedicens benedicam tibi, juraſſe dicitur. Hebr. 6. 13 14. Ergò amen amè dico est formula jurandi. Resp. Conseq. negatur: qvia verba illa, certè benedicens benedicam tibi, non continet formam, sed solam materiam juramenti illius, qvod habetur. Gen. 22. 16.

22. 16. 17. per me ipsum juro dictum Iehovæ, qvia non subtraxisti filium tuum, me prolixè benedicturum tibi. 2. Aliqvi docent amen Græce & Hebraice comparere, ut formulam jurandi: Ergò amen amen dico est formula jurandi. Resp. Conseq. negatur.: qvia illi temerè, seu sine ulla ratione hoc dicunt. 3. Ravanellus etiam cum vulgo dicit, amen dico, esse formulam jurandi: Ergò est formula jurandi. Resp. Conseq. negatur. 2. Qvare geminatur aliqvando amen? Ad denotandum animi ardorem, & majorem confirmationē ferventiusq; desiderium rei, qvæ vel affirmatur, vel optatur. Num. 5. 22. Neh. 8. 6. Ioh. 1. 52. & 3. 3. & 5. 19. 3. Qvæ sunt ergò jurādi formulæ? 1. vivit Deus. Sic juravit Gedeō. Iud. 8. 19. David. 2. Sam. 4. 9. Deus ipse. Num. 14. 21. 28. 2. Deus testis est. 1. Thess. 2. 5. 10. seu testis est mihi Deus. Rom. 1. 9. seu sit mihi testis Deus verus ac fidus. Ier. 42. 5. seu testem Deum invoco in animam meam. 2. Cor. 1. 23. seu ecce in cœlis est testis meus. Iob. 16. 19. 3. Deus novit. 2. Cor. 11. 11. item Deus novit me non mentiri v. 31. 4. ecce coram Deo loqvor, non mentior. Gal. 1. 20. 5. Veritatē dico per Christū, nō mentior. 1. Tim. 2. 7. item, veritatem dico per Christum, non mentior, attestante mihi simul conscientia mea per Spiritum Sanctum. Rom. 9. 1. vel est veritas Christi in me. 2. Cor. 11. 10. hoc est, ait Beza, vobis ego per Christum verè affirmo, vel, nē censeatur esse in me Christi veritas. 6. absit mihi à Iehova, qva formula jurandi utimur in re aliqva neganda. 1. Sam. 24. 7. 1. Reg. 21.

703147

3. 7. ita faciat Deus mihi, vel tibi, & ita addat, & pergat, qva jurandi formula utimur in re aliqva affirmanda.

XXIX. *Quî interpretanda sunt verba juramenti seu quo sensu accipi debent verba juramenti?*

Verba juramenti: 1. in foro interno, seu cõscientiæ ita intelligi debent, sicut intelligit juranS, si fallere noluerit, (verba ergo juramenti sanctorum, n Davidis, Pauli, & modo vivẽtium ita intelligi debent, ut illi intelligunt, qvia illi nolunt eos fallere qvibus jurant (sed si fallere voluerit, ita verba juramenti intelligi debẽt, sicut intelligit ille, qvẽ fallere voluit, aut cui juravit. Verba ergo juramẽti Romani nõ ita debebãt intelligi, ut ille intelligebat; sed ut intelligebat Anthiochus, qvia Romanus volebat fallere Anthiochum. 2. in foro externo verba juramenti ita intelligi debent, sicut vulgò & cõmuniter ab omnibus intelliguntur: Nam cum Romanus ille sanctè promisisset Anthiocho Regi, se daturum mediam partem navium, (qvod Anthiochus intellexerat juxta morem & usum communem omnium gentium de totius classis parte media navium integratum) postea autem dimidiam singulatum navium dissectarum pattem exhibuit, pejeravit. l. 4. cas. 6. 22. q. 6. ubi etiam alias utiles qvæstiones videbis.

XXX. *Quis est perjurus, & quid est perjurium?*

Perjurium propriè loqvendo est, cum qvis contra

contra suam conscientiam jurat, vel sciens, volens discedit ab eo, qvod legitimè juravit, hoc est, perjurium propriè loqvendo est peccatum, cum qvis contra jus divinum naturale & scriptum, interposito juramento, aut asserit qvod certò novit vel putat se aliter habere: aut promittit qvod vel animo cogitat non præstare, vel & si quum juraret cogitaverat facere, postea tamen, qvum possit & debeat, non præstat. Additur propriè loqvendo: qvia pejerare non est, qvod vis falsum jurare; sed scienter falsum jurare; aut qvod ex animi sententia juratis, sicut verbis concipitur more nostro, id non præstare, cum possis & debeas, pejerare est. Dixi: 1. pejerare non esse, qvod vis falsum jurare: nam qvi non animo fallendi & non scienter juravit falsum, qvod putat verum esse, non pejerat. 2. sicut verbis concipitur more nostro, hoc est, juxta sensum verborum communiter à nobis intellectum: nam (ut dictum) cum Romanus ille sanctè promisisset Anthiocho Regi, se daturum mediam partem navium, (qvod Antiochus intellexerat juxta morem & usum communem omnium Gentium de totius classis parte media navium integratum,) postea autem dimidiam singularum navium dissectarum partem exhibuit, pejeravit. 3. præstare, qvum possis & debeas: nam qvi juravit se aliqvid facturum qvod per se malum non est, postea autem non potest præstare gravibus causis, vel divinitus impeditus, is non pejeravit; veluti qvum Apostolus Paulus sanctè promisisset se venturum Corinthum, postea autem non venit impeditus divinitus, neqvaqvam censendus est

703147

pejerasse. Perjurium est. 1. assertorium, qvum qvis interposito juramento asserit animo fallendi qvod certò novit vel putat se aliter habere. Species ejus duæ sunt: prima, est si qvis aut falsum pro vero juret sciens esse falsum, aut verum tanqvam falsum jurando neget, sciens esse verum. Secunda, est si qvis aut verum juret, putans esse falsum: aut falsum neget, putans esse verum. Hoc qvoqve perjurium peccatū est ex accidenti, qvia fit animo fallendi. 2. Perjutium promissorium est qvū qvis jurè jurando promittit qvod vel animo cogitat non præstare, vel etsi qvum juraret cogitaverat facere, postea tamen, qvum posśit & debeat, non præstat. Istius qvoqve duæ sunt species: prima, est qvum qvis jurè jurando promittit, qvod animo cogitat non præstare facto ipso. Secunda, est qvum qvis qvod ex animi sententia promiserat, illud mutata voluntate postmodum non præstat, qvum posśit & debeat præstare: velut qvum qvis vitæ redimendæ causâ latroni jurat certam summam pecuniæ se numeraturum, latrone nemini detecto; postea autem, ut pecuniam, qvam poterat numerare, retineat, rem aliis revelat. Istius speciei erat perjurium Sichemitarum, qvi Abimelecho juraverant fidelitatem & subjectionem, postea verò mutârunt voluntatem: item Israelitarum à Davide deficientium ad Absalonem. Utrumqve perjurii genus tùm assertorium, tùm promissorium duplex rursum est, nempe, vel privatum, vel publicum. Privatum, est qvod committitur contra juramentum privatim alicui præstitum. Publicum, est qvod committitur contra

contra juramentum publicè solenniter juratum, puta in judicio vel in homagii solennis exhibitione, qvæ fit à subditis Magistratui. Tale perjurium publicum fuit Sedechiæ Regis Iudææ, irritum facientis fœdus cum Nebucadnetzare Magno initum, spreto jure jurando ipsi in nomine Iehovæ præstito. Observa ergò. Omne perjurium sive assertorium, sive promissorium, sive privatum, sive publicum sit, diligenter cavendum est. Patet. 1. an ita sit ex exemplo Pauli verè, non falso jurantis. Rom. 9. 1. 2. Cor. 11. 31. Gal. 1. 20. 2. Cur ita sit. 1. qvia perjurium seu juramentum falsum prohibetur. Exod. 20. 7. Zach. 8. 17. Matth. 5. 34. Iac. 5. 12. 2. qvia per perjurium profanatur nomē Dei, qvod sanctum esse debet. Lev. 19. 12. 3. qvia perjurium Deus gravissimè ulcisci solet. 1. Reg. 8. 31. 32. Malach. 3. 5. Exemplum est in Sedechia Rege Iudææ. Ezech. 17. 4. qvia perjurium est signum maximæ corruptionis inter homines regnantis, ut colligitur ex. Ier. 5. 2. & 7. 9. 5. qvia falsum juramentum damnatur in muliere adultera, qvæ sistebatur coram Sacerdote, & adjurabatur ab eo. Num. 5. 21. 27. Iudæis. Ier. 5. 2. Israelitis decem tribuum. Hos. 10. 4. Petro. Matth. 26. 72. 74. Correctio. Ergò peccat, qvi eum ad jurandum inducit, qvem novit, aut vehementer suspicatur, falsum juraturum. l. 4. cas. c. 22. q. 12. 13. Dehortatio. Fugiamus ergò perjurium ob dictas rationes.

703147

XXXI. *Iuramentum promissorium hostibus, latronibus, piratis datum, tenemurne servare?*

Iuramentum promissorium licitum, iisdem circumstantiis manentibus, etiam hostibus, latronibus, piratis factum, servandum est. Additur: 1. licitum: qvia juramentum illicitum factum latronibus, qvale est juramentum ab illis extortū, de aliqvo peccato, ut incendio faciendo, homicidio, & simili, committendo, nō est servandum, ut dictum supra. 2. iisdem circumstantiis manentibus: qvia si latrones juramenti conditiones violaverint, ut si dicto loco, & tempore non comparuerint, te salvum nō dimiserint, ad locum præfixum non comitati fuerint, &c. juramentum promissorium, de redemptionis precio solvendo, ipsis factum, non teneris servare. 3. etiam: qvia juramentum promissorium licitum non tantum latronibus, sed etiam probis servandum est. Patet. 1. an ita sit. Psal. 15. 4. 2. Cur ita sit. 1. si enim personarum, &c. hoc est, qvia licet adeoqve non est peccatum, latronibus jurare: Ergò peccatum est juramentum iis præstitum non servare, qvia Deus juramentum licitum servare jubet, Num. 30. 2. 2. qvia in juramento etiam latronibus præstito D E I nomen facimus nostrum vadimonium. 3. qvia latronibus & simplex promissio servanda est, secus enim mentitis, qvod non licet: Ergò multo magis servanda est promissio juramento confirmata. 4. qvia non servans juramentum latronibus præstitum non reveretur nomen Dei, qvia eo abutitur ad mendacium confirmandum. 5. qvia in juramento latronibus facto obligamur Deo ad pœnā: si sciens, volens, fallam latrones. Correct. Ergò perjurio peccat. 1. captivus dominum suum, in cujus fidelitatem juravit, vel occidens, vel damno afficiens, vel clam relinqvens, ut multi Ungari. 2. Homo vitam suam à latronibus juramento de certa summa pecuniæ danda præstito, redimens, & promissam sub juramento pecuniam iis non solvens.

XXXII. Obj. præoce: Iuramentum promissorium, de redemptionis precio solvendo metu gravi exortum caret consensu, nihil enim est tam contrarium consensui, qvam vis & metus; & in injuria nullum jus fundatur: Ergò juramentum tale non obligat, seu non est servandum. Resp. 1. In tali juramento nō deest consensus; qvi jure naturali ad substantiā actūs est necessarius, qvi enim metu cōsentit, absolutè volūtarie cōsentit, secūdū qvid involūtarie. Bec. sch. de jur. q. 5. 2. Duplex est in juramēto promissorio obligatio, una homini, altera Deo. Iā, qvāvis injuria facta tollat obligationē respectu hominis injuriā inferētis, qvoniā in injuria nullū jus fundatur; manet tamē obligatio Deo facta, qvæ sine irreverentia & injuria Dei, non potest & admitti, & insuper haberi. Amesius. l. 4. cas. c. 22. q. 9. resp. 1.

XXXIII. *Licetne à pueris qvatuordecim annis minoribus juramentum exigere?*

Non. Patet. 1. an ita sit. Ne assumas Dei nomen in vanum, hoc est, usurpes nomen Dei

703147

reverenter, sanctè, qvod pueri ante annos pubertatis, seu qvatuordecim annos facere non possunt. 2. cur ita sit: qvia nondum habet perfectum usum rationis, qvo possunt juramenti naturam intelligere (qvod scil. in eo sit cultus Dei religiosus, & finis ejus sit lites inter homines dirimere) & eum reverentia debita juramentum præstare, ut non peccetur. Simile judicium ferendum est de amentibus, & furiosis. Refutatio. Ergò peccant Scholastici contra sentientes. Thom. 2. 2. q. 89. art. 10. Confectio. Ergò peccant Iudices, qvi à pueris ante annos pubertatis juramentum exigunt, fortè imitati Turcas dicere solitos: puerorum testimonia semper vera esse.

XXXIV. Gravi causâ postulante, petere juramentum ab eo, qvi juraturus est per falsos Deos, estne peccatum, seu licetne Christiano homini juramentum exigere ab eo, qvem scit per idola juraturum?

Sic. Patet. 1. an ita sit ex exemplo Iacobi, cui licuit, necessitate postulante, à Labane per idola jurâte, juramētū petere. Gen. 31. 53. 2. Cur ita sit. 1. Qvia perversitas juramēti ab eo cui juratur nō respicitur, sed cōfirmatio testimonii, & fidei datæ. 2. qvia uti malo, ad bonū, nō est per se malum. 3. qvia non tàm perversitate juramenti, qvam communi ejus natura utitur ille, qvi postulat simpliciter jusjurandum, non tale jusjurandum. l. 4. cas. c. 22. q. 14. Informatio. Ergò magna necessitate exigente, licebit reformatis à Turcis, Tartaris, Iudæis, Pontificiis, Valachis, Attinganis, &c. juramentum petere. Obj. Non licet per falsos Deos jurare, ut dictum ad th. 9. Ergò non licet uti juramento illius, qvi per falsos Deos jurat. Resp. Conseq. negatur, propter dictas rationes.

XXXV. Licetne judici accusatum, seu reum admittere ad juramentum purgationis, qvo semetipsum à crimine, qvo accusatur purget?

Iuramentum est purgationis, vel accusationis. Iam, juramentum, &c. hoc est, si aliqvis aliqvem furti, vel simili peccato accuset, & sufficienter probare neqveat, judex accusatū, liberè se juramento à peccato purgare volentem, ad juramentum purgationis admittere, & postea pro innocente habere tenetur. Additur: 1. Sufficienter: qvia reus vel infamis ita debet ad juramentum purgationis admitti, si ejus infamia vel peccatum ex certis argumentis colligi, & plenè probari non possit. 2. Liberè: qvia infamis vel reus ita ad juramentum purgationis admitti debet, si liberè jurare velit, eo enim nemo debet cogi. Patet responsio. 1. an ita sit. Exod. 22. 11. Sic. Hebr. 6. 16. 2. Cur ita sit: 1 qvia potest qvis alium à crimine objecto suo juramento purgare, seu liberare: Ergò & seipsum. 2. qvia purgationis juramentum Deus ipse præscribit, citatis locis. 3. qvia si ante plenam probationem non licet cuiqvam suum peccatum fateri, licet suam innocentiam. 4. qvia nemo debet in Ecclesia teneri,

703147

teneri, vel vivere, sub suspicione. Correctio. Ergò peccant: Iudices, qvi 1. reo satis convicto, adeoqve non vetè juraturo, ob hunc vel illum respectum, juramentum purgationis offerunt 2. reum non satis convictum ad juramento se purgandum cogunt.

XXXVI. Quantùm obligat juramentum simplex?

Iuramentum est duplex: simplex, qvod fit verbis, sine ritu aliqvo, ut cum dicimus: Deum testor hoc feci, vel faciam: vel compositū, qvod fit verbis, cum ritu aliqvo, ut cum manū elevamus, & dicimus, Deum testor feci vel faciam. Iam, juramentum simplex æqvè servandum est atq; cōpositū. Patet. 1. an ita sit ex exemplo Davidis, Psal. 15, 4. Sic. Num. 30. 2. 2 Cur ita sit: 1. Qvia qvodlibet juramentum licitum servandum est, ut dictum ad th. 20. 2. Qvia juramentum obligat & servandum est non propter ritum; sed propter reverentiam Dei in testem vocati. Exhortatio. Ergò æqvè servemus juramentum simplex, seu ritu carens, atqve compositum, seu cum ritu conjunctum: David enim æqvè servavit juramentum simplex. Psal. 119. 106. atqve servus Abrahami solenne. Gen. 24. 2. Becan. schol. de jur. q. 2. c. 3.

XXXVII. 1. Qui sunt ritus in juramento observati?

1. Apprehensio vel elevatio manus (qvo gestu qvasi monstratur Deus, qvem in testem invocamus, & per qvem juramus) Exemplum est in Abra-

in Abrahamo, Gen. 14. 22. in Deo ipso. Exod. 6. 8. Num. 14. 30. Deut. 32. 40. Nehem. 9. 15. Psal. 106. 26. Ezech. 20. v. 5. 6. 15. 23. 28. 42. & 36. 7. & 44. 12. & 47. 14. in Angelo creato, Dan. 12. 7. (qvo loco jurat Angelus sublata utraqve manu, dextera & sinistra, ad majorem confirmationem rei, de qva agebatur, qvoniam res erat magni momēti, qvæ qvasi duplici jurejurando confirmabatur, alioqvi, ut plurimùm, in juramento sola manus dextera tollebatur) in Angelo increato, nempe Christo. Apoc. 10. 5. Hinc, levare manū suā ad Deū vel ad cœlū metonymicè ponitur pro jurare. 2. positio manus sub femore ejus, cui aliqvid juramento promittitur, qvi ritus olim observabatur in juramentis, qvæ superiores exigebant à domesticis. Gen. 24. v. 2, 3. & 47. 29. 3. Tactus, & osculatio libri, qvæ in qvibusdam locis usurpantur. 2. Tactus & osculatio libri differtne ab elevatione, & apprehensione manūs? Non: significat enim utrúmqve nos velle jurare, & de facto jurare.

XXXVIII. Quid ergo significavit positio manus jurantium sub femore juramentum exigentium. Gen. 24. 2. & 42. 29?

Non significavit Christum verum Deum, & hominem, per qvem jurandum esset, ex femore ipsorum proditurum & nasciturum esse, ut qvidam asseruerunt; sed significavit subjectionem jurantium erga juramentum exigentes. Ravan de femore n. 1. & 2.

XXXIX.

703147

XXXIX. Quid est adjuratio?

Iuramentum est: 1. delatum, qvod ab aliqvo alteri defertur ad aliqvid invocato Dei nomine asserendum, vel promittendum. Estqvè. 2. Judiciale, qvod à Magistratu, seu Iudice, seu parte adversâ Judicialiter defertur; qvando ex aliis documentis veritas causæ alicujus liqvere non potest. Vocatur etiam juramentum publicum & solenne. De eo sermo est, Hebr. 6. 16. Exemplũ causatũ in qvibus juramentum judiciale defertur. Exod. 22. 8. 11. 2. extrajudiciale, qvod extra forensem, seu judicialem actionem à qvopiam juratur. 2. spontaneum qvod fit ad asserendam gloriam DEI & promovendam aliorum salutem, non delatum ab alio, sed spontè, qvum necessitas & vocatio nostra exigit, ut Deum testem allegemus, nos vera dicere, ut Paulus fecit. Rom. 9. 1. Iam, adjuratio est juramentum delatum, qvo per Deum. 1. exigimus ab aliqvo juramentũ, qvo se ad aliqvid faciendum obstringat. 2. aliqvem citra juramenti exactionem ad aliqvid vel mandando vel rogando obstringimus. V. g. Gen. 24. Abrahamus servum suum adjuravit, id est, exegit ab eo juramentum, ut non acciperet uxorem filio suo de filiabus Cananæorum, sed ex cognatione. Sic. 1. Reg. 2. Rex Salamon adjuravit Semejum per Iehovam ne egrederetur huc vel illuc. Ergò ut noster dicit propriè: 1. adjurare est alium adducere ad jurandum, id est, mandare alicui, vel rogare aliqvem, ut propter reverentiam Dei, qvem nominamus, juret, id est, Deum in testem

testem vocet, & sic asserat, vel promittat qvod ab ipso petimus; & simul contrafacienti explicitè, vel implicitè imprecari. Sic adjuramus cum dicimus: per Deum te adjuro, jures, & & sic asseras, vel promittas, qvod à te peto; si non feceris Deus, per qvem adjuro, te puniat, quod ipsi gloriam non tribuas. Sic adjuravit Abrahamus servum suum. Gen. 24. 18. 41. Iacob Iosephum. Gen. 47. 31. cum 29. & 50. 5. Iosephus fratres. v. 25. Exod. 13. 19. Saul populum. 1. Sam. 14. 25. Salomon Semei. 1. Reg. 2. 42. Nebucadnezar Sedeciam. 2. Chron. 36. 13. Esdras Iudæos. Esd. 10. 5. Nehemias primores Iudæorum. Neh. 5. 12. 13. 2. adjurare est alium adducere ad religionem illam, qvæ est in juramento, id est, mandare alicui, vel rogare aliqvẽ, ut propter reverẽtiã Dei, qvẽ in juramẽto nominamus, sine juramento asserat, vel promittat, qvod ab ipso petimus, perinde ac si juraret; & simul contrafacienti explicitè, vel implicitè malum peccati. Sic adjuravit Sacerdos mulierem. Num. 5. 21. Caiphas Christum. Matth. 26. 63. Paulus Thessalonices. 1. Thess. 5. 27. Iosue Achanem. Ios. 7. 19. Achab Michæam. 1. Reg. 22. 16. Sponsa filias Ierusalem. Cant. 2. 7 Dæmon Christum. Marc. 5. 7. Pharisæi cœcum natum. Ioh. 9. 24. ubi qværes, licetne hominem adjurare? Sic, ut ex exemplis adjurantium patet. Obj. Non licet jurare: Ergò nec adjurare. Resp. Antecedens falsum, ut dictum, ad th. 25. Thom. 2. 2. q. 90. art. 1.

703147

XL. Quorum est adjurare ?

Maximè propriè est eorum, qvi jus habent exigendi ab aliis juramentum, id est, superiorum. Patet. 1. an ita fit ex exemplo Abrahami, Iacobi, Salomonis, Pauli. 2. Cur ita fit: qvia adjurare propriè loqvendo est mandare, imperare alcui per nomen Dei, ut juret; vel sine juramento asserat vel promittat: imperare autem maximè proprie est superiorum. Institutio. Superiorum est adjurare: Ergò parentes filios, Domini Servos, Præceptores Discipulos, &c. adjurare debent. Informatio. Superiorum est ajurare maximè propriè: Ergò, minùs propriè adjutant & inferiores suos superiores, ut filii parentes, servi dominos, subditi Magistratus, discipuli præceptorem; & pares se invicem, ut parens parentem, Filius filium, Dominus Dominum, servus servum, &c. Differt enim adjuratio superiornm, ab adjuratione inferiornm & parium: qvia superiores adjutât suos inferiores mandando; imperando: inferiores verò adjurant suos superiores, pares inter se invicem, obtestando, id est, supplicando, rogando.

XLI. Liceine Dæmones edjurere ?

Dæmones adjurare nemini ordinariè licet. Additur, ordinariè: qvia extraordinariè aliqvibus adjurare Dæmones licuit, ut discipulis Christi, qvi specialem Dæmones adjurandi potestatem à DEO acceperant. Matth. 12. 27. Patet 1. an ita fit, Esai. 3. 20. 2. Cur ita fit: 1. qvia Dæmones adjurare, est eis imperare, ut propter nomen Dei aliqvid agant: At nemo ordinariè potest Dæmonibus imperare, iis enim solus Deus & Angeli boni possunt imperare: Ergò eos ordinariè nemini adjurare licet. 2. qvia nemini licet necromanticis incantationibus Dæmones invocare per nomen Dei: Ergò Dæmones adjurare nemini ordinariè licet. Ratio consequentiæ, qvia per nomen Dei necromanticis incantationibus Dæmones invocare, est eos adjurare. 3. qvia qvi adjurat aliqvem, ex hoc ipso aliqvam Societatem cum ipso facit: At non licet cum Dæmonib' societatē facere, 1. Cor. 10. 20. Ergò ordinariè nemini licet Dæmones adjurare. Refutatio. Ergò errant Pontificii & Lutherani Dæmones adjurantes. Obj. Pontif. Per nomen meum Dæmonia ejicient. Marc. 16. 17. Ergò licet Dæmones adjurare: qvia per nomen Dei Dæmones ejicere, est eos adjurare. Resp. Conseq. negatur: qvia hoc dicitur de discipulis Christi extraordinariis. Thom. 2. 2. q. 90. art. 2.

XLII. Liceine baptizandos exorcizare, seu adjurare, ut ex iis Diabolus expellatur ?

Non licet. Obj. Pontif. Luth. Patres olim exorcizabant baptizandos, seu adjurabant: Ergò licet Dæmones & hodiè adjurare. Resp. Conseq. negatur: qvia Patres hoc fecerunt superstitiosè. Observa ergo. Exorcismus, qvi est adjuratio Diaboli in baptismo; qva, facto crucis signo, jubetur Spiritus malus exire ex infantibus, & locum cedere Spiritui Sancto, his verbis: Exi impure spiritus, & locum ce-

703147

de Spiritu Sancto, non est legitima baptismi ceremonia. Patet. 1. an ita sit ex exemplo discipulorum Christi, baptismo exorcismum nunqvam præmittentium. 2. Cur ita sit: 1. Qvia non est institutus à Christo: Atqvi Sacramentis non affigendæ, & affingendæ ceremoniæ pro arbitrio hominum. 2. Qvia verus exorcismus in adjurante reqvirit fidē miraculorū, seu donum faciendi miracula: qvod vendicare sibi adversarii non possunt. 3. Qvia est ceremonia vana, qvæ effectu caret. 4. Qvia est ceremonia ludicra, qvâ Exorcistæ colloqvuntur cum Satana, de cujus præsentia ipsis nō cōstat. 5. Qvia est ceremonia mendax, qva arrogant sibi Exorcistæ imperium in dæmonem, qvod tamen non habent, & falsò traducunt infantes Christianorum, qvasi à Diabolo sint obsessi: cum tamen sæpè Diabolus plus habeat juris in exorcistam, qvam in infantem baptizandum. 6. Qvia est ceremonia impia, conjuncta cum nominis divini abusu. Refutatio. Ergò errant Pontif. & Luth. contrasentientes. Obj. Exorcismus viguit temporibus Apostolorum, & ab iis est usurpatus. Ergò & jam in baptismo usurpari debet. Resp. 1. Ad antecedens: viguit temporibus Apostolorum exorcismus, sed non tanqvam ceremonia aliqva baptismi, neqve adhibitus fuit infantibus, sed adultis, qvi corporaliter erant obsessi; nec corporaliter obsessi admittebātur ad baptismū, nisi postqvā essent liberati. 2. Conseq. negat. qvia tēporibus Apostolorū & in Ecclesia primitiva viguit donum edendi miracula: qvo pertinebat qvoqve potestas ejiciendi ex obsessis Dæmones malos:

malos: Hoc verò donum jam in Ecclesia amplius nonviget. Vend. l. 1. c. 22. th. 16. expl. 3.

XLIII. *Res inanimatæ, ut aqua lustralis, templa, campanæ, &c. sunt-ne adjurandæ, seu exorcizandæ?*

Res illas inanimatas adjurare, seu exorcizare, ut exinde virtus inimici, seu Diaboli pellatur, & virtutem spiritualem, per qvam aptæ reddantur divino cultui, adipiscantur, est eas superstitiosè incantare, qvod supra c. 8. ad th. 28. & seqq. satis damnavimus. Thom. 3. p. q. 83. art. 3. ad 3. Observa ergo. Nec res inanimatas, nec irrationales adjurare licet. Patet. 1. an ita sit exemplis sanctorum, qvi res tales nunqvam adjurasse leguntur. 2. Cur ita sit. 1. Qvia adjuratio talium rerum est superstitiosa incantatio. 2. Qvia non intelligunt adjurationem. 3. Qvia illas nec deprecando adjurare possumus, qvia non sunt dominæ suorum actuum; nec compellendo, qvia non est nostrum creaturis irrationalibus imperare, sed solum illius, de qvo dicitur. Matth. 8. qvia mare & venti obediunt ei. Ergò nullo modo eas adjurare licet. Refutatio. Ergò errant pontificii, res inanimatas & irrationales adjurantes. Thom. 2. 2. q. 90. art. 3.

XLIV. *Licetne Iudici reum adjurare, ad semetipsum accusandum de crimine objecto?*

703147

Non licet Iudici accusatum adjurare, seu illi juramentum accusationis deferre, quo semetipsum de crimine objecto accusare cogatur. Patet. 1. an ita sit. Deut. 19. 15. 2. Cor. 13. 1. 2. Cur ita sit. 1. qvia nullum fundamentum habet in scripturis. 2. qvia legi naturæ adversatur, qvia est contra naturam, ut qvis sibi pœnam accersat. 3. qvia sic plerisqve adducerentur ad pejerandum. Correctio. Ergò male facit. 1. Iudex, qvi à reo exigit juramentum de crimine ipsi objecto. 2. Reus, qvi semetipsum accusat. Obj. 1. Adjurare licuit uxorem suspectam. Num. 5. 19. Respondeo hoc singulare institutum, extraordinariæ dispositionis, propter duritiem cordis Iudæorum concessum, sicut repudium non adulteræ, l. 4. cas. c. 22. q. 15. resp. 5. Admonitio. Ergò. 1. deficientibus testibus & probationibus ne vexet judex reum. 2. occulta peccata ne perscrutemur. Iudex enim judicare tenetur de solis liqvidis: judicabit Deus de occultis. 3. ne unqvam testibus deficientibus fatearis peccata tua Iudici.

XLV. Adjuratio indefinita de respondendo ad omnia interrogata esse simpliciter admittenda: V. g. si Magistratus hostis veræ religionis deferat alicui orthodoxæ religioni addicto juramentum, quo eum obstringat, ut veritatem dicat de omnibus rebus de quibus interrogatus fuerit, an juramentum tale præstare & ad om-

ad omnia interrogata quæ novit, respondere teneatur?

Juramentum præstare potest, sed addita expressè exceptione; nempe, se de omnibus dicturum veritatem, & de omnibus responsurum, exceptis iis, ad qvæ respondendo peccaret adversus gloriam Dei & charitatem in Deum & proximum: V. g. si per juramentum interrogaretur, qvinam præter ipsum sint ejusdem cum ipso religionis? qvibus in ædibus, & qvando conventus instituti sint aut instituantur concionum causâ? ad talia rogata respondere non tenetur, neqve enim bonâ conscientiâ potest: qvia respondendo peccaret contra gloriam Dei, præjudicium enim adferret divinæ religioni, cujus exercitium etiam clandestinum impediretur: peccaret contra charitatem in Deum & proximum; proderet enim & in difficultates magnas conjiceret fratres, qvorum incolumitati etiam cum facultatum & vitæ suæ dispendio consulere debet.

CAPUT XI.

De Sorte.

ANALYSIS.

SOrs explicatur. I. A definitione, th. 1, II. A ratione, cur sors dicatur petitio. th. 2. III. A ratione, cur sors dicatur. 1. contingentia. th. 3—5. 2. contingentia mera. th. 6. IV. A moderatore sortis ex th. 3. & 6. allato. th. 7. qvi. 1. confirmatur tùm cur ita sit.

703147

th. 8—13. tùm an ita sit th. 14. qvod proleptice confirmatur. th. 15. qvod ab objectione liberatur. th. 16. 2. usu duplici correctorio illustratur, qvorum primus. th. 17. deponitur: qvi. 1. usu correctorio illustratur. th. 18. 2. confirmatur. th. 19. 3. ab objectionibus liberatur. th. 20—26. 3. ab objectionibus vindicatur. th. 27—28. Secundus verò th. 29. habetur, qvi sonat de modo; qvo ludus alea religioni adversatur: cujus ludi aleæ notatur: 1. convenientia cum aliqvibus ludis. th. 30. 2. differentia à qvibusdam ludis. th. 31. cujus differentiæ rationes redduntur. th. 32—34.

EXPLICATIO.

I. Quid est sors?

Sors est petitio. &c. hoc est, sors est petitio divini testimonii manifestandi per determinationē eventus, seu casus sortis (ut jactus aleæ globuli, tesseræ, chartæ, vel alius alicujus materiæ notatæ) ad controversiam aliqvam dirimēdam; vel, sortem mittere, est Deum petere ut sortem missam, tanqvam meram contingentiam, id est, in se, & respectu nostri, merè contingentèr, huc vel illuc cadentem, in hanc vel illam rem, vel personam dirigendo testetur, cui velit hoc, vel illud assignare, ut sic controversia inter nos de divisione rerum, & munerum ortæ definiatur, & dirimatur, sors enim est res in humana dubitatione voluntatem Dei indicans, ut Augustinus definit. V. g. Act. 1. 23. controversia fuit, an Barsabas, vel Matthias debeat in Apostolatu Judæ proditori succedere, qvæ

qvia aliter Apostoli definire non possunt, sortem mittunt, in se, & respectu ipsorum, æqvè cadere valentem super Barsabam, ac super Matthiam; sed eam Deus cadere fecit super Matthiam, adeóqve Matthias successit in Apostolatu Judæ proditori, & sic controversia illa finita fuit, nec amplius qvæsitum ab Apostolis fuit, an Barsabas vel Matthias succedere debeat Judæ proditori in apostolatu? Ubi est sortis 1. genus: 2. petitio: cujus notatur objectum, qvod petitur, 3. manifestatio divini testimonii: cujus manifestationis notatur modus, 4. determinatio eventus in mera contingentia, id est, directio sortis missæ, 5. finis, 6. controversiæ alicujus diremptio.

1. Sors est petitio Dei voluntatis manifestādæ: Prov. 16, 33. A Iehova est directio sortis: Ergò ab ipso petitur. 2. Sors est mera contingentia: ibidē: in gremium conjicitur sors. th. 14. 3. Sortem missam Deus dirigit huc vel illuc: qvod patet tùm an ita sit. Prov. 16. 33. In gremium (seu sinum ex ora vestis factum; vel urnam, galeam, pileum, &c.) conjicitur sors, id est, mittitur sors, à Iehova autem est totum judicium ejus, id est, Deus dirigit huc vel illuc: tùm eur ita sit. th. 7. & seqq. 4. Finis sortis mittendæ est determinatio, finitio, diremptio controversiæ, qvæ aliter determinari non potest. Patet. 1. an ita sit. Prov. 18. 18. Contentiones cessare facit sors, & inter robustos dirimit, id est, sors est medium, qvo divinitus dijudicantur, & componuntur controversiæ, qvæ aliter ab hominibus dijudicari, & cōponi non possunt. 2. Cur ita sit. 1. Qvia

Deus

703147

Deus instituit sortem in hunc finem. Prov. 18. 18. Contentiones cessare facit sors, id est, Deus sic ordinavit, ut sors controversias dirimat; ideò voluit etiam Cananæam sorte divisam, ut inter Israelitas controversiæ ne orirentur; vel ortæ decideretur. 2. Qvia verbum Dei decidit controversias: At sors est verbum Dei visibile, ut etiam sacramenta, ut Augustinus inqvit, est enim sors institutio Dei: Ergò sors est medium controversias dicidendi, & decisio controversiarum est finis sortis. 3. qvia testimonium Dei decidit controversias: At determinatio eventus sortis missæ manifestat Dei testimonium: Ergò sors est medium controversias decidendi. Refutat. Ergò sors nō est medium lucrandi, ludendi, qvæstum faciendi, &c. ut aleatores, & sortilegi volunt. Correctio. Ergò peccant qvi sortem mittunt ad divisionē controversiæ, qvam multis aliis modis definire possent.

II. Sors qvare vocatur petitio?

Petitionem dicimus, &c. hoc est, sors ideo dicitur petitio, th. 1. qvia directionē suam, adeoq; cōtroversiæ decisionē à Deo exspectat, adeoq; ab ipso petit, quia id expectamus à Deo quod ab ipso petimus. Observa. 1. Sors est oratio. Patet. 1. an ita sit. Non habebis Deos alienos, id est, sortis directionem à me ores. 2. Cur ita sit: quia est petitio, sors enim suâ natura petit, ut se ab hominibus projectâ, Deus certò dirigat in hanc vel illam rem, vel personam, & sic manifestet hominibus quid velit, ne de hac vel illa re huic-

huic, vel illi adsignanda amplius dubitent: At petitio est pars orationis. Informatio. Ergò sors est cultus DEI religiosus. Institutio. Ergò sors. 1. reverenter mittenda est. Ios. 18. 6. 8. 10. 2. & in rebus arduis, & seriis usurpanda est.

2. Licet sors præreqvirat etiam orationem mentalem, & vocalem sortem mittentium; sed tamen ipsa non est oratio mentalis, vel vocalis; sed realis, ut qvodlibet bonū op', ut dictū supra c. 9. ad th. 62. Patet an ita sit: 1. Qvoad primū membrū. 1. Sam. 14. 41. Act. 1. 24. 2. Qvoad secundum membrum. Psal. 50. 23. & ex illis omnibus locis, qvibus Deus bonis operibus benedictionem promittit, & bona opera benedictiones impetrare asserit: horum enim utrúmqve orationi, seu petitioni convenit. 3. Sors non debet usitate freqventari; sed tantùm tunc, qvando humana infirmitas postulaverit, & gravis, ac justa causa subest. Patet. 1. an ita sit. Prov. 18. 18. Contentiones cessare facit sors: At contentiones non semper sunt inter homines: Ergò sortem etiam non debent semper usurpare: cessante enim fine, cessare debet & medium. 2. Cur ita sit. 1 qvia sortē humana infirmitas introduxit, ut dictū supra c. 10. th. 1 cū th. 2. 2. qvia sors non est in bonis per se appetendis. 3. qvia magna necessitate postulante debemus à Deo aliqvid petere: At sors est petitio, qvâ petimus, ut per determinationē sortis missæ evētū, seu casum manifestet testimoniū suum, ut nos illud videntes, eo, qvod nobis in distributione assignatum est, contenti simus, nec amplius de

eo con-

703147

eo contendamus. Correctio. Ergò peccãt 1. qvi sine ulla necessitate sortem mittant. 2. qvi necessitate postulante sortem mittere nolunt.

III. *Sors quare dicitur contingentia ?*

I. Qvia ita cadit huc, ut etiam possit huc non cadere. 2. ut eos refutemus, qvi sortem dicunt esse eventum, vel effectum aliqvem fortuitum. Sors ergo non est effectus fortuitus. Patet. 1. an ita sit. Prov. 16. 33. In gremium conjicitur (ex intentione scilicet) sors. 2. Cur ita sit :

IV. 1. Qvia est aliqvis effectus fortuitus, qvi tamen non est sors, ut inventio auri fodientis est effectus fortuitus, sed tamen non est sors : & vice versâ, est aliqva sors, qvæ tamen non est effectus fortuitus, ut avium volatus potest esse sors (possumus enim castra metantes excubitores sic sortiri, seqventi nocte excubet ille, qvem avis aliqva prætervoleverit) qvi tamen nõ est effectus fortuitus, qvia non est à causa aliena facultate agente, qvomodo agit fortuna ; sed est à causa sua facultate agente, avis enim sua vi producit volatum.

V. 2. Qvia effectus fortuitus est præter intentionem efficientis : At sors, ut jactus aleæ, non est præter intentionem efficientis, seu sortientis : Ergò sors non est effectus fortuitus. Refutatio. Errant ergò illi qvi sortem definiunt esse fortuitum alicujus rei eventum, seu effectum.

VI. Sors

VI. Sors quare dicitur contingentia mera ?

Contingentia est triplex, n. contingens. 1. sæpè, seu plerùmqve : sic contingit fœtum in caput nasci. 2. rarò, seu infreqventer : sic cõtingit fœtum in pedes, aut bicipitem nasci, diciturqve fortuita, casualis. 3. mere, seu æqvaliter se habens in utramqve partem, seu qvæ æqvè potest evenire, atqve non evenire, diciturqve incerta, dubia : Sic contingit sortẽ huc cadere, vel non cadere : Philosophum apud Principes, gratum futurum, vel non : Petrum doctum, ministrum, futurum, vel non, &c. Iam, sors est mera contingentia, qvia in contingentia sæpè & rarò cõtingente locus aliqvis relinqvitur conjecturæ ex arte ; sed contingentiæ meræ nullus. Possumus enim ex natura, & arte conjicere, cur fœtus nascatur in caput, vel pedes ; sed non possumus ex natura, & arte scire, cur sors projecta, cadat super lonam, non super nautam. Goeclenii lex. phil. sub dictione contingens.

VII. Quis dominatur in sortibus, seu quis dirigit sortem huc vel illuc ?

Non fortuna, seu causa fortuita ; sed Deus ipse, seu extraordinaria ejus providentia, modo nobis ignoto agens, vel fortuna illa cæca, qvæ à profanis hominibus facta est Dea, cœloqve locata : 1. Qvia sors non est fortuitus effectus, adeóq ; sortis causa non est fortuita aliqva causa, ut dictum. th. 3. 2. Qvia sors est mera contingentia (ut dictum th. 6.) qvam solus

703147

Deus potest dirigere, ut dicetur th. seq.

VIII. Patet Deum dirigere sortis casum. 1. quia in omni sorte quæritur controversiæ alicujus determinatio per meram contingentiã, ut jactum aleæ, vel alterius alicujus signi, in se, & respectu nostri planè indeterminatam : Ergò determinatio meræ contingentiæ ex natura ipsius rei semper exspectatur à Deo. Ratio consequentiæ, quia solus Deus potest meram contingentiam determinare, & ad suum finem dirigere : atque adeò re ipsa sortis usus est appellatio semper vel ad Deũ verũ ; vel ad fictũ aliquod numen, quod multi fortunam vocant : adeoque Deus dirigit sortis casum. Additur ex natura ipsius rei : quia sorte utentes non semper exspectant determinationem sortis à Deo, ut G. Voetius. P. Martyr de sorte dicunt.

IX. Obj. præcc. Sorte utentes non semper exspectant determinationem sortis à Deo : Ergò Theologi nostri errant, quod sortibus omnibus extraordinariam quandam providentiã Dei præesse doceant. Resp. Consequ. neg : quia dicunt hoc illi. 1. non respectu sorte utentium, quia illi directè talem providentiam Dei ad directionem sortis non semper exspectant. 2. non respectu Dei, quia Deus non semper extraordinariã suâ providentiã dirigit sortes ; Sed. 3. respectu sortis, quæ suâ naturâ directionem exspectat à singulari, & extraordinaria Dei providentia : quia sors est res merè contingens, quam sola extraordinaria Dei providentia potest determinare, & ad suum finem dirigere, ut dictum th. 8. Additur, directè :

rectè : quia etiam sorte utentes semper indirectè exspectant directionem sortis ab extraordinaria Dei providentia, quia utuntur ad controversiæ determinationem tali re, quam sola extraordinaria Dei providentia regere potest. l. 4. cas. c. 23. q. 3.

X. 2. Quia, in sorte ex omnium consensu judicium aliquod, n. directio casũs sortis, & controversiæ decisio exspectatur, sic enim loquimur, Iosue sorte Achanem punivit, Matthias sorte Apostolus factus est : At judicium illud non potest exspectari : 1. à sorte, sors enim, ut jactus aleæ, casum suum dirigere, & sic controversiam decidere nequit, quia mera cõtingentia, qualis est sors, seu jactus aleæ, per se inepta est ad controversiam aliquam determinandam. 2. à fortuna, quia fortuna judicanda à certa Dei providentia distincta nulla datur inter rum natura : Ergò necesse est, ut judicium illud in sorte à Dei providentia singulariter exspectemus : adeóque Deũs dirigit sortis casum.

XI. 3. Quia 1. ipsa mera contingentia, 2. sortis casus, non potest esse principalis causa decisionis controversiæ. 2. homo sortem mittens, sortis casum non potest ad controversiæ decisionem dirigere, est enim sortis casus ipsi mere contingens : Ergò necesse est, ut Deus dirigat sortis casum huc vel illuc ad controversiæ decisionem.

XII. 4. Quia, sicut homines controversiam aliquam decidere non valentes confugiũt ad superiorem aliquem, & ab illo petunt & exspectant controversiæ decisionem : sic, sors

703147

per se controversiam aliqvam decidere non valens, (eventus enim, seu casus sortis est merò contingens,) suâ naturâ confugit ad Deum, & ab ipso petit & exspectat sui casûs directionem, & consequenter controversiæ decisionem.

XIII. 5. Qvia, agens consilio, id est sciens, volens, seu propter certum finem, per certa media assequendum, actionem suam non potest subjicere, seu committere fortunæ, vel meræ contingentiæ, qva talis est. 1. qvia sic, agens consilio, seu scientèr, ageret nescientèr, nesciret enim, an per fortunâ, aut mediũ merè contingens finẽ suum assequi posset, vel non. 2. qvia sic, agens consilio determinaret aliqvid per medium indeterminatum, qvod fieri non potest: At sortem mittens est agens consilio: Ergò non potest actionem suam subjicere fortunæ, (qvam multi sortibus præesse docent) vel meræ contingentiæ (qvalis est sortis jactus & casus) qvâ talis est; sed singulari Dei providentiæ: edeóqve sortis casum singularis DEI providentia dirigit. Additur, qva talis est, qvia sortis casus in se est mera contingentia, & res indeterminata; sed respectu Dei est necessarium & determinatum controversiam aliqvâ determinandi medium.

XIV. Deus, seu extraordinaria, & singularis Dei providentia dirigit sortis casum huc vel illuc, ut dictum ad th. 7. Patet. 1. an ita sit Prov. 16. 33. ibi enim: 1. conjectio sortis in gremium, est mera contingentia, (qvia æqvè potest huc cadere atqve non cadere) qvam solus Deus potest huc, vel illuc certò dirigere, ut dictum ad th. 5. 2. sortis, seu signi in aliqvem

qvem locum conjecti judicium accuratâ discretione, seu differentiâ, à Iehova dicitur esse, vel pendere.

XV. Sortis judicium accurata discretione dicitur. th. 14. à Deo pendere, qvia sors aliter dependet à providentia Dei, qvàm alia, qvæ talem respectum non habent ad Dei providentiam: alia enim pendent à providentia DEI communi: sors vero à providentia Dei singulari, seu extraordinaria. Si ergo objicias, scriptura dicit omnia pendere à Dei providentia: Ergò sors non aliter dependet à providentia Dei, qvam alia omnia. Resp. Conseq. neg: qvia omnia pendent à Dei providentia communiter. Neh. 9. 6. Heb. 1. 3. Sed sors singulariter, & illa qvæ singularem respectum habeat ad providentiam Dei: ut hominis. 1. formatio. Iob. 10 33. 2. terminus vitæ. Iob. 14. 6. 3. cogitationes. Prov. 21. 1. 4. Sermo linguæ. Prov. 16. 1. 5. gressus. Psal. 37. 23. 6. lachrymæ. Psal. 56. 9.

XVI. Obj. præceo. Prov. 16. 33. Vox hebraica mispat non semper significat judicium; sed aliqvando etiam ritum, modum, legem, &c. Ergò locus ille non probat, qvod sortis casus à singulari Dei providentia pendeat. Ratio consequentiæ, qvia non omnia pendent illa à singulari Dei providentia, qvorum ritus, modus, lex, à Deo pendet. Resp. Conseq. neg: 1. qvia vox Hebraica mispat, semper rationem materiæ subjectæ debet accipi: At citato loco vox illa respectu materiæ subjectæ notat, non ritum, modum, legem, sed judicium: qvod hinc etiam patet, qvod sortibus judicium qvod-

703147

dam tribuitur ob omnibus, qvi earum naturam describunt; sors enim judicium facit inter litigantes, & Deus per sortem in judicio sedet.

XVII. Quî utendum est sorte?

Sapienter, id est, cum necessitas humana flagitat, & justa, ac gravis causa subest, ut dictum c. 10 th. 2. non temerè, id est, sine necessaria, ac justa causa, ut illi, qvi sortem adhibent in rebus. 1. ludicris, ut in lusu chartarum, alearum, taxillorum. 2. leviculis, ut in divisione pomorum, prunorum, &c. 3. In cõtroversiis illis: 1. quæ vanæ sunt, ut cum qværitur an Marcator, vel Sartor creandus sit Iudex. 2. qvæ per alia media ordinaria commodè dirimi possunt, ut cum qværitur, an ungarico bello protestantium, Lutheranus, vel Protestans præficiendus sit. Ratio, qvia directio sortis est à Deo, ut dictum th. 7. & seqq. Sicut Deus per lectionem consuluit, ut causæ leviores ab aliis Iudicibus judicentur, difficiliores verò Mosis cognitioni reserventur: sic Deus instituit, ut illa qvæ à nobis nullo modo dignosci possunt, ad ipsum per sortis missionem deferantur.

XVIII. Licita estne sors divinatoria, consultatoria, divisoria?

Sors divinatoria, divisoria, ordinariè est illicita; consultatoria nullo modo est licita: qvia sors non est adhibenda in controversiis illis, qvæ per alia media ordinaria commodè dirimi possunt, ut dictũ ad th. 17. At controversiæ de qvibus sors divinatoria, divisoria mitti solet, sæpè sine

sorte dirimi possunt: controversiæ verò de qvibus sors consultatoria mitti solet, sine sorte semper dirimi possunt. Observa ergo, 1. Sors consultatoria qvâ qværitur qvid sit de jurè, seu qvid sit licitum, & faciendum, nullo modo est licita. Patet. 1. an ita sit. Esa. 8. 20. Legem, & contestationem consulunto. Mich. 6. v. 8. Indicavit tibi ô homo qvid sit bonum. 2. cur ita sit: 1. Qvia verbum Dei est regula omnium faciendorum, & fugiendorũ. 2. Qvia verbum Dei perfectè indicat nobis qvid sit licitum, vel illicitum, adeóqve qvid facere vel non facere oporteat. 3. Qvia Deus voluntatem suam de faciendo, vel non faciendo nunqvam sorte revelavit. Admonitio: Ergò. 1. Ne unqvam mittamus sortem ad investigationem qvid sit de jure, qvid sit licitum, qvid sit faciendum. 2. Non sortem, sed scripturam Sacram consulamus de eo qvid sit licitum, seu qvid sit faciendum.

2. Sors divinatoria, qvâ qværitur, qvid sit factum, vel qvid sit futurum, non potest esse licita, nisi fiat ex revelatione divina. Patet. 1. an ita sit. 1. Sam. 15. 23. 2. Reg. 17. 17. & 21. 6. Deut. 18. 10. 2. cur ita sit: 1. qvia sors divinatoria est medium extraordinarium, adeóqve non potest ordinariè exerceri, neqve potest adhiberi absqve extraordinaria directione, sine temeraria tentatione DEI. 2. qvia sors divinatoria ordinatur ad occulta cognoscenda, qvæ soli Deo sunt relinqvenda. 3. qvia talis sors non est authoritate divina sancita. Admonitio. Ergò. 1. Ne sine inspiratione Dei sorte investigemus alicujus peccati ga-

703147

ti patrati Authorem. De occultis enim non tenetur Ecclesia judicare. Deinde, qvia nō sumus confirmati de eventu talis sortis, dubitante conscientia pœnitemus sorte convictum. 2. Ne sine inspiratione divina sorte investigemus eventum futurum, alicujus actionis, ut belli, peregrinationis, venationis, &c. 1. Qvia hoc est magnum peccatum. 1. Sam. 15. 23. 2. Qvia sors est medium illegitimum divinandi. 3. Qvia divinatio propria fuit Prophetis extraordinariis. Refutatio. Ergò errant qvi hanc sortem ordinariè licitam esse putant. Objo Iolua per hanc sortem investigat Authorem sacrilegii. Ios. 7. Saul Ionathanem reum violati interdicti regii. 1. Sam. 14. 41. Nautæ Ionam. Ion. 1. 7. Ergò hæc sors est licita. Resp. Conseq. negatur: 1. Qvia sortes illæ divinatoriæ fuerunt extraordinariæ, & speciales: non sunt ergò suscipiendæ, nisi ab iis, qvi singulari Dei instinctu de eventu salutari confirmantur, sicut in edendis miraculis. 2. Qvia Nautæ, & Saul peccarunt nimia curiositate, & superstitione. 3. Qvia Iosua ex instinctu divino misit sortem divinatoriam de sacrilegio. Inst. Eventum sortium, Nautarum, & Saulis etiam Deus gubernavit: Ergò non peccarunt. Resp. Conseq. negatur, qvia Deus solet peccatis qvoqve hominum uti ad suam gloriam, & electorum salutem. Thom. 2. 2. q. 95. art. 8.

3. Sors divisoria, qvâ qværitur, qvid, cui sit exhibendum, sive illud sit res possessa, sive honor, seu dignitas, seu pœna, seu actio, possessio licita, vel illicita, secundum circumstantias,

tias, qvibus vestitur. Patet. 1. an ita sit. Act. 1. 26. 2. Cur ita sit. 1. qvia licita est talis sors. Si fiat. 1. Exrecta intentione, directionē Dei exspectando. 2. Ex causa necessaria, qvia non invenitur melior modus difficultatem, ac dubitationem tollendi. 3. In materia congrua, ubi nullum est periculum injustitiæ: qvia talium qvæstionum decisionem habemus in verbo Dei. 4. Cum debita reverentia, ut admittatur id, qvod sors tuluerit, tanqvam ex divina voluntate profectum. 2. Qvia illicita est talis sors: 1. si fiat prava intentione, decisionem qvæstionis, vel à fortuna, vel ab alia aliqva causa, præterqvam à providentia divina exspectando. Qvia tùm vel est vanitas mera, vel superstitionem habet admixtam. 2. si fiat sine justa necessitate, aut prætermissis aliis ordinariis mediis providentiæ divinæ. Tùm enim temeritatem habet admixtam, & pertinet ad tentationem Dei. 3. si fiat indebito modo, sive cum fraude, sive absqve reverentia providentiæ divinæ. Exhortatio. Ergò sortem divisoriam bonis circumstantiis vestiamus. Ergò, 1. directionem sortis, seu cōtroversiæ decisionem à solo Deo exspectemus, &c. Dehortatio. Ergò malas circumstantias à sorte divisoria removeamus. Ergò. 1. decisionem controversiæ ne à fortuna exspectemus. 2. ne eam sine necessitate mittamus. 3. ne sine reverentia eam ducamus. Exemplo: 1. Israelitarum, qui in terra Cananæa illâ parte, qvæ fuit sorte ipsis assignata, cōtenti fuerunt. 2. Matthiæ, qui apostolatum sorte ipsi datum, non recusavit. Act. 1. 26.

3. Ex-

703147

3. Eorum qvi cum precibus sortem usurparunt. 1. Sam. 14. 41. Act. 1. 24.

XLX. Quare non adhibenda est sors in rebus ludieris, seu quare illicitæ sunt sortes lusoriæ, ut ludi chartarum, taxillorum, alearum?

Qvia sors (consensu omnium hominum) suâ naturâ habet sacrum usum, n. suâ naturâ consulit extraordinariam Dei providentiam, seu suâ naturâ petit, & exspectat directionem casûs sui, adcóqve controversiæ decisionem, ab extraordinaria DEI providentia: Ergò in lusu profano non debet adhiberi. l. 4. cas. c. 23. q. 8. cum l. 5. cas. c. 45. q. 6. resp. 4.

XX. Obj. præcc. Sors in civilibus illis conneversiis, qvæ minoris sunt momenti, ut in controversiis de animalium decimis. Lev. 27. 22. Sacerdotalium, ac Leviticarum, administrationum ordinibus. 1. Chron. 26. 13. 14. Luc. 1, 9. legitimè usurpata fuit: Ergò sortis usus in rebus levibus, & ludieris est licitus. Resp. Conseq. negatur: qvia qvamvis controversiæ illæ civiles, in qvibus locum habet sors, ex se se non sint graves, ex cõseqventib' tamẽ conjunctis, vel adhærentibus incommodis admodum graves redduntur: At controversiæ de rebus ludieris, & leviculis, nec ex se se, nec ex conseqventibus incommodis reddi possunt graves: Ergò usus sortis in rebus levibus, & ludieris non est licitus. Sic.

XXI. Controversiæ etiam de animalium decimis, Leviticarum administrationũ ordinibus, qvamvis ex se se graves non fuerint, conseqventer tamen valdè graves reddi potuissent, qvia gravia incommoda potuissent secum adferre, nisi divinâ sententiâ, seu sorte fuissent determinatæ.

XXII. Obj. præcc. Qvod naturâ suâ rebus levissimis maximè convenit, id rebus ludieris, & levibus licitè potest adhiberi: Atqvi è natura sortium apparet, qvod rebus levissimis maximè conveniant; qvia non licet ad sortes devenire, nisi tentatis omnibus ordinariis mediis ad definitionem rei; & sic diligentiâ nostrâ gravitas illa tollitur, ut minima difficultas supersit; & ut leve sit, qvod sorti committitur: Ergò sors rebus ludieris, & levibus licitè adhiberi potest. Resp. Assumptio negatur: probatio non valet: nam non semper conatu nostro peradhibita media difficultas qvæstionis removetur, & superatur. Aliqvando eam superari, sed tùm ubi gravitas, ita remota est, & qvæstio facile potest definiri, ad sortem deveniendum non esse. Beatus Schotanus à me de hac thesi consultus, sic formaliter respondit, & rescripsit.

XXIII. Obj. præcc: Sors sancta est non suâ naturâ, sed institutione, ut panis & vinum in Sacramento: Ergò ante sanctificationem possumus eâ uti in rebus ludieris, & leviculis, ut aqvâ, pane, vino ante sanctificationem Sacramentalem. Resp. Antecedens negatur: Sors suâ naturâ est sancta, ut juramentum, qvia est oratio; non institutione, ut aqva, panis, vinum in Sacramentis. Inst. Mera contingentia, n. projectio, & procidentia, ex qva sors constat, suâ naturâ non est sancta:

Ergò

703147

Ergò sors ipsa suâ naturâ non est sancta. Resp. Conseq. negatur: qvia licet contingentia illa, qvæ est qvasi materia sortis, non sit suâ naturâ sancta, sicut nec panis, nec vinum; in applicatione tamen ad suum usum, id est, cum in nomine Dei ad controversiam decidendam projicitur, sancta illicò redditur, sicut verba in juramento, aqva in baptismo, panis, & vinum in Eucharistia. Additur, qvasi: qvia sortis materia propriè est aliqvod corpusculũ signatũ, ut charata signata, &c. mera contingentia autem, n. conjectio in gremium, & procidentia, seu casus est tantùm ejus requisitum necessarium. Observa ergo. Natura ipsa sortis est sancta. Patet. 1. an ita sit. Prov. 16. 33. ubi director sortis est Iehova sanctus: Ergò & sors sancta est: qvia Iehova rem non sanctã seu impuram non potest aspicere. Habac. 1. 13. Sic. Prov. 18. 18. ubi finis sortis, n. decisio cõtroversiæ est sanctus: Ergò & sors ipsa est sancta. 2. cur ita sit. 1. Qvia sors est actus religionis, qvia est modus orationis. (est enim modus petendi) qvæ est actus religionis, ut dictum c. 9. & 10. th. 2. & 1. Ergò natura sortis est sancta: qvia actus religionis est sanctus. 2. Qvia sors est oratio, partim qvod oratione prævia mittatur, partim qvod à Deo petat, & exspectet suæ procidentiæ directionem: Ergò natura sortis est sancta: qvia orationis natura est sancta. 3. Qvia sors est medium, qvo divinitùs componuntur controversiæ, qvæ aliter ab hominibus componi non possunt: Prov. 18. 18. 4. Qvia sortis divisoriæ Author est Deus: Num. 33. 54. & 26. 55. Informatio.

Ergò

Ergò non opus est ut sors specialem sanctificationem accipiat ab institutione aliqva singulari, ut panis, & vinum in cœna Dominica, & aqva in baptismo. Admonitio. Ergò, 1. Sortem ne putemus esse rem profanam. 2. Sortem ne adhibeamus in devidendis bonis injustè partis, ut milites jecerunt sortem super tunicam insutilem Christi. Matth. 27. 35. 3. Sortem missuri sanctificemus, & purificemus animas, & manus nostras; qvia Deus peccatores non exaudit.

XXIV. Obj. præcc. Christianis liberum est uti Creaturis: Ergò Christianis liberum est uti sorte etiam in rebus ludicris, & leviculis. Resp. Conseq. neg: qvia Christianis liberum est qvidem creaturis uti ad illos fines, qvibus aptæ natæ, vel factæ sunt, ut Christianis liberum est uti vino ad corroborationem ventriculi; qvia vinum aptum natum est ad ventriculi corroborationem: At sors est creatura ad controversiam aliqvam determinandã apta per Deum, non per se; est enim mera cõtingentia (constat enim ex mere contingenti projectione, & procidentia) qvæ per se nullam habet aptitudinem ad qvæstionem aliqvam determinandam, res enim indeterminata, rem aliam indeterminatam non potest determinare: Ergò Christianis non est licitum sorte uti in rebus levibus, & ludicris, qvia illis (ut audis) ad finem, cui inservit, apta est non à se, sed à Deo. Addo per se: qvia sors, seu mera cõtingentia à singulari Dei providentia determinata apta fit ad controversiam aliqvam determinandam. Instantia. Sors, seu mera con-

703147

tingentia, ex se qvidem non habet aptitudinē ad controversiam aliqvam dirimendam; sed habet ex consensu eorum, qvi sortem ad aliqvā controversiam determinandam mittunt: Ergò sors habet in se aptitudinem ad controversiam aliqvam determinandam. Resp. Antecedens negatur: qvia sortem extraordinariam, qvæ à Deo pendere agnoscitur, de qva. 1. Sam. 10. Iosue. 14. & 15. non consensus sortem mittentium reddit aptam ad controversiam aliqvam dirimendam; sed specialis DEI providentia: Ergò nec sortem ordinariam, de qva. Prov. 18. 18. qvæ ab hominibus pendere agnoscitur, reddit consensus sortem mittentium aptam ad cōtroversiam aliqvam determinandam, sed providentia Dei singularis. Ratio consequentiæ, qvia tantus, & talis est cōsensus sortem extraordinariam mittentium, qvantus, & qvalis est cōsensus sortem ordinariam mittentium.

XXV. Obj. præcc. Sors est adiaphora, nec præcepta à Deo, nec prohibita, adeóqve in se nec bona, nec mala: Ergò licet nobis eâ uti etiam in rebus leviculis, & ludicris. Resp. Antecedens negatur: qvia in sorte est singularis ad divinam providentiam appellatio: qvod patet: qvia & sorte utentes invocant Deum, ut sortis missæ casum dirigat, & sors suâ naturâ usum illum cui inservit, ita est, determinationem controversiæ petit, & exspectat à Deo, ut dictum thesi. 22 cum th. 8. Observa ergo. Sortiri est bonum, non adiaphorem. Patet. 1. an ita sit. Num. 26. 55. ubi sortitio præcipitur. Sic. c. 33. 54. 2. Cur ita sit. 1. qvia Deus præcipit dictis locis. 2. qvia est Deum

Deum invocare, ut dictum. th. 1. 3. qvia habet finem, controversiæ finitionem nempe. Prov. 18. 18. Ergò non est adiaphorum, qvia actio adiaphora caret fine, ut dictum capite secundo. Refutatio. Ergò errant qvi sortem dicunt esse rem adiaphoram, seu mediam, cōmunem & indifferentem, seu rem qvæ in se nec bona est, nec mala. Admonitio. Ergò. 1. sortem ne putemus esse rem adiaphoram. 2. sortem agnoscamus esse rem bonam. Est enim in dubitatione humana indicium divinæ voluntatis: Est petitio divini testimonii: cōmunio cum Deo: appellatio ad Deum.

XXVI. Obj. præcc. Non est limitatum, qvâ actione adiaphorâ liceat ludere: Ergò licet sorte ludere: qvia sortem mittere est actio adiaphora. Resp. Conseq. negatur: qvia licet nō sit limitatū, qvâ actione adiaphorâ liceat ludere; tamē limitatū est, illâ actione nō licere ludere, qvæ singulariter ad cōmunionē cū Deo spectat: At sors ad cōmunionē cū Deo singulariter spectat: qvia est modus orationis, qvæ ad communionē cū Deo spectat, ut dictū. c. 8. th. 1. cum c. 9. th. 1. Deinde, ut dictum, sortis missio non est actio adiaphora.

XXVII. Obj. præcc. Si in sorte singularis ad providentiam divinam appellatio esset, seu si sors directionem sui casus, & controversiæ definitionem à singulari Dei providentia peteret & exspectaret, adeóqve sortis casum extraordinaria Dei providentia dirigeret, ut dictum. th. 25. cum th. 2. 7. 8. 9. 14. 19. sors sæpius iterata varium eventum habitura non esset, seu sors aliqvoties missa semper in unum

703147

locum caderet: At hoc falsum: Ergò & illud. Resp. 1. Conseq. negatur: qvia non omnis appellatio ad divinam providentiam infert necessariò secum singularem ejus operationem, hoc est, licet in sorte sit singularis ad divinam providentiam appellatio, divina tamen providentia non semper dirigit sortem, Deus enim non semper exaudit orationem sortem mittentium. 2. Assumptio negatur: sors enim si ritè posit iterari, varium eventū habitura non est. Si verò sors contra nefas iterata varium eventum sit habitura, mirum non est, qvia Deus variè aliqvando extra ordinem respondere solet iis, à qvibus tentatur, ut Bilhamo. Num. 22. 12. 20. ne ito cum illis: surge abi cum eis. Observa ergo. Sortem semel missam non licet iterare. Patet. 1. an ita sit. Prov. 18. 18. & 16. 33. & ex exemplo sorte utentium, qvi sortem nunqvam iteraſſe leguntur. 2. cur ita sit: 1. Qvia non licet improbare, qvod Deus probat: At illi qvi sortem iterant, improbant id qvod Deus per sortem probavit. 2. Qvia non licet dubitare, an sors à Deo sit directa, vel à fortuna, & casu: At qvi sortem iterant, dubitant, an sors directa sit, à Deo, vel à fortuna, & casu: Ergò. 3. Qvia non licet Deum tentare: At qvi sortem iterant Deum tentant, an constanter idem probaret per sortē, qvod priùs probaverat: Deh. Ergò. 1. sorte semel missā ne nunqvā iterare audeamus. 2. id qvod sors tulerit reverenter admittamus. 3. suffragia in certam personam directa nunqvam recolligamus. Exemplo sortientium, tùm. V. T. tùm N. T. qvi sortem nunqvam iterarunt.

XXVIII.

XXVIII. Obj præocc. Deus non potest à nobis pro arbitrio nostro ad providentiam extraordinariam in sorte exercendam adduci, seu sortem mittentes non possumus Deum impellere, ut sortis nostræ casum extraordinaria sua providentia dirigat huc vel illuc: Ergò in sorte ad extraordinariam divinam providentiā appellare non possumus, seu directionem casus sortis, & controversiæ decisionem à providentia Dei singulari exspectare non possumus. Resp. Conseq. negatur: qvamvis Deus à nobis pro nostro arbitrio non posit ad extraordinariam providentiam exercendam adduci, tamen nos possumus ad extraordinariam ejus providentiam, cum nobis libet appellare, hoc est, qvamvis sortem mittentes non possumus Deum permovere, ut sortis nostræ casum extraordinaria sua providentia dirigat huc vel illuc, tamen nos possumus Deum orare, ut hoc faciat. V. g. qvamvis Deus me ab hoc, vel illo morbo corporali, in præsenti vita, non liberet; tamen qvotidiè orare possum Deum, ut liberet.

XXIX. *Ludus aleæ qvi pugnat cum religione?*

Ludus aleæ pugnat cum religione non ex circumstantiis tantùm, seu peraccidens, qvatenus cum animi perturbationibus, dejerationibus, execrationibus, blasphemiis conjungitur; sed ex natura sua interna, seu per se: qvod sic patet: ludus aleæ est sors lusoria (qvia constat mera contingentia; ut sors) Ergò suâ natura pugnat cum religione. Ratio consequentiæ,

703147

qvis sors lusoria, sorte, qvæ est res religiosa, sen sacra (dirigitur enim à singulari Dei providentia, ut dictum th. 7. adeóqve suâ naturâ petit, & exspectat directionem sui casus, & controversiæ determinationem ab extraordinaria Dei providentia, ut dictum th 8.) ludit, contra vetus illud verbum: Non est bonum ludere cum sanctis.

XXX. *Qui ludi sunt similes ludo aleæ?*

Omnes illi ludi, qvi merâ contingentiâ nituntur, ut ludi chartarum, taxillorum, &c. adeóqve non tantùm ludus aleæ est sors lusoria, sed & ludus chartarum, taxillorum, & non tantùm ludus aleæ pugnat naturâ suâ cum religione; sed etiam ludus chartarum, taxillorum. Obj. præocc. Ludus chartarum, taxillorum, ingenio, & arte regitur: Ergò nomine aleæ ludus chartarum, taxillorum non comprehenditur. Ratio consequentiæ, qvia ludus aleæ ingenio, & arte regi non potest, qvia nititur merâ contingentiâ, qvæ sola singulari Dei providentia regi potest. Resp. Conseq. negat: qvia licet ludus chartarum, & taxillorum in progressu, arte aliqva regatur, tamen in principio merâ contingentiâ nititur: qvamvis enim chartæ pictæ divisæ arte à ludentibus producantur; tamen in divisione tales & tales chartæ merè contingenter tibi eveniunt.

XXXI. *Qui ludi sunt dissimiles ludo aleæ?*

Omnes illi ludi, qvi arte nituntur, ut ludus pilarum,

pilarum, globorum, lapidum, hastarum, sagittarum. 2. Sam. 1. 18. Obj. præoccupatur. Ludus pilarum, globorum, nititur casu: Ergò ludus pilarum, globorum, &c. non differt ab aleæ ludo. Resp. Conseq. negatur: qvia licet ludus pilarum, globorum, in progressu ex parte casu nitatur; tamen in principio arte nititur: qvamvis enim pila è manu versus scopum ejecta ex parte casu versus scopū tendat, tamen è manu versus scopum arte emittitur: Addo, ex parte: qvia ludus pilæ in progressu etiam ex parte arte nititur: pilæ enim versus scopum progressus pendet ab artificiosa ejus è manu projectione.

XXXII. *Quare differunt ludi pilarum, globorum, &c. ab aleæ ludo?*

1. Qvia ludus aleæ, chartarum, magis conjungitur cum furoribus, dejerationibus, execrationibus, blasphemiis, qvàm illi ludi; & illæ dejerationes, execrationes, blasphemiæ in illis ludis non à natura ludorum illorum pendent, dependet enim tantùm ab eorū circumstantiis, n. læsione, vel damno ludentiū; sed in ludo aleæ, chartarum, taxillorum dependent partim à natura ipsius ludi: qvia sorte sæpiùs iterata, & sæpiùs exspectationem fallente, potestatem illam, qvâ sortem moderari autumant, sibi putat adversari. Additur partim: qvia in ludo aleæ, chartarum, taxillorum peccata oriuntur etiam. 1. A Deo peccatū n. abusum sortis peccatis illis puniente, ut Magistratus sortis abusum non punientes, peccata ex illo abusu orta punire cogantur. 2. A consideratione bo-

703147

norum per istum ludum amissorum. 3. A Diabolo, de peccato, in peccatum inducere solente.

XXXIII. 2. Qvia ludis pilarum, globorũ, &c. iis ludentes finem imponere facilè possunt; sed ludi alearum, chartarum, taxillorum, iis ludentes aegrè finem imponere possunt; qvia illi, qvi in lusu sunt inferiores, nullam rationem habent de sorte svâ desperandi, atq; adeò persistunt in optati successus pertinaci exspectatione.

XXXIV. 3. Qvia in ludo aleæ, chartarũ, taxillorum, incommoda, & damna, n. percussiones, læsiones, vulnera, occisiones, temporis, pecuniæ, & aliarum rerum jacturæ, (qvibus ludi alii, n. ludi pilarum, jaculationum, reddi solent extrinsecè vitiosi) pendent ex parte à natura ipsius ludi; sed in ludo pilarum, globorũ, &c. incommoda, & damna illa, nullo modo pendent à natura ipsius ludi; sed à ludentium perversitate. Ratio: qvia ex natura illius ludi pendet perturbatio animi, insatiabilitas ludendi, & ineffabilis lucrandi cupiditas (ut dictum. th. 32. 33.) qvæ sunt causæ enumeratorum incommodorum, & damnorum. Additur: 1. qvibus ludi alii reddi solent extrinsecò vitiosi: qvia ludi, qvi recreationis causa instituti sunt, & sorte non constant, interne, & in se liciti sunt, sed eos incommoda, & damna conjuncta externè illicitos efficiunt: V. g. in se licitum est arcu ludere. 2. Sam. 1. 18. Sed si ludi causâ fiat, vel proximus lædatur, externè est illicitum. l. 5. cas. c. 45. q. 6. 2. ex parte: qvia incommoda, & damna in ludo aleæ pendent

dent etiam à Deo abusum rei sacræ, & nominis sui irreverentiam, taliter vindicare volente: & etiam à Diabolo, qvi incommodis & damnis afficit aleatores, seu sorte ludentes, ut eos ad blasphemandũ Deũ, qvi sortes regit, impellere possit. Observa ergo. Sors lusoria, seu ludus, qvi merâ fortunâ, & contingentiâ nititur, ut ludus alearum, chartarum pictarum, tabularum cum taxillis, est suâ naturâ illicitus. Patet. 1. an ita sit. Prov. 16. 33. Judicium sortis est à Iehova: Ergò ludus ille suâ naturâ est illicitus: quia ludit cum sorte, qvæ propter appellationem ad divinam providentiam à qva gubernatur, est res sacra, cum qva non licet ludere. 2. cur ita sit. 1. qvia sors ex natura sua specialem continet appellationem ad providentiam illam, à qva gubernatur, adeóqve est res sacra: verum autem vetus verbum, nõ est bonum ludere cum sanctis. 2. qvia istius modi ludus ex natura sua singularem occasionem præbet lusoribus variorum peccatorum: ut. 1. gravissimarum perturbationum, execrationum, blasphemiarum, propter adversam (ut appellant) fortunam. 2. immodicæ pertinaciæ incontinuatione ludi propter spem fortunæ melioris, cujus abjiciendæ causam nullam possunt videre. 3. jacturæ temporis, atqve etiam pecuniæ, nullo solido fructu inde cuiqvam redũdante. 3. qvia sors in se est medium voluntatem Dei explorandi, sors enim (ut dictum) est res in dubitatione humana divinam indicans voluntatem. Prov. 16. 33. At irreverentia est Per ludum illum, & jocum, ac tantùm fallendi temporis causâ Dei sui voluntatem explorare:

Ergò

703147

Ergò sors lusoria aleæ, chartarum, est illicita. 4. qvia sortem ducens saltem implicitè remsnam Dei judicio committit: At hoc facere in ludo timori, & reverentiæ DEI repugnat. Esa. 66. 2. & 8. 13. Ergò sors lusoria, qvalis est ludus aleæ, chartarum, est suâ naturâ illicita. 5. qvia exempla sortium omnia in scriptura apud pios usitata, nihil aliud, qvàm rei gravitatem, modi, & usus reverentiam, & finis non vanitatem, sed necessitatem, atqve utilitatem indicant, Cortectio. Damnanda igitur est sors lusoria, seu ludus alearum, chartarum, taxillorum, sedulò prohibendus, & cavendus est, ob dictas rationes. Giffert. Voet. disp. select. part. 3. pag. mihi. 1195. ubi varios insignes Authores de sorte agentes videre velis.

CAPUT XII.

De Tentatione Dei.

ANALYSIS.

TENTATIO Dei explicatur. I. Ab oppositis, nempe auditione verbi, & oratione. th. 1. II. A definitione. th. 2. III. Ab objectis: nempe Dei. 1. potentia. th. 3. 2. scientia. th. 4. 3. præsentia th. 5. 4. providentia. th. 6. 5. justitia. th. 7. IV. A modis Deum tentandi. th. 8. 9. 10. V. A causis, qvæ. 1. enumerantur: sunt enim 1. infidelitas. th. 11. 2. desperatio. th. 12. 3. contemptus Dei th. 13. 4. superbia. th. 14. 5. præsumptio. th. 15. 2. ab objectione liberantur. VI. A rebus, qvibus Deus tentatur: nempe.

nempe. 1. illicitâ signi petitione. th. 17. adeóqve. 2. signi oblati rejectione, proleptice propositi. th. 18. 3. illicitis maleficii probationibus. th. 19. 4. duellis. th. 20. 5. petitione auxilii à Deo ad peccatum patrandum, qvæ tentatio inductionis dicitur. th. 21. cujus convenientia & differentia proleptice proponitur. th. 22 vel, VII. A tentatione inductionis. th. 21. qvæ ab objectione liberatur. th. 22. VIII. A tentatione licita. th. 23. cujus notatur. 1. descriptio. th. 24. 2. effectus. th. 25. IX. Ab effectis. th. 26.

EXPLICATIO.

1. *Quid adversatur auditioni verbi, & orationi?*

Singulari ratione tentatio Dei. Additur: 1. singulari ratione: nam ut superbia communiter adversatur toti observantiæ, specialiter verò auditioni verbi, ut dictum c. 1. th. 34. & c. 3. th. 22. sic tentatio Dei communiter adversatur toti religioni, Thom. 2. 2. q. 97. art. 3. specialiter verò auditioni verbi, & invocationi Dei. 2. Dei. 1. qvia vox Dei hic est genitivus objecti, non efficientis: nam duplex est tentatio Dei: una est, qvâ Deus tentat homines, de qva tentatione. l. 2. cas. c. 7. 16. 17. 18. Polan. pag. mihi 342. & 618. Ravan. de tentatione. Num. 2. dist. 1. altera est, qvâ homines tentant Deum, de qva hîc Author noster. 2. qvia non agitur hic de tentatione Diaboli, & hominis, qvâ Satan, & impii homines nos ad peccata instigant, de qva Vend.

pag.

703147

pag. mihi 919. Ravan. de tent. num. 2. dist. 2. Observa ergò. 1. Tentatio, qvâ homines Deum tentant auditioni, & invocationi Dei repugnat. Patet. 1. ân ita sit. Psal. 95. 7—9. Hodiè, &c. hoc est, verbum Dei audite nam secùs Deum tentabitis, ut Israelitæ qvi cum verbum DEI non audivissent, Deum tentarunt. Sic. Luc. 4. 8. Dominum Deum tuum adorabis: & v. 12. Non tentabis Dominum Deum tuum. 2. Cur ita sit. 1. qvia audire verbum Dei, & ipsum invocare est communionẽ cum Deo habere (ut dictum. c. 8. th. 1.) secundum voluntatem illius: tentare verò Deum propriè est communionem cum DEO qværere, contra vel præter illius voluntatem. 2. qvia tentatio Dei repugnat religioni, qvia tentans Deum non honorat Deum, qvia non credit promissioni Dei, non sperat bonum à Deo promissum, non diligit Deum, & promissa ejus: Ergò repugnat & auditioni, & invocationi Dei: qvia auditio, & invocatio Dei, sunt actus religionis, n. fidei, spei, charitatis, ut dictum c. 8. th. 1. 3. qvia, qvi verbum Dei audit talem credit esse Deum, qvalem verbum Dei dicit; sed qvi Deum tentat non talem credit esse Deũ, qvalẽ verbũ Dei dicit, sed qvalem semetipsũ ostendit in signo, qvod tentator ab ipso petit. 4. qvia, qvi Deum adorat, id petit qvod ipse promisit, idqve accipere vult mediis bonis adhibitis; sed qvi Deum tentat, petit à Deo aliqvando qvod ipse non promisit, aliqvando verò qvod ipse promisit, sed accipere vult sine bonis mediis adhibitis. Informatio. Ergò qvi verbum Dei audit, & Deum orat, Deum nõ tentat:

tentat: & contra. Dehortatio. Ne ergò Deũ tentemus: 1. qvia hoc prohibetur. Deut. 6. 16. 2. qvia tentatio Dei tollit auditionem verbi, & Dei invocationẽ. 2. Hæc Dei tẽtatio est gravissimũ peccatũ. Patet an ita sit. Psal. 95. 7. 9. ubi damnantur Israelitæ propter Dei tentationem: Ergò peccarunt Deum tentando: secùs enim non damnarentur: nam peccatum est damnabile: virtus commendabilis. 2. Cur ita sit: 1. qvia auditioni, & invocationi Dei opponitur, ut dictum. 2. qvia prohibetur. Deut. 6, 16. Matth. 4, 7. Luc. 4. 14. Act. 15. 10. 1. Cor. 10. 3. qvia ejus causæ, n. infidelitas, desperatio contemptus Dei, arrogantia, præsumptio, sunt peccata, ut vides, th. 11—15. 4. qvia dubitare de potentia, scientia, &c. Dei est peccatum. 5. qvia hominem, tentare malo animo & curioso magnum peccatum est: Ergò Deum tentare ex malignitate & curiositate est gravissimum peccatum. Nã verbo illius fidem debemus in omnibus, de illo sperandа sunt nobis omnia bona, ut non liceat nobis illi vel potentiam, vel scientiã, &c. sine grandi sacrilegio tentare. Refutatio. Ergò errant negantes tentationem Dei peccatum esse. Obj. Deus præcipit ut ipsum tentemus. Malach. 3. 10. Ergò tentare Deum non est peccatum. Resp. Conseq. negatur: qvia præcipit Deus tentationem sui bonam, qvæ est virtus, non tentationem sui malam, qvæ est peccatum. Thom. 2. 2. q. 97. art. 2. Dehortatio. Ergò Deum ne tentemus: qvia tentatio hæc damnatur. 1. In Israelitis, Deo cum media deficerent, ob murmurare salitis, eiqve

703147

tempus & modum ipsos juvandi præscribentibus, adeóque Deum cupiditatibus suis subjicere studentibus. Exod. 17. 7. Num. 14. 22. Deut. 6. 16. & 33. 8. 2. in Achazo, media confirmandi fidem ipsius à Deo gratiosè oblata, ex mera incredulitate & malitia respuente. Esa. 7. 11. 12. 3. in illis, qvi mediis ordinariis, qvæ habēt in manu, neglectis, ad extraordinaria cōfugiūt, qvemodo tentasset Christus Deū, si, ad suggestiones Diaboli, è pinnis templi dejecisset seipsum deorsum, cum in templo gradus essent, per qvos descendere posset. Matth. 4. 7. 4. in Anania & Saphira ex deliberato consilio mentientibus. Act. 5. 9. 5. in falsis Apostolis, christianos ad Mosaicæ legis, jam à Christo abrogatæ observationem, tanqvā ad salutem necessariam, obligantibus, adeòqve ipso Deo, qvi christianos absqve operibus legis, sola in Christum fide servare constituerat, sapientiores videri volentib⁹. Act. 15. 10, adeoq; in illis, qvi Christianoū cōscientias variis humanis traditionibus onerant. 6. in illis, qvi subinde peccatis suis Deum offendunt, ut Israelitæ in deserto, adeóqve in illis, qvi peccatis suis iram Dei provocare non desistentes, præsumunt tamen se à DEO misericordiam consecutoros, Vel, qvi dicunt, peccandum esse, ut gratia auctior fiat, Rom. 6. 1. seu qvi projecti sunt ad omne scelus. Malac. 3. 15.

II. *Quid est tentare Deum?*

Tentare Deum est illicito, &c. hoc est, tentare Deum est dicto vel facto, sine legitima causa, experiri an sit potens, sciens, præsens, providens, justus. Sic tentaverunt Israelitæ Deum

Deum in deserto. Psal. 95. 9. Nota. 1. Dicto vel facto exploratur Deus an sit potens, sciens, &c. qvatenus dicto vel facto provocatur, ut aliqvid faciat, ex qvo cognoscatur esse potens, sciens, &c. 2. Tentas Deum, 1. Dicto, cum aliqvid à Deo petis, & dicis: Deus fac hoc, ut, in deserto instrue mensam: pasce sine cibo: sana sine medicamento: libera Ungariam à vastatoribus sine pœnitentia & milite, &c. 2. facto, cum aliqvid facis, & dicis: comedam fructum prohibitum, & experiar, an juxta Dei comminationem, moriar: Ibo huc vel illuc, & videbo an server scil. à DEO. 3. Dicto vel facto experiris an Deus sit potens, sciens, &c. sine legitima causa, seu vera necessitate & utilitate qvando aliunde, n. ex scripturis, & variis ejus operibus cognoscere posses eum esse potentem, scientem, &c. 4. Dicto vel facto experiri an Deus sit potens, sciens, &c. propter legitimam causam non est Deum tentare, vel est eum licito modo tentare, ut infra dicetur.

III. *Quæ perfectiones tentantur in Deo?*

Tentatur in DEO. 1. Potentia. An ita sit patet. Psal. 78. 18. 19. Tentantes Deum, dixerūt, an posset Deus fortis mensam instruere in hoc deserto? Qvid est tentare Dei potentiam? Est Deum circumscribere, id est, dicere, si hoc vel illud Deus fecerit, omnipotens habeatur, aliàs neqvaqvam: Psal. 78. 41. Tentavit Deum, seu eum circumscripserunt, id est, dixerunt, si mensam instrueret Deus nobis in

703147

deserto omnipotentem habebimus eum; sed secùs non. Observa ergo. Non licet DEI potentiam tentare, seu dicere, si hoc Deus fecerit, potentem credo eum esse, sed secùs non. Patet. 1. an ita sit ex citatis locis: ubi Israelitæ damnantur ob tentationem Dei potentiæ. 2. Cur ita sit. 1. qvia non licet hominem circumscribere, id est, hoc ei dicere, si hic homo hoc fecerit, tùm potentem ipsum habebo; sed secùs non. 2. qvia scriptura testatur Deum omnipotentem esse. Apoc. 1. 8. & 4. 8. Ergò non licet Dei potentiam tentare. Ratio consequentiæ, qvia, qvi hoc facit, iis testimonium Dei non recipit: qvi verò hoc non facit, is obsignabit Deum mendacem esse. Ioh. 3. 33. qvod est illicitum. 3. qvia non licet dubitare de potentia Dei. Iac. 1. 6. Ergò non licet eam tentare. Ratio consequentiæ, qvia qvi Dei potentiam tentat, is de ea dubibitat, ut dicetur. th. 11. 4. qvia sic provocabimus Deum, ut edat suæ potentiæ signum, ex qvo cognoscamus eum potentem esse: qvod Deo valdè displicet, qvia hoc facimus sine necessitate, qvia Deum omnipotentem esse ex scriptura, & operibus ejus satis cognoscere possumus. Correctio. Ergò valdè peccant, qvi Deum circumscribunt, dicentes, si Deus me liberabit ab hoc malo, eum potentem credo, sed secùs non.

IV. 2. Scientia. Patet an ita sit. Psal. 94. 7. ubi impii sic loqvuntur: Non respicit Jah. id est, nescit Deus, qvod nos facimus. Qvid est tentare Dei scientiam? Est clanculum aliqvid facere, & dubitare, utrum Deus sciat nec ne.

nec ne. Sic tentarunt illi Dei scientiam, de qvibus David loqvitur. Psal. 94. 7. & 10. 12. 13. & 59. 8. Observa ergò. Non licet Dei scientiam tentare, seu non licet dubitare an Deus sciat, vel non, qvod clam sit. Patet. 1. an ita sit ex citatis locis, ubi damnantur impii ob tentationem scientiæ Dei. 2. Cur ita sit: 1. qvia dubitare de scientia Dei est peccatum. Iac. 1. 6. 2. qvia non licet dubitare de hominis scientia, an scilicet sciat aliqvid scibile, vel non: Ergò multò minùs licet de scientia Dei dubitare. 3. qvia scriptura testatur Deum omniscium esse. Hebr. 4. 13. Ergò non licet de scientia Dei dubitare: qvia non licet de scripturæ testimonio dubitare. 4. qvia sic provocabimus Deum, ut edat suæ scientiæ aliqvod signum, unde omniscius à nobis esse cognoscatur: ob qvod Deus valdè irascitur: qvia sine necessitate hoc facimus: qvia Deum omniscientem ex scriptura, & operibus ejus satis cognoscere possumus. Dehortatio. Ergò, 1. Ne unqvam dubites an Deus videat, vel sciat qvod tu facis: qvia. Heb. 4. 13. 2. Ne putes unqvam te clam Deo posse peccare, vel aliud aliqvid agere.

V. 3. Præsentia. Patet an ita sit. Exod. 17. 7. Tentaverunt Iehovam dicendo. Estne Iehova inter nos, seu præsens estne Iehova inter nos? Qvid est tentare præsentiam DEI? Est dubitare an Deus præsens sit, vel non. Observa ergò. Non licet præsentiam Dei tentare, id est, dubitare an Deus sit præsens, vel non. Patet. 1. an ita sit ex loco citato: ubi Israelitæ damnantur ob tentationem præsen-

703147

tæ DEI. 2. Cur ita fit: 1. qvia præsentiæ Dei tentatio, seu dubitatio de ea est prohibita. Isa. 1. 6. 2. qvia scriptura dicit Deum omnipræsentem. Psal. 139. 8. 3. qvia, præsentem qvælibet herba Deum. 4. qvia promisit se nobis affuturum. Matth. 28. & ille non potest mentiri. Num. 23. 23. 5. qvia sic Deum provocabimus, ut edat suæ præsentiæ aliqvod signum, ex qvo præsentem esse cognoscamus: qvod facere non licet: qvia non est necesse ut Deus hoc faciat, qvia Deum omnipræsentem esse, ex scriptura, & operationibus eius satis intelligere possumus. Dehortatio. Ergò ne tentemus DEI præsentiam ob dictas rationes.

VI. 4. Providentia. Patet an ita sit, Psal. 78. 18. ubi Israelita contempta victus provisione, quam habent, aliam victûs provisionem postulant. Qvid est Dei providentiam tentare? Est media ordinaria à Deo constituta relinqvere, & tamen exspectare, ut Deus ex voto prospiciat, seu est consvetis, & familiaribus uti destinati, & velle exqvisitis, & inauditis modis adjuvari: ut si qvis vestem, qvam haberet, induere nollet, interim precaretur, ut Deus frigus à se nova aliqva ratione propulsaret, sicut passim occurrunt qvi non contenti miraculis in sacris literis relatis, alia qvædam nunc vellent ad fidei veritatem confirmandam. Ioxta hunc sensum respondit Christus Satanæ, qvando eum hortabatur, ut se de summo templo præcipitaret: scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum: Ac si diceret, patet mihi via descendendi, & gradus habeo: qvorsum

qvorsum me præcipitem? Id si fecero, tentabo Deum. Matth. 4. 7. Sic tentarunt Deum Israelitæ: Nam cum haberent, qvæ satis advisum sufficiebant; divinitùs carnes, & pisces parari sibi voluissent. Num. 11. 4. 6. Observa ergo. Non licet Dei providentiam tentare, id est, media ordinaria à Deo constituta relinqvere, exspectare tamen, ut Deus ex voto prospiciat. Patet. 1. an ita sit ex locis citatis: ubi damnantur contrarium facientes. 2. Cur ita fit: 1. qvia Deus contemnenti ordinariam providentiam, non promisit extraordinariam, ut Author in hac thesi loqvitur. 2. qvia sic provocabimus Deum, ut edat suæ providentiæ signum, ex qvo eum providentem esse intelligamus: qvod Deo displicet: qvia hoc facimus sine ulla necessitate: qvia ex scriptura, & qvotidianis ejus operibus eum providentē esse satis animadvertere possumus. 3. qvia Dei providentiam tentans dubitat de providentia Dei: At hoc facere non licet: partim qvod prohibeatur. Isa. 1. 6. partim qvod Scriptura Sacra testetur Deum providentem esse. Psal. 145. 15. & alibi, ubi de actione Dei sermo est: nam omnis actio Dei est vel creatio, vel providentia. 4. qvia Deus promisit se nobis provisurum ordinariis mediis. Hos. 2. 22. 5. qvia tentatio providentiæ Dei prohibetur. Deut. 6. 16. cum. Matth. 4. 7. Corrollario colligi potest ex thesibus. 8. 10. 19. 20. Admonitio. Ergò. 1. mediis ordinariis adhibitis speremus hoc vel illud à Deo: qvia illis promisit Deus omnia qvi mediis à se ordinatis utuntur. 2. mediis à Deo ordinatis re-

703147

licitis, nihil speremus à Deo : qvia sic facientibus nihil Deus promisit. 3. mediis à DEO non constitutis ad nullam rem utere : qvia Deus talibus mediis utentibus etiam nihil promisit.

VII. 5. Iustitia DEI. Patet. 1. an ita sit. 1. Cor. 10. 22. An provocamus ad æmulationem Dominum, id est, an tentamus DEI justitiam, utrum peccata nostra puniat nec ne? Ubi qværes: 1. Differtne justitia Dei ab ejus ira, & vindicta? Sic, ut vides Med. l. 1, c. 12. th. 20. 2. Qvid est tentare Dei justitiam? Est. 1. datâ operâ in peccatis vivere, Malach. 3. 15. ubi facere improbitatem, & Deum (in justia scilicet) tentare idem est. 2. Cogitare & dicere Deum non puniturum viventes in peccatis, ut faciunt illi, de qvibus loqvitur David. Psal. 10. 11. & illi, qvi dicunt peccandum esse, ut gratia auctior fiat. Rom. 6. 1. Observa ergò. Non licet Dei justitiam tentare, seu datâ operâ in peccatis vivere, & nihilominus misericordiam Dei exspectare. Patet. 1. an ita sit ex citatis locis, ubi damnantur DEI justitiam tentantes. 2. Cur ita fit. 1. sic Deus provocabitur, ut justitiæ suæ edat aliqvod signum, ex qvo cognoscatur esse justus: qvod ipsi non placet: qvia fit hoc sine necessitate: qvia ex Scriptura Sacra, & variis ejus judiciis justus esse satis cognosci potest. 2. qvia hoc est Deo bellum indicere, & Deum irasci facere: qvod facere non licet. 1. Cor. 10. 22. Deut. 32. 21. 3. qvia tentatio justitiæ Dei prohibetur. 1. Cor. 10. 9. 10. neqve tentate; neqve murmurate: qvasi dicatur: Ne murmurate

te: qvia hoc est Deum in sua justitia tentare. 4. qvia periculosum est Dei justitiam tentare: illa enim facit nos in manus Dei vivi incidere: horrendum autem est incidere in manus Dei vivi. Hebr. 10. 31. Dehortatio. Ne tentemus ergò justitiam Dei, seu ne datâ operâ in peccatis vivamus, & in animo nostro dicamus, Deus impœnitentes non est puniturus, ob dictas rationes. 3. Qvam perfectionem DEI tentat murmurans contra Deum, & à Deo missos? Murmurans adversus Deum, aut à Deo missos, Dei justitiam tentat. Patet. 1. an ita sit. 1. Cor. 10. 9. 10. ubi: 1. tentatio explicatur per murmurationem, ac si dicatur, ne tentate, id est, ne murmurate. 2. tentatio Christi dicitur esse, murmuratio contra missos à Deo, acsi dicatur, ne tentate Deum, id est, ne murmurate contra servos Dei. Exod. 17. 2. Qæres, qvare Rephidim vocatur Massa, & Meriba? Qvia Israelitæ in Rephidim tentarunt Deum, & contenderunt cum Mose. Exod. 17. 1. cum 7. Sic. Psal. 81. 8. & 95. 8. Massa tentationem: Meriba contentionem significat. Massa enim venit à nissa, tentare: Meriba verò à ribbi, contendere. Observa ergò. Nō licet adversus Deum, & servos ejus murmurare. Patet. 1. an ita sit. Psal. 21. 2. ubi damnantur contra Deum, & Christum, qvi servus Dei dicitur, murmurantes. Sic. Hos. 4. 4. 2. Cur ita fit: 1. qvia hoc est Deum tentare, ut dictum. 2. qvia hoc prohibetur. 1. Cor. 10. 10. 3. qvia hoc Deus ridet, & subsannat. Psal. 2. 4. 4. qvia Deus hoc graviter punire solet. v. 5. 9. Sic. 1. Cor. 10. 10. Punivit Miriam mur-

murian-

703147

murantem contra Mosen. Num. 12. Punivit populum Israeliticum. Num. 11. & 14. Punivit Chorac, Dathan, & Abiram, murmuruntes adversus Mosen, & Aronem. Num. 16. 5. quia murmuratores non sunt fortiores Deo, & servis ejus, 1. Cor. 10. 22. Dehortatio. Ergò sedulò caveamus cum Deo, & servis ejus contendere.

VIII. *Quot modis tentatur Deus?*

Duobus: n. 1. Expresè: puta. 1. Quando quis per ea qvæ facit intendit explorare Dei potentiam, scientiam, præsentiam, providentiã, justitiam. Sic tentant Deum sortem divinatoriam, consultatoriam, lusoriam mittentes. 2. Quando qvis eâ intentione aliqvid à Deo postulat, ut exploret Dei potentiam, scientiam præsentiam, providentiam, justitiam. Sic tentaverunt Israelitæ Deum in deserto, qvãdo ab ipso aqvam, & carnem postulavêrunt: sic tentât hodie & ille Deum, qvi id postulat à Deo, qvod ipse non promisit. Sic tentat ergò Deum, qvi pro peccante in Spiritum Sanctum orat; vel qvi miraculum à Deo petit.

IX. 2. Implicite, & tacitè. Tacitè ergò, seu interpretativè Deum tentat, qvi licet non intendat Deum tentare; aliqvid tamen petit, vel facit ad nihil aliud utile, nisi ad probandam Dei potentiam, scientiam, &c. sicut cum qvis eqvum currere facit, ut evadat hostes, hoc non est experimentũ de eqvo sumere; sed si eqvum currere faciat absqve aliqva utilitate, hoc nihil aliud esse videtur, qvam experimentum sumere de eqvi velocitate. Et idem est in omnibus

omnibus aliis rebus. Qvando ergo propter aliqvam necessitetem, seu utilitatem committit se aliqvis divino auxilio in suis petitionibus, vel factis, hoc non est Deum tentare, dicitur enim Paralipomen 20. Cum ignoramus qvid agere debeamus hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te. Qvando verò hoc agitur absq; necessitate, utilitate, hoc est interpretativè tentare Deum. Unde super illud. Deut. 6. Non tentabis Dominum Deum tuum: dicit gl. Deum tentat qvi habens qvid faciat, sine ratione committit se periculo: experiens utrum possit liberari à Deo.

X. *Quot modis tentatur Deus tacitè, seu interpretativè?*

Duobus modis: n. 1. Cum qvis vult & exspectat aliqvid à DEO effici, & interim media ad illud necessaria respuit: sic tentant Deum: 1. in naturalibus, qvi à Deo petunt, & exspectant sanitatem, vitæ continuationem, sed medicamenta, & cibum rejiciunt. 2. in supernaturalibus, qvi à Deo petunt & exspectant gratiam, & vitam, seu regenerationem, justificationem, adoptionem, sanctificationem, glorificationem, sed verbum Dei, Sacramenta, disciplinam negligunt. 2. Cum qvis exponit semetipsum periculo, sine urgente necessitate, à qvo vel nullo modo, vel vix liberari potest, nisi à Deo per miraculum. Sic tentant Deum: 1. in naturalibus, qvi ambiunt vanam gloriam, mortem contemnendi: qvales sunt: qvi in castra inimicorum perrompunt: ut potentissimi illi Davidis. 2. Sam. 23. 16. qvíqve in turrium fastigiis

703147

fastigiis consistunt: super ædium pinnis cursitant: per funes gradiuntur. 2. in supernaturalibus, qvi peccati occasiones, & irritamenta (ut prava consortia, comessationes, compotationes, impudicos aspectus, nutus, oscula, amplexus, tactus, choreas, spectacula, cantica, obscœna verba, lascivos ornatus) amant, & qværunt, contra. 1. Cor. 15. 33. Exod. 23. 33.

XI. Quæ sunt causæ efficientes tentationis Dei, seu unde fluit tentatio Dei?

1. Tentatio Dei aliqvando fluit ex infidelitate, seu dubitatione cordis. Patet. 1. an ita sit. Psal. 78. 18. 22. 2. Cur ita sit. 1. qvia ille, qvi tale, &c. hoc est, qvia tentans Deum non satis credit eum ex Scriptura Sacra potentem, scientem, præsentem, providentem, justum esse; sed ex suo dicto vel facto, & ex signo, vel miraculo, qvod ab ipso petit, & exspectat. 2. qvia sicut fides est radix, & mater omnium virtutum: sic infidelitas est mater & radix omnium peccatorum: adeoq; & tentationis DEI. Informatio. Tentatio Dei oritur ex infidelitate: Ergò opponitur auditioni verbi Dei. Ratio consequentiæ, qvia infidelitas opponitur fidei, ex qva oritur auditio verbi Dei, ut dictum. c. 8. th. 14. Dehortatio, & exhortatio. Ergò. 1. infidelitatem, & dubitationem festinanter exuas, secùs vitare tentationem Dei non poteris. Væ autem Deum tentanti, tentans enim Deum tentabitur à Diabolo, & succumbet, ut dicetur. th ultimâ. 2. compares fidem, qvâ Deum talem esse credere possis, qvalem Sacræ Literæ testantur.

XII. 2. Tentatio Dei aliqvando oritur ex desperatione. Patet. 1. an ita sit. 2. Reg. 6. 33. Sic. Psal. 37. 7. Hinc orta est & tentatio Israelitarum, ut Ravanellus, & Petrus Martyr testantur. 2. Cur ita sit. 1. qvia homines exspectantes Dei promissa, festinatione qvâdam inordinatâ præscribere DEO volunt, qvando, & qvomodo illorum exspectationi satis faciat. 2. qvia desperatio oritur ex infidelitate; sicut spes ex fide: Ergò tentatio Dei oritur ex desperatione. Ratio cõsequẽtiæ, qvia tentatio Dei ex infidelitate oritur. 3. qvia post fidem spes est mater omnium virtutum: Ergò post fidelitatem desperatio est mater omnium vitiorum. 4. qvia oritur ex impatientia, (ut vides in Martyre) Ergò oritur ex desperatione: qvia, ut spei patientia, sic desperationi comes est impatientia. Informatio. Tẽtatio Dei fluit ex desperatione: Ergò tentatio DEI opponitur auditioni verbi Dei. Ratio consequentiæ, qvia desperatio opponitur spei, ex qva oritur auditio verbi DEI, ut dictum c. 8. th. 16. Dehortatio. Ergò desperationem sedulò fugiamus: qvia secùs tentationem Dei cavere nequibimus.

XIII. 3. Tentatio Dei aliqvando fluit ex vilipendio aut contemptu Dei. Patet. 1. an ita sit. Rom. 13. 10. ubi ex charitate dicitur oriri omnis virtus: Ergò ex contemptu, seu odio Dei oritur omne vitiũ, adeoq; & tentatio Dei 2. Cur ita sit. 1. qvia, tentans Deum, sæpe ludens, & jocans experiri vult, an Deus semetipsum manifestare velit ex ipsius voto: ut sorte lusoriâ utens: & ex lusu Deum invocans, &

703147

qvidlibet agendo dicens: Deus juva: Deus ne defere. 2. qvia post fidem, & spem, charitas est mater omnium virtutum: Ergò post infidelitatem, & desperationem, contemptus est fons omnium vitiorum, adeóq; & tentationis DEI. 3. qvia contemptus Dei oritur, ex infidelitate, & desperatione, sicut amor ex fide, & spe: Ergò tentatio Dei oritur ex contéptu DEI. Ratio consequentiæ, qvia tentatio Dei oritur ex infidelitate, & desperatione. Informatio. Tentatio DEI fluit ex contemptu Dei: Ergò tentatio Dei opponitur auditioni verbi Dei. Ratio consequentiæ, qvia contemptus Dei opponitur charitati, ex qva oritur auditio verbi Dei, ut dictum c. 8. th. 18. Dehortatio. Ergò conteptum Dei fugiamus: secùs enim tentationem Dei nunqvam evitare poterimus.

XIV. 4. Tentatio Dei oritur ex arrogantia, seu superbia. Patet. 1. an ita sit. Gen. 3. 5. cum Eccl. 10. 15. ubi ex superbia dicitur oriri omne peccatum: Ergò & tentatio Dei. 2. Cur ita sit. 1. qvia tentans Deum hoc vult, ut non DEI, verum ipsius voluntas fiat, ut Israelitæ. Exod. 17. 2. 7. Num. 14. 22. Psal. 78. 18. 19. 20. 41. 56. Ergò tentatio Dei ex superbia oritur. Ratio consequentiæ, qvia superbi proptium est hoc. 2. qvia superbia contemnit verbum DEI, cujus virtute solâ cavetur peccatum, adeóqve & tentatio Dei. 3. qvia superbia est finis omnium aliorum peccatorum: Ergò & tentationis Dei. Med. l. 1. c. 8. th. 24. 4. qvia Adamus tentavit Deum ex superbia: Ergò & Filii ejus. Informatio. Tentatio Dei fluit

fluit ex superbia seu arrogantia: Ergò tentatio Dei opponitur auditioni verbi. Ratio consequentiæ, qvia superbia opponitur auditioni verbi, ut dictum c. 8. th. 22. Dehortatio. Ergò superbiam fugiamus: secùs tentationem Dei fugere non poterimus.

XV. 5. Tentatio Dei sæpissimè oritur ex præsumptione. Patet: 1. an ita fit. Gen. 3. 5. ubi Adamus præsumsit se Deum futurum, & ita Deum tentavit, ut vides. Med. l. 1. c. 12. th. 23. cum 26. 2. Cur ita fit. 1. qvia tentans Deum exspectat à Deo qvod ipse non promisit, vel saltem non promisit eo modo, qvo ipse exspectat. V. g. sperat à Deo vel miraculum, qvod Deus non promisit; vel liberationem sine mediis, qvam sic non promisit: Ergò tentatio Dei oritur ex præsumptione. Ratio consequentiæ, qvia præsumptio est, qvâ qvis temerè, id est, vel sine promissione, vel sine mediis, aliqvid à Deo exspectat, ut dictum c. 8. th. 31. & seqq. 2. qvia tentatio Dei oritur ex superbia & arrogantia: Ergò oritur etiam ex præsumptione. Ratio consequentiæ, qvia superbia præsumptionem in se continet, ut vides infra c. 17. th. 70. Informatio. Tentatio Dei oritur ex præsumptione: Ergò tentatio Dei opponitur orationi. Ratio consqv. qvia orans suam voluntatem submissè repræsentat Deo, ut ab ipso perficiatur, prout sibi placet: præsumtuosus autem & arrogans voluntatem suam superbè repræsentat Deo, ut perficiatur, prout ipsi placet. Dehortatio. Ergò præsumptionem caveamus: secùs enim tentationem Dei cavere non poterimus.

703147

XVI. Obj. primo : Tentatio Dei oritur nunc ex infidelitate, nunc ex desperatione, nunc ex vilipendio Dei, nunc ex superbia, nunc ex præsumptione : Ergò tentatio Dei opponitur ipsi religioni, n. fidei, spei, charitati, non actibus religionis, n. auditioni verbi & orationi. Ratio consequentiæ, quia infidelitas fidei, desperatio spei, vilipendium charitati opponitur. Resp. Conseq. negatur. Semper autem, &c. hoc est, licet tentatio Dei oriatur nunc ex infidelitate, nunc ex desperatione, &c. tamen opponitur semper non religioni ipsi, n. fidei, spei, charitati, sed alicui actui religionis, n. vel auditioni verbi, vel orationi, ut in superioribus thesibus satis declaratum est. Ratio oppositionis : quia dùm verbum Dei audimus, & Deum invocamus, id agimus, ut nos pendeamus à Dei voluntate, sed dùm Deum tentamus, id agimus, ut Deus quasi pendeat à nostra voluntate. Audientes enim Dei verbum, & invocantes Deum, id volunt quod Deus vult ; sed tentantes Deum non id volunt, quod DEUS vult, verum Deus debet quasi id velle, quod tentatores volunt, tentatores enim id volunt, quod Deus non vult, vel saltem non vult eo modo, quo ipsi volunt.

XVII. *Quibus rebus tentatur Deus ?*

1. Illicitâ signi petitione. Observa ergò. Signum, seu miraculum à Deo petere, sine magna necessitate, & mandato Dei, est Deum tentare. Patet. 1. an ita sit. Matth. 16. 1. ubi Phariszi signum talitèr petentes Deum tentasse

se dicuntur. Sic. c. 12. 38. Luc. 11. 16. 2. cur ita sit. 1. quia, qui dubitat de Dei potentia, scientia, &c. ille Deum tentat : At petens à Deo signum sine necessitate & Dei mandato dubitat de Dei potentia, scientia, &c. Ergò. 2. quia petere à Deo quod ipse non promisit est Deum tentare : At Deus signum non promisit omnibus, quia promisit hoc quibusdam extraordinariis ministris. Ergò. 3. quia contempto medio ordinario, extraordinario medio velle Deum experiri, an sit potens, sapiens, bonus, justus, est Deum tentare : At petens signum sine necessitate & mandato Dei, contempto medio ordinario, medio extraordinario vult experiri, an Deus sit potens, sapiens : Ergo. 4. quia qui sine necessitate & utilitate, Dei auxilio se in suis petitionibus & factis committit, is Deum tentat : At petens signum singulare sine singulari ratione & instinctu Dei committit, se auxilio Dei in suis petitionibus & factis : Ergò. 5. quia Deum tentare est inordinatè postulare : At qui signum singulare sine singulari necessitate & Dei impulsu petit, is inordinatè postulat : Ergò. Informatio. Ergò signum petere à Deo licet & non licet. Licet. 1. cum testimonium divinæ doctrinæ necessariò requiritur, ut cum Elias & Elisæus filios hospitum suarum resuscitarunt ex mortuis, cum Elias ab idololatria Baalis populum Israeliticum ad veri Dei cultum revocare voluerit. 1. Reg. 18. Act. 4. 29. 30. Sic initio Ecclesiæ Christianæ erant Exorcistæ, qui miraculorum donò pollentes, energumenis, id est, à Dæmonio obsessis manus imponebant, cum

703147

divini nominis invocatione. 2. cum Deus jubet, ut. Esai. 7. 11—13. ubi peccasse dicitur Achaz, qvod miraculum à Deo oblatum non petierit. 3. cum sancti ob effectionem rei alicujus extraordinariæ & magnæ à Deo illis singulariter promissæ, ampliore confirmatione fidei suæ infirmæ indigent: maximè fide re illa singulariter promissa nihil ex divinis literis explorati habent, & talibus rebus extraordinariis neqve hominibus, neqve Angelis facilè credendum, cum & mali Angeli nonnunqvam in Angelos lucis se transforment. Sic Gedeon petivit confirmationem fidei suæ per miracula cũ promissum ei esset, fore ut ipse vindicaret populum Israeliticum à Mydianitica Tyrãnide. Jud. 6. v. 36. & seqq. usqve ad finem capitis: sic Ezechias petivit signo confirmari promissionem sanitatis & prorogationem regni in annos qvindecim: Et Esaias Prophæta inclamavit Iehovam, ut ederet miraculum, qvod Ezechias expetebat. 2. Reg. 20. v. 8. 9. 10. 11. 2. Non licet extra istas causas, & maximè 1. cum doctrina qvæ annunciatur ex sacris literis dijudicari possit; tùm enim miracula postulanda non sunt, sed doctrina annunciata ad Scripturam Sacram exigenda, exemplo Beroænsium, qvi audientes doctrinam à Paulo annunciatam, non miracula ad confirmationem ejus postularunt, sed qvotidiè inqvisiverunt in scripturis an hæc ita se haberent qvæ Paulus docuerat, & consensum doctrinæ Pauli cum scriptura animadvertentes, crediderunt. Act. 17. 11. 12. Contra aliorum, ad confirmandam dogmatum veritatem miracula defi-

derantium notatur & reprehenditur Apistia, ut. Ioh. 4. v. 48. dicit Iesus regio cuidam, qvi Capernaumi habitabat: Nisi signa & prodigia videritis non creditis. 2. cum Postulatores miraculorum tentant Deum: & veritatem, bonitatem, potentiam, & providentiam ejus in dubium vocant, nec aliud qværunt qvam ut de his rebus experimentum capiant, nec sacris literis acqviescunt, de veritate, bonitate, potentia & providentia divina luculentèr testantibus. Tales erant Scribæ & Pharisæi signum à Christo flagitantes, ideò nullum ab ipso impetrarunt. Matth. 12. 38. 39. & c. 16. 2. 3. 4. Ioh. 6. 36. 1. Cor. 1. 22. 3. cum miraculum carnalis alicujus commodi causâ postulatur, ut fecerunt Israelitæ carnes in deserto desiderantes ut lautiùs victitarent, etiamsi carnes impetravernt: ut fecerunt filii Scævæ Pontificis Exorcistæ, qvi voluerunt ejicere Dæmonia in nomine Christi qvem Paulus prædicabat, sed pro miraculis plagas & vulnera acceperunt. Act. 19. v. 13. 14. 15. 16. 4. cum qvis miracula expetit ut vanæ curiositati ipsius satisfaciant & instar ludicrorum ipsum oblectent: sicut Herodes & aulici ipsius cupiebant signum aliqvod fieri à Christo, ut suam ipsorum curiositatem pascerent & oblectamentum aliqvod caperent. Luc. 23. v. 8.

XVIII. 2. Rejectione signi oblati, signũ enim à Deo oblatum non petere, est eum fatigare, id est, tentare, Esai. 7. 13. cum. 11. 12. ubi Achazius Deum fatigasse seu tentasse dicitur, qvod signum à Deo oblatum non petierit. Si ergò objicias: 1. Petere signum est Deum

703147

tentare, ut dictum thesi præc: Ergò Rex Achaz Deum tentasset, si signum à Deo petiisset: At hoc falsum, quia Deum fatigasse, seu tentasse dicitur, quod signum non petierit: Ergò & illud. Resp. Conseq. negatur, quia signum petere sine mandato Dei est Deum tentare: At Rex ille ex mandato Dei non petiit signum; ut enim signum sine Dei mandato petere est Deum tentare: sic signum ex mandato Dei non petere est Deum tentare. 2. Signum petere est Deum tentare, ut dictum, thpræc. Ergò Abrahamus Deum tentavit, quod signum ab ipso petierit. Gen. 15. 8. At hoc falsum: Ergò & illud. Resp. Conseq. negatur: quia signum petere sine magna necessitate est Deum tentare: At Abrahamus signum à Deo petiit ex magna necessitate. Observa ergo. Cum Deus jubet hominem signũ petere, & non petit, Deum tentat. Patet, 1. an ita sit. Esa. 7. 11—13. 2. cur ita sit, 1. quia non credit verbis Dei: At non credere verbis Dei est Deum tentare, ut vides in Szegedino, & ex nostro colligere potes. 2. quia nullum commercium vult cum Deo vero habere. 3. quia non credit Deum velle & posse quod promittit. 4. quia non ideò non petit à Deo signum, quia Deum reveretur; sed ideò, quia Deum contemnit. Exhortatio. Ergò. 1. quicquid Deus jubet facere, faciamus. 2. quicquid Deus promiserit, petamus. 3. quicquid Deus offert, & dat, accipiamus.

XIX. 1. Illicitis maleficii probationibus. Maleficii, id est, Magiæ falcinatricis probatio est legitima, vel illegitima. Legitimæ probationis

tionis media sunt duo: 1. libera & voluntaria veneficii confessio, & testes legitimi. Illegitimæ probationis media sunt. 1. Ferrum candens, & aqva fervens, qvæ manum nocentis non lædere, innocentis verò lædere creduntur. 2. Conjectio in aqvas, in qvibus innocens immergi, nocens verò non immergi putatur. 3. Testimonium alterius venefici. 4. Minæ maleficii. 5. Qværimonia moribũdi dicẽtis se ab ejusmodi persona fascino esse læsum. Perkinsius Bascanolog. c. 7. sect. 2. His præmissis observa. Probationes, vel purgationes alicujus maleficii suspecti, per experimenta, ferri candentis, aqvæ ferventis, & similium, sunt tentationes Dei. Patet. 1. an ita sit. Psal. 95. 7—9. ubi ille dicitur tentare Deum, qvi eum non audit: At non audit ille Deum, qvi maleficium per experimenta ferri candentis, aqvæ ferventis probat, qvia experimentum illud occultum peccatum cognoscendi non à Deo, sed à Diabolo est inventum: Ergò maleficium per experimenta ferri candentis, & aqvæ ferventis probans Deum tentat. 2. cur ita sit: qvia in experimentis ferri candentis, aqvæ ferventis miraculosa qvædam virtutis divinæ ostẽsio postulatur, & exspectatur ad veritatis occultæ probationem (ista enim per se inepta sunt ad occulta peccata manifestanda) sine necessitate: qvia alia media constituta sunt ad occulta hominum crimina indaganda, n. ut dictum confessio libera, & legitimi testes: Ergò probationes, & purgationes alicujus maleficii suspecti per experimenta ferri candentis, aqvæ ferventis, &c. sunt tentationes Dei. Ratio

703147

sio conseqventiæ, qvia sine necessitate miraculum à Deo petere, & exspectare, media legitima contemnere, & illegitima usurpare, legitima media relinqvere, & tamen exspectare, ut Deus ex voto prospiciat, est Deum tentare, Dehortatio. Ergò ex experimentis ferri candentis, aqvæ ferventis, &c. neminem maleficii seu veneficum, & magum fascinantem esse cõcludamus. Obj. præcc. Confessio & testes, qvibus maleficium indagatur, sæpè desunt: Ergò tunc ferro candenti, aqvâ ferventi, &c. potest & debet illud indagari. Resp. Minimè: nam tunc illud sine peccato potest Magistratus ignorare: Occulta enim illi sunt relinqvenda, qvi solus novit corda filiorum hominum.

XX. 4. Duellis. Observa ergo. Probatio, vel purgatio criminis occulti per eventũ sponte suscepti duelli, ita ut mutilans innocens, mutilatus verò nocens esse credatur, est tentatio Dei. Patet. 1. an ita sit eo modo, qvo præcedens observatio patuit. 2. cur ita sit: qvia in duello justitia causæ singulari, seu extraordinariæ & miraculosæ Dei providentiæ committitur decidenda, ex illo eventu, qvem pro sua justitia daturus putatur, idqve sine ulla certa justaqve ratione, seu sine ulla necessitate: Ergò probatio criminis occulti per eventum duelli est tentatio Dei. Ratio conseqventiæ, qvia medio Diabolico uti & sine necessitate à Deo miraculum petere est Deum tentare, l. 5. cas. c. 32. Correctio. Ergò duellum tale est damnandum. Obj. 1. Duella olim ob hũc finem à Magistratu fuerunt permissa: Ergò. Resp.

Resp. Conseq. negatur, qvia Magistratus ut olim, sic hodiè multa mala permisit, permittitqve. 2. Ut bellum defensivum est licitũ, sic & duellum defensivum est licitum: Ergò. Resp. Conseq. negatur, qvia differt duellũ tuendæ vitæ causâ necessario susceptum à duello sic, & ob hunc finem suscepto. 3. Etiam hodiè nimis frequentatur duellum ob hunc finem: Ergò. Resp. Conseq. negatur: qvia multa mala frequentantur etiam hodiè.

XXI. 5. Petitione auxilii à Deo ad peccatum aliqvod perpetrandum. Duplex enim est tentatio Dei: n. probationis, qvales sunt tentationes, de qvibus loqvuti hactenus sumus; vel qvasi inductionis, cum à Deo auxilium petit qvis ad nefarium aliqvid, id est, peccatum perpetrandum: ut impius sic orans: Deus da ut possim furari, occidere, &c. Additur, qvasi: qvia tentatio inductionis est etiam tentatio probationis, ut in thesi seqvente vides.

XXII. Tentatio inductionis in qvo convenit cum tentatione probationis, & in qvo ab ea differt?

1. Tentatio inductionis in eo convenit cum tentatione probationis, qvod ut in hac, sic in illa Dei voluntas probatur, an scilicet velit peccatum, qvod tentator vult. 2. Tentatio inductionis in eo differt à tentatione probationis, qvod in illa objectum circa qvod Dei voluntas probatur est actio per se illicita, perpetratio enim peccati est actio per se illicita, in hac autem, objectum circa qvod voluntas Dei probatur, non est per se actio illicita: signum enim

petere,

703147

petere, vel non petere, manum in aqva ferventi ponere, ferrum candens accipere, duos pugnare, est per se non actio illicita. Tentatio inductionis æqvè lædit honorem Dei ac tentatio probationis? Non, hæc enim committèr, sicut aliud peccatum, lædit honorem Dei: illa verò singulariter: qvia cum illa tentatione Dei conjungitur etiam turpissima Dei illusio; qvia putatur esse author & amator peccati: petitur enim auxilium ad peccatum perpetrandum. Si ergo objicias: Præter tentationem probationis, datur etiam tentatio inductionis erga Deum: Ergò non omnis Dei tentatio est illicita divinæ alicujus perfectionis probatio, ut dictum th. 2. Resp. Conseq. negatur: Qvia tentatio inductionis commodè potest ad tentationem probationis referri, qvia ut dictū, intentatione inductionis etiam DEI voluntas probatur. Observa ergò. Non licet à DEO petere auxilium ad peccatum aliqvod perpetrandum. Patet. 1. an ita sit. Psal. 5. &. Habac. 1. 13. & Decalogo toto. 2. cur ita sit. 1. qvia hoc faciens Deum tentat: qvia illicito modo vult experiri an Deus sit justus. 2. qvia hoc faciens turpissimè illudit Deo, dicit enim: eum authorem & amatorem peccati esse. 3. qvia Deus non est cum impiis. Num. 14. 42. piis enim solis promisit auxilium suum. Matth. 18. 20. & 28. 20. Correct. Ergò peccant: 1. Fures, dicentes: Da Deus, ut possimus auferre: Deus dormite fac possessorem, &c. 2. Vindictæ cupidi, dicentes: si offendam hunc & hunc, sic ei faciam. Dehortatio. Ergò dum peccas, nunqvam DEI auxilium implores.

XXIII.

XXII. *Tentatio Dei estne semper mala, seu illicita?*

Tentatio probationis non semper est mala. sed tentatio inductionis semper est mala. 2. Tentatio seu probatio DEI est vel prohibita, Deut. 6. 16. qvæ semper mala est, de qva hactenus: vel præcepta. Malach. 3. 10. qvæ semper bona est, de qva deinceps.

XXIV. *Quid est bona, seu præcepta Dei tentatio?*

Sicut tentatio Dei prohibita est actus infidelitatis, seu dubitationis, qvæ hoc efficit, ut præcepta Dei violemus, & sic maledictionem Dei exspectemus: sic tentatio Dei præcepta est actus fidei, qvæ hoc efficit, ut præcepta Dei observemus, & sic benedictionem ejus exspectemus: benedictio enim facientibus legem promissa est. Benè ergo Deum tentare, est eum fide & obedientiâ probare fidelem promissorū suorum redditorem esse. Malach. 3. 10. Probate me, &c. hoc est, si solveritis decimas, probaturi estis mea beneficia qvæ ego vobis conferam. Probate me, non est intelligendum causaliter, qvasi ad hoc solvere deberent decimas, ut probarent si Deus aperiret eis cataractas cœli, sed consecutivè: qvia scilicet si decimas solverent, experimento probaturi erant beneficia, qvæ Deus eis conferret.

XXV. 1. *Quod est effectum præceptæ, seu bonæ Dei tentationis?*

Præcepta, seu bona Dei tentatio omnes Dia-

703147

boli tentationes repellit: quod patet. 1. an ita sit. 1. Cor. 7. 5. 2. Cur ita sit. 1. quia benè Deum tentans, in Deum credit, in eum sperat, eum diligit, eum adorat, verbum ejus audit, & omnia ejus præcepta facit: Ergò omnes DEI tentationes repellit. Ratio consequentiæ, quia hæc sunt universa illa assumenda arma, quibus Diabolis resistimus. Eph. 6. 13. & seq. 2. quia ille non repellit Diaboli tentationes qui peccat: At benè Deum tentans non peccat, quia præcepta ejus observat: Ergò benè Deum tentans, omnes Diaboli tentationes repellit. Exhortatio. Ergò benè Deum tentemus, id est, fide & observatione legis probemus eum bonum, & veracem esse. Sæcùs tentationibus Diaboli resistere non valebimus; sed eis sucumbemus.

XXVI. *Quæ sunt effecta illicitæ Dei tentationis, de qua a thesi 1. ad thesin 22. loquuti sumus?*

Illicita illa, &c. hoc est, illicito modo Deum tentans. 1. à Diabolo tentatur, seu sollicitatur ad peccandum. Patet. 1. an ita sit ex exemplis Deum tentantium, qui tentantes Deum, tentati sunt & ipsi à Diabolo. Adam & Eva tentarunt Deum & illi etiam tentati sunt à Diabolo. 2. cur ita sit: 1. quia Deus vult, ut tentans tentetur. Matth. 7. 2. 2. quia Diabolus tentantem Deum ad peccatum proclivè videt. 3. quia tentans Deum Diabolum ad se allicit: facit enim voluntatem Diaboli. Dehortatio. Fugiamus ergo Dei illicitam tentationem,

tionem, ut fugere Diaboli tentationem queamus: Sedulò cavendum enim est ne tentet nos Satanas, id est, ad peccandum pertrahat. 1. Cor. 7. 5. Gal. 6. 1. cum. 1. Thess. 3. 5. 2. Superatur à Diaboli tentatione, id est, facit peccatum, ad quod eum Diabolus sollicitavit. Patet. 1. an ita sit exemplo. 1. Adami & Evæ, qui tentarunt Deum colloquio cum Diabolo & inordinata excellentiæ affectatione, & superati sunt à Diaboli tentatione. 2. Cor. 11. 3. cum. Gen. 3. 1 3. 2. Davidis, qui otio tentavit Deum. 2. Sam. 11. 2. & superavit eum tentatio Diaboli. v. 3. 3. Petri. Luc. 22. 31. qui fiduciâ virium suarum, & ingressu in aulam Pontificis, tentavit Deum, & superatus est à Diaboli tentatione. Luc. 22. 33. 54. cum. 57. & seqq. 4. Judæ Proditoris, qui avaritia Deum tentavit, & tentationi Diaboli succubuit. Ioh. 13. 2. 5. Ananiæ & Saphiræ, qui tentarunt Deum metu egestatis & etiam dubitatione an Deus factum illorum sciat, necne, & superavit eos Diabolus. Act. 5. 3. 2. cur ita sit: 1. quia tentans Deum caret fide, spe, charitate, auditione verbi, oratione, quæ sunt arma, quibus tentator fugatur. 2. quia ad iram provocavit Deum, per quem superare posset tentationem Diaboli. 1. Cor. 10. 13. Dehortatio. Si velimus à Diaboli tentatione immunes, aut in tentatione ejus superiores esse, ne illicito modo Deũ tentem'. Cũ tentatione Dei, quâ nos Deum tentamus conjungitur. 1. Dei tẽtatio, quâ ipse nos tentat. Adam & Eva tentarunt Deum, & Deus etiam tentavit eos. Med. l. c. 11. th. 25. Tentare Deum homines, est

703147

eam dicto vel facto, eorum virtutes, ut fidem & obedientiam, vel infirmitates, ut incredulitatem & inobedientiam elicere, ut à semetipsis & aliis cognoscantur. Tentavit Deus Abrahamum dicto eum ipsi carni ingrata, & rationi absurda, præcepit. Hebr. 11. 17. & sic fidem & obedientiã ejus elicuit (nam Abrahamus credidit Deo & obedivit) & toti mundo cognoscendam, mirandam, & imitandam præbuit. Tentat Deus homines facto, 1. cum adversis eos exercet. Sic tentavit incolas terræ, id est, pios & impios per Trajani persecutionẽ. Apoc. 3. 10. Israelitas in deserto objectis variis difficultatibus, hostibus, periculis & afflictionibus. Exod. 15. 25. & 16. 4. & 20. 20. Deut. 8. 2. 16. Ezechiam, relinquens eum propriis suis consiliis, affectibus & cupiditatibus. 2. Caron. 32. 31. Sic tentat Deus hodie & Ungariam nostram. 2. cum falsos Doctores excitat, Deut. 13. 3. Sic etiam tentat Deus & hodie nostram Ungariam. 3. cum homines in tentationem inducit, dum hi succumbunt in pugna. Sic tentavit Deus Davidem. 2. Reg. ult. Petrum, &c. sic tentat hodie in Ungaria illos, qvi Papistæ fiunt, vel Papistas se esse simulant. 2. Tentatio Diaboli, ubi qværes: 1. Qvid est tentatio Diaboli? Est sollicitatio ad peccatum, prout natura cujusqve & conditio tulerit. Deum hac tentatione neminem tentare. Iac. 1. 13. Sicut enim Deus natura bonus est & incorruptus: ita neminem corrumpit, depravat, aut malo immergit. Alienum enim hoc est à natura Dei, Diabolo vero cognatum. Et tamen verum est qvod

qvod dicit Iacobus, unusqvisqve à propria cõcupiscentia tentatur. Oportet enim tentatorem Satanam tentandi habere principia, qvibus utatur. Laqveos nectit, sed qvibus irretire neqveat, nisi volentes. 1. Tim. 6. 10. Sic callidissimus hostis tentandi occasiones, ex nobis ipsis venatur, ut jam non solis ipsius tentationibus ad peccatum sollicitemur, sed propriis etiam affectibus tentatoris conatus promoveamus. Non sõlum externe per hostem; sed & interne Domestico malo oppugnati. Sic eos, qvos intelligit, desideriis pravis teneri, tentationibus suis ad hoc impellere conatur ut libidini obseqvantur. Sic mœstos & affectos animos, qvos ad desperationem alioqvi animadvertit esse propensos, ut desperent, sibiqve ipsis manum inferant, solicitare solet. 2. Qvot modis tentat Diabolus? Duobus: nimirum. 1. à dextris; ut in prosperis, ut Adamum in horto. In prosperis Diabolus sollicitat homines ad lasciviam, vanam gloriam, confidentiam in bonis & meritis suis, superbiam, seu contemptum aliorũ, &c. In adversis vero sollicitat Diabolus homines ad incredulitatem, impatientiam, adeoqve murmurationes, blasphemias, adversus Deum vel illos, per qvos adversa Deus immittit, odium DEI, requisitionem Magorum, usum malorum mediorum, desperationem, &c. Ad desperationẽ autem sollicitat Diabolus cum dicit. 1. Deum summe justum esse, nos vero infinitis sceleribus pollutos. 2. Non extare in nobis justitiam illam, qvam Deus meritò à nobis requirit. 3. Naturâ nos corruptos esse, adeoqve Deo exo-

703147

sos. 4. Nos fidem non habere. 5. Nos non esse electos. 3. Qui tentantur à Diabolo. 1. Qui Deum tentant, ut dictum. 2. Præcipue qui ex animo pietati student, ut Christus, Iobus, &c. 3. Aliquando qui carni, Satanæ, mundo obtemperant, ut Iudas proditor, Saulus, &c. Licet, illi ratiùs, & minori impetu: Nam illi nihil causæ dant, ob quã tentẽtur à Satana. 4. Cur permittit Deus tentare Satanã? Ad homines aut pro peccatis suis puniendos, aut pro misericordia Dei probandos ac exercẽdos. 2. Thess. 2. 4. 2. Cor. 12. 8. 5. Licetne Satanæ suis tentationibus nos obruere? Nõ licet, nisi quantum illi Pater cœlestis permiserit. 1. Cor. 10. 13. 6. Superatne Diabolus quos tentat? Sic vel ad tempus, ut Adamum & Evam. 2. Cor. 11. 3. Davidem. 1. Chron. 21. 1. Petrum. Luc. 22. 31. Vel penitus, ut Iudam proditorem. Ioh. 13. 2. Ananiam & Saphiram, Act. 5. 3. Et cur? Quia, ut dictum illi tentarunt Deum. 7. Qui à tentationibus Satanæ liberemur? Non obsequendo, sed (ut dictum) resistendo. Resistere possumus autem Diabolo. 1. si Deũ licito modo (ut dictum) tentemus. 2. si Deũ illicito modo (ut dictum) non tentemus. Vel resistere poterimus Diabolo si ipsi respondemus. Si ergò dixerit, Es in prosperitate: Ergò luxuries, confide vitiis tuis, ne cures alios, &c. responde: Prospera impellunt sua natura ad obedientiam erga tentem prosperitatis. Si porro dixerit, Es in adversis: Ergò ne exspecta Deum, blasphemes eum, odio habeas eum, & desperes, &c. responde: Adversa impellunt sua natura, ut cogno-

cognoscamus causas adversorum, n. peccata, ea relinquamus, Deum complacemus, à quo sunt hæc adversa. Si demum dixerit: Deus summe justus est, tu infinitis sceleribus pollutus, non est in te justitia, quam Deus à te requirit, natura corruptus es, & Deo exosus, non habes fidem, non es electus: Ergò ne speres gratiam Dei, remissionem peccatorum, liberationem ab adversis, vitam æternam, responde. 1. Iustitiæ Dei pro nobis satisfecit Christus, propter quem nobis omnia peccata remittuntur. Rom. 8. 1. 33. 34. 2. Christus est justitia nostra: Philip. 3. 9. 3. Naturâ quidem sumus corrupti & Deo exosi; sed gratiâ Dei sumus restaurati, & Deo dilecti. Ioh. 3. 16. 4. Spiritus meus novit me fidem habere. 1. Cor. 2. 11. Deinde habeo effecta fidei, n. justificationem, pacem conscientiæ, adoptionem, sanctificationem, & inchoatam glorificationem: Ergò & ipsam fidem habeo. 5. Credo in Deum per Christum: ergò sum electus ad vitam æternam: quia soli electi credunt. Act. 13. 48. 8. Quis finis tentationum Christianorum? 1. Ne magnitudine donorum elati efferamur. 2. Ut assiduitate tentationum exercitati, eo valentiores in pugnando efficiamur. 3. Ut inde cognoscamus nos DEO tantò esse gratiores, quò plures tentationes immittit, & quo quisque in fide perfectior est, eò plures insultus Diaboli ferre cogitur. 4. Ut militemus DEO. Militia enim est vita hominis super terram. Iob. 7. & planè non est Christianus quisquam, nisi tentetur. Disce ergo quæso militiam christianã ex Perk. tom. 1. c. 40.

703147

CAPUT XIII.

De Cultu Instituto.

ANALYSIS.

CULTUS institutus explicatur. I. A definitione. th. 1. A II. præcepto secundo, qvo instituitur. th. 2. III. A causa instituente. th. 3. ex qva consectarium de varietate cultus instituti infertur. th. 4. IV. A genere vel generis qvalitate. th. 5. V. Ab affectione, qvam habet ad cultum naturalem. th. 6. qvæ, 1. ab objectione vindicatur. th. 7. 2. consectatio illustratur. th. 8. ex qvo aliud consectarium seqvitur. th. 9. VI. A conditione cultum instituti legitimum reddente. th. 10. qvæ. 1. probatur. 1. an ita sit. th. 11. 12. 2. cur ita sit. th. 13. 2. usus submistrat. th. 14. 15. VI. A modo observandi cultū à Deo institutū. th. 16. VII. A speciebus. qvæ. 1. enumerātur. 2. distinguuntur in primarias, & secundarias. th. 17. 3. genus earum inæqvale indicatur. th. 18. unde consectarium de modo has species cultus instituti observandi suppeditatur. th. 19. qvi. 1. ab objectionibus duabus liberatur. th. 20. 2. nomine qvodam insignitur. th. 21. VIII. Ab oppositō, qvi est voluntarius illecultus, qvi ab hominibus excogitatur. th. 23. qvi explicatur. 1. à synonymo, superstitione. th. 24. qvæ explicatur. 1. à definitione, th. 25. ubi ratio redditur. 1. cur superstitio dicatur cultus Dei indebitus. th. 26. 2. notatur respectus, qvo superstitio dicitur cultus indebitus. th. 27. 2. à synonymo ex th. 27. illato. 2. excessu religionis. th. 28. cujus indicantur subjecta. th. 29. qvæ ab objectione liberantur. th. 30. 2. à speciebus suis, qvæ. 1. distinguūtur. th. 31. 2. opponūtur. Primò auditioni verbi, qvæ sunt. 1. institutio per imagines, qvæ ab hominibus excogitātur. th. 32. qvæ damnātur. th. 33. 2. traditionū vēditatio, qva proponūtur ut regulæ religionis. 3. ceremoniæ mysticæ. th. 34. qvæ. 1. rejiciūtur. th. 35. 2. ab objectione liberātur. th. 36. Secūdo, Sacramentis, qvæ sunt. 1. sacrificia propriedicta. th. 37. qvæ rejiciuntur ibidem. 2. novorum sigillorum gratiam Dei aliqvam obsignantium ordinatio. th. 38. qvæ rejiciuntur ibidem. Tertio precationi, qva est relativus imaginum usus. th. 39. cujus synonymum indicatur. dicitur enim idololatria. th. 40. qvæ, 1. distinguitur ab idololatria, qvæ primo præcepto repugnat. th. 41. 2. prolepticè cōficmatur. th. 42. 3. usu illustratur. th. 43. Qvartò fidelium combinationi parochiali, qvæ est fidelium combinatio visibilis œcumenica, provincialis, nationalis. Qvintò ministrorum à Deo institutorum, vocationi, ordinationi, ministerio, qvæ sunt hierarchia, religiosorum ordines, eorum episcopalis ordinatio, ministerium. Sextò disciplinæ sacræ, qvæ sunt censuræ pontificiorum. th. 44. IX. A damnatione eorum, qvi secundum præceptum, in qvo cultus institutus præcipitur, vel omittunt, vel mutilant. th. 45.

EXPLICATIO.

1. Quid est cultus institutus?

Cultus

703147

Cultus institutus est medium, &c, hoc est cultus institutus continet in se media à DEO ordinata, ut per illa fides, spes, charitas nostra erga Deum exerceatur, promoveatur. Media verò illa, qvibus Deus fidem, spem, charitatem nostram in hac vita exercere & promovere voluit, sunt publica verbi prædicatio, verorum sacramentorum celebratio, vera precatio, combinatio fidelium in veras Ecclesias, verorum ministrorum electio, ordinatio, functio, veræ ecclesiasticæ disciplinæ cura. Ubi est 1. definitum: cultus institutus. 2. definitionis. 1. genus, qvod ratione methodi est pars religionis altera, ut vides c. 5. th. 1. ratione verò essentiæ est medium. 2. differentia, desumpta. 1. ab efficiente: ex Dei voluntate ordinatum, cultus enim naturalis non pendet à voluntate Dei, ut vides. th. 3. 2. à fine: ad cultum naturalem exercendum & promovendum.

II. Quoto præcepto ordinavit Deus media ista cultum naturalem, n. fidem, spem, charitatem exercentia, & promoventia?

Secundo præcepto: Ne facias tibi simulachrum, &c. hoc est, ne colas Deum mediis ab hominibus fictis, ut institutione per imagines; traditionum venditatione; missâ; falsis Sacramentis, precatione coram imaginibus; combinatione fidelium in Ecclesias falsas; falso ministerio; falsa disciplinâ; Sed colas Deum mediis ab ipso ordinatis: n. publica verbi prædicatione; verorum Sacramentorum celebratione; verâ precatione; combinatione fidelium in veras Ecclesias; verorum ministrorum electione, functione; veræ disciplinæ exercitio. Obj. præoce: Secundum præceptum removet à cultu Dei tantum imaginem: Ergò non illa, qvæ recensuisti. Resp. Conseq. negatur: qvia secundum præceptū synecdochice à cultu Dei imaginem removendo, removet etiam illa omnia illegitima cultûs media. Ponitur enim ibi synecdochice præcipuum veterum illegitimum Deum colendi medium n, imago, sive sculpta, Act. 17. 29. sive picta. Num. 33. 52. sive fusa. Hose. 3. 2. & intelliguntur etiam alia omnia minus præcipua, qvæ recensuimus. Additur in ista thesi 1. oppositorum mediorum: nam ut aliud qvodlibet Decalogi mandatum, sic hoc explicandum est vel affirmativè, seu per thesin, ubi virtutes recensentur; vel negativè, seu per arsin, ubi opposita vitia enumerantur: qvod optimè fit: qvia, dissentanea juxta se posita clariora fiunt: & negatio, qvæ falsum, & peccatum dedocet, sequitur ex affirmatione, qvæ veritatem & virtutem docet. In omni ergo explicatione boni interpretes falsum & malum dedocent, verum & bonum docent, hoc modo: Ne colas Deum mediis ab hominibus excogitatis; sed colas eum mediis ab ipsomet ordinatis. Talem explicandi modum frequentèr offendes apud bonos Authores. Talem vides & sequenti thesi.

III. Un-

703147

III. Unde pendet cultus institutus, seu publica verbi prædicatio, &c?

A voluntate Dei, seu à liberrima Dei institutione. Patet. 1. an ita sit. Matth. 28. 19. 20. ubi Christus libere instituit publicam verbi prædicationem, sacramentorum celebrationem, adeoqve etiam combinationem fidelium in veras Ecclesias, verum ministerium, veram disciplinam: positis enim prioribus Deum colendi mediis, poni debent necessario posteriora. 2. cur ita sit: 1. qvia cultus institutus, n. solennis verbi prædicatio, &c. pendet à verbo Dei: Ergò cultus institutus pendet à voluntate Dei. Ratio consequentiæ, qvia verbum Dei pendet à voluntate ejus: dicitur enim verbum Dei voluntas signi. 2. qvia opera omnia adextra pendent à voluntate Dei. Psal. 33. 9. Apoc. 4. 11. Ergò & cultus Dei institutus. 3. qvia sicut ex cognitione naturæ Dei oritur cultus naturalis, ut dictum c. 5. th. 3. sic ex cognitione voluntatis Dei oritur cultus Dei institutus. Refutatio. Ergò cultus institutus non pendet in specie & immediate à natura Dei, vel ex illo honore, qvem vi creationis Deo debemus, id est, ex cultu naturali, n. fide, spe, charitate. Additur, in specie, & immediate: qvia cultus institutus, in genere & mediante præcepto, seu voluntate Dei, pendet etiam à natura Dei, & à cultu naturali, ut. th. 6. 8. dicetur. Informatio habetur thesi seqventi.

IV. Qualis fuit cultus institutus in V. T.?

Fuit varius, alius ante Christum exhibitum, alius

alius post. Patet an ita sit ex Med. l. 1. c. 38. & seqq. ubi Deus aliis mediis colebatur ab Adamo ad Abrahamum; aliis ab Abrahamo ad Mosen; aliis à Mose ad Christum; aliis colitur à Christo ad finem seculi; aliis coletur à fine seculi in æternum. 2. cur ita sit: 1. qvia voluntaria sunt mutabilia. 2. qvia Ecclesiæ constitutio fuit, & erit varia, seu mutabilis: Ergò & cultus institutus debuit, debet, debebit esse mutabilis. Informatio. Differt ergò cultus institutus à cultu naturali: qvia ille pendet à voluntate Dei, ut dictum. th 3. hic vero à natura Dei, ut dictum c. 5. th. 3. adeoqve ille oritur ex cognitione DEI supernaturali; hic ex cognitione Dei naturali; adeoqve illum dictat liber scripturæ, hunc liber naturæ: ille est necessarius ad salutem ex hypothesi voluntatis Dei; hic vero absolutè. possumus enim sine solenni verbi prædicatione, Sacramentorum celebratione, &c. salvari; sed non sine fide, spe, charitate, ut dictum c. 5. th. 5. ille est mutabilis; hic vero immutabilis, ut dictum c. 5. th. 6.

V. Cultus institutus qvale medium est Dei colendi?

Cultus institutus, ut solennis verbi prædicatio, &c. est medium non simpliciter, sed medium relationem habens ad cultum naturalem, seu est medium fidem, spem, charitatem exercens & promovens Patet. 1. an ita sit. Marc. 16. 15. 16. Prædicate-qvi crediderit. Sic. Rom. 10. 14. 17. 2. cur ita sit: qvia si cultus institutus, n. solennis verbi prædicatio, &c. non esset

703147

medium fidem, ſpem, charitatem exercens & promovens, non poſſet cultus Dei dici, qvia non tribueret DEO debitum honorem qvoad eſſentiam actus, qvia cum ſubjectione debita non reciperet à Deo, qvæ nobis proponit recipienda, nec cum eadem ſubjectione offeret Deo, qvæ ad honorem ipſius à nobis poſſunt offerri, qvia hoc facere eſt fidei, ſpei, charitatis, qvia hoc facere eſt auditionis verbi & orationis, qvæ ſunt actus fidei, ſpei, charitatis, ut dictum c. 8. th. 2. cum c. 4. th. 25. Additur, qvoad eſſentiam actus, qvia in cultu inſtituto, n. ſolenni verbi prædicatione, Sacramentorum celebratione, precatione, homines ſine fide, ſpe, charitate, hypocritice, & apparenter, colere Deum, id eſt, honorem debitum ei tribuere, id eſt, cum ſubjectione recipere, qvæ Deus nobis offert, & cum eadem ſubjectione offerre, qvæ Deus à nobis recipiat, videntur; ſed tamen vere & realiter hoc non faciunt, juxta illud. 2. Tim. 3. 5. Habentes formam pietatis, ſed qvi vim ejus abnegarint. Qvalis ergo cultus DEI dicitur cultus inſtitutus, n. ſolennis verbi prædicatio, &c? Cultus inſtitutus dicitur cultus Dei ſecundarius, & participans naturam cultus prioris, n. naturalis, eſſentialis, n. fidei, ſpei, charitatis. Ratio, qvia iſti actus, n. cum ſubjectione recipere, qvæ Deus offert, & cum eadem ſubjectione offerre, qvæ Deus recipiat, adeoqve fides, ſpes, charitas, ſeu primarius & eſſentialis Dei cultus, in iis, qvæ Deus inſtituit ad ſuum honorem, id eſt, in cultu inſtituto, n. ſolenni verbi prædicatione, &c. ſpeciali modo exercentur. Additur, ſpeciali modo: qvia

modo communi actus iſti exercentur in auditione verbi & oratione, adeoqve in fide, ſpe, charitate, ut dictum. Summa ſummarum, cultus inſtitutus dicitur cultus Dei, qvia cultum Dei, n. fidem, ſpem, charitatem exercet, & promovet; uti auditio verbi ob hanc rationē dicebatur cultus Dei religioſus, c. 8. th. 20. Et cultus Dei inſtitutus ideò dicitur medium non ſimpliciter, ſed medium cultum naturalem, n. fidem, ſpem, charitatem exercens & promovens, qvia cultus inſtitutus ſine cultu naturali, n. fide, ſpe, charitate non poteſt dici cultus Dei: aliàs hypocritæ, qvi in cultu inſtituto, n. ſolenni verbi prædicatione, Sacramentorum celebratione, publica precatione frequentiſſimi ſunt, optimi Dei cultores eſſent.

VI. *Cultus inſtitutus qvam affectionem habet ad cultum naturalem?*

Cultus inſtitutus eſt cultûs naturalis: 1. effectus: qvia ſicut auditio verbi, oratio oritur ex cultu naturali, n. fide, ſpe, charitate: ſic cultus inſtitutus, n. prædicatio verbi, ſacramentorum celebratio, precatio oritur ex cultu naturali, n. fide, ſpe, charitate. Et, ſicut religio imperat juſtitiæ, & eſt ejus cauſa efficiens, ut dictum c. 4. th. 7. ſic cultus naturalis imperat cultui inſtituto, & eſt ejus cauſa efficiens. 2. medium, ſeu inſtrumentum: qvia cultus naturalis, n. fides, ſpes, charitas eſt cauſa efficiens omnium bonorum operum, n. liberalitatis, miſericordiæ, &c. At cultus naturalis, n. fides, ſpes, charitas efficit omnia bona opera ſvadente cultu inſtituto, n. prædicatione, ſacramentis,

703147

precatione, Ecclesia, ministerio, disciplina: Ergò 3. causa adjuvans: qvia cultus institutus, n. prædicatio verbi adjuvat generationem fidei, adeoqve spei, charitatis. Rom. 10. 17. Sacramentorum celebratio genitam fidem, adeoqve spem, charitatem confirmat: disciplina sacra genitam & confirmatam fidem, spem, charitatem adversus peccata custodit. Med. l. 1. c. 37. th. 2. 4. adjunctum: qvia cultus institutus, n. prædicatio verbi, &c. præter essentiam adjungitur cultui naturali, n. fidei, spei, charitati: cultus enim institutus non constituit cultum naturalem: Et cultus naturalis est cultus, & qvidem sufficiens ad salutem, sine cultu instituto, licet cultus institutus non sit cultus, multo minus sufficiens ad salutem, sine cultu naturali.

VII. Obj. præocc: Cultus institutus est cultus naturalis non tantum medium, sed etiam effectum, causa adjuvans, adjunctum, ut dictum. th. 6. Ergò cultus institutus non tantum ideò dicitur cultus Dei, qvia est medium cultus naturalis, ut dictum. th. 1. & 5. Resp. cultus institutus primario ideò dicitur cultus Dei, qvia est medium & causa adjuvans cultus naturalis, sicut auditio verbi ideo est cultus Dei, qvia est medium cultū naturalē exercens, ut dictū. c. 8. th. 10. sed secundariò ideò, qvia est effectum & adjunctum cultus naturalis.

VIII. Quibus argumentis svadet nobis scriptura cultum institutum, n. prædicationem verbi, &c?

Cultus institutus, n. prædicatio verbi, &c. sæpè

sæpè svadetur nobis primariò seu essentiali & naturali Dei cultu, seu ratione morali, seu immutabili, n. dilectione Dei. Patet. 1. an ita sit ex præcepto secundo: qvi diligunt me & observant mandata mea, hoc est, qvi cultum meum institutum, n. prædicationem verbi, &c. observant, illi diligunt me. Vel, diligere debetis me: Ergò cultum meum institutum seu præceptum servare debetis. Sic. Deut. 10. 12. 13. 2. cur ita sit: qvia cultus institutus, posito seu mediante præcepto Dei secundo, fluit ex primario, seu essentiali, & naturali Dei cultu, n. fide, spe, charitate, ut dictum. th. 6. cum 2. Additur; 1. posito seu mediante secundo Dei præcepto: qvia, si cultus institutus sine secundo Dei præcepto flueret ex cultu Dei naturali, dici deberet non cultus institutus, sed naturalis, ut auditio verbi & oratio, qvæ fluūt ex cultu Dei naturali sine interventu alicujus Dei præcepti, ut vides c. 8. th. 1. 2. Sæpè: qvia cultus Dei institutus, n. verbi prædicatio, Sacramentorum celebratio, precatio svadetur nobis sæpè etiam aliis argumentis, n. promissione, & comminatione Dei, &c.

IX. Estne catholicæ veritatis, seu semper vera illa regula interpretandi scripturas, quæ traditur à quibusdam, quod officia illa omnia sunt moralia, seu immutabilia, quæ rationes immutabiles habent sibi annexas, id est, an sit illa regula omnino certa (quæ à nonnullis

703147

tradi solet) ubi ratio legis redditur moralis, ibi lex ipsa est moralis?

Regula illa non est semper vera. Patet. 1. an ita sit. 1. ex officiis secundi præcepti, qvæ habent sibi annexam rationē moralē, seu immutabilem, n. dilectionem DEI, ut dictum; sed tamen officia illa non sunt moralia seu immutabilia, sed mutabilia, ut dictum, th. 4. 2. ex Lev. 11. 44. ubi lex illa, n. ne polluite vos ullo reptili, habet rationem moralem, seu immutabilem, n. sitis sancti, qvia ego sanctus sum; sed tamen lex illa non est lex moralis, seu immutabilis, sed ceremonialis & mutabilis, lex enim illa hodiè non obligat. 2. cur ita sit: qvia potest generali ratione confirmari specialis qvælibet determinatio; & legislatoris immutabilis natura, in legibus mutabilibus stabiliendis, suum locum & virtutem habet. Qvando ergò vera est regula illa Theologorū? Qvando illa officia seqvuntur ex illis rationibus, nullo singulari Dei præcepto intercedente, seu, ubi specialis interna & propria legis ratio est moralis, seu immutabilis, ibi semper seqvitur legem ipsam esse moralem, seu immutabilem. Sic celebrate, id est, diligite Iehovam, est officium morale, seu immutabile, qvia confirmatur nō communi, sed speciali ratione, n. qvia bonus est. Psal. 106. 1. Ames. l. 5. cas. c. 1. q. 9. 1. 7. Vend. l. 2. Theol. c. 4. th. 5. expl. 3.

X. Quid reddit cultum institutum legitimum, seu quis cultus institutus est legitimus?

Cultum

Cultum institutum institutio Dei reddit legitimum, seu ille cultus institutus est legitimus, licitus, bonus, qvi à Deo est præceptus & ordinatus. Vel, illis mediis tantum colendus est Deus, qvibus ipsemet se in suo verbo coli præcepit. Patet. 1. an ita sit. 1. ex locis subjectis, Exod. 23. 13. Deut. 4. 2. & 12. 32. 1. Chron. 10. 13.

XI. 2. Ex illa phrasi: non facies tibi, id est, pro tuo arbitrio, & ex tuo placito nullum cultum introduces. Obj: præocc: Phrasis illa, non facies tibi, significat, qvod non facies, ita ut tibi redundet, vel aliud notet: Ergò phrasis illa, non facies tibi, non bene explicatur. Resp. Qvamvis phrasis illa aliqvando significat, qvod non facies, ita ut tibi redundet, vel aliud notet, n. personæ demonstrationem; hîc tamen dicto jam sensu accipiendam esse illam phrasin svadet: 1. brevileqvium Decalogi, ubi redundantia esse non potest. 2. materia, de qva agitur, 3. loca alia phrasin illam sic explicantia. Amos. 5. 26. Num. 15. 39. Sciag. Dom. 35. doc. 1.

XII. 3. Ex illis verbis: eorum qvæ sunt in cœlis supra aut qvæ in terris infra, aut qvæ in aqvis infra terram: ubi, omnium rerum imago prohibetur: Ergò omnis cultus ab hominibus excogitatus damnatur. Ratio consequentiæ, qvia prohibitio omnis imaginis significat hîc (ut dictum th. 2.) omnis cultus ab hominibus excogitati prohibitionem.

XIII. 2. cur ita sit: 1. qvia nemo præter Deum ipsum intelligere potest, qvid illi gratum sit. 2. qvia nemo præter Deum potest virtutem

703147

tutem illam cultui alicui adjicere, qvâ efficax fieri possit, & nobis utilis. 3. qvia non potest qvicqvam esse Deo honorificum, qvod ab ipsomet non procedit tanqvam ejus Authore. 4. qvia non legimus potestatem hujusmodi cuiqvam unqvam datam esse à Deo, ut cultum aliqvem instituat suo arbitratu: qvod patet. Matth. 15. 9. Frustra me colunt docentes doctrinas, qvæ sunt mandata hominum. Vides has rationes etiam in Sciagr. Dom. 35. doc. 1. Duæ informationes habētur. th. 14. 15. Refutatio adversus pontificios, qvi voluntariis, & humanis traditionibus, & institutis omnes partes cultus divini contaminarunt. Directio. In Deo colendo accuratam rationem habeamus sanctarum institutionum Dei, in ministerio verbi, sacramentorum, & disciplinæ; & ab altera parte rejiciamus omnia commenta humana qvamvis specioso colore, & prætextu aliqvo possint commendari.

XIV. Quid judicas de illis, qui cultum religiosum ab hominibus institutum legitimum esse agnoscunt, & observant?

Illi implicite, & per interpretationem Dei ipsius, illos homines Deum sibi constituunt, & honorem soli Deo debitum, n. potestatem, cultum religiosum instituendi, illis tribuunt: qvia (ut dictum. th. 10.) ille cultus institutus est legitimus, qvi à Deo est præceptus, & ordinatus. Sic faciunt Pontificii, sed sic facimus & nos, dùm cum illis cultum religiosum ab hominibus excogitatum observamus, & veneramus:

mur: adeoqve hac in parte magni idololatræ una cum illis existimus.

XV. Quid consequenter sentis de illis, qui cultum religiosum à Diabolo introductum legitimū agnoscūt, & observant?

Illi etiam Diabolum sibi constituunt Deum, & cum religiosè colunt (qvia honorem soli Deo debitum, n. potestatem, & authoritatem cultum religiosum instituendi, illi tribuunt) qvod patet tùm an ita sit. 1. Cor. 10. 20. Lev. 17. 7. Deut. 32. 17. tùm cur ita sit: qvia (ut dictum th. 10.) ille cultus institutus est legitimus, adeoqve observandus, qvi à Deo est præceptus, & ordinatus. Sic faciunt Pontificii, & nos in qvibusdam cum illis: qvia cultus ab hominibus excogitati, qvem observamus, Diabolus est primarius Author. Sciagr. dom. 35. doc. 2. rat. 3.

XVI. Qui observandus est cultus institutus?

Cultus institutus, n. publica verbi prædicatio, Sacramentorum celebratio, precatio, &c. eadem religione, id est, subiectione animæ, adeoqve fide, spe, charitate observari debet, qvâ verbum Dei recipimus, & nomen ejus invocamus. cap. 8. th. 14. 18. & c. 9. th. 4. & seqq. Observa ergò, ut auditio verbi, & oratio ex fide, spe, charitate fluere debet; sic cultus institutus, ni. publica verbi prædicatio, baptismi, & cœnæ celebratio, precatio, fidelium combinatio, ministrorum electio, disciplinæ Eccle-

703147

Ecclesiasticæ cura, ex fide, spe, charitate erga Deum fieri debet. Patet, 1. an ita sit. Deut. 6. 17. ubi, Deus simul præcipit cultum institutum, cum auditione verbi, & oratione: Ergò eodem modo exerceri debent. Ratio consequentiæ, qvia erga præceptum Dei qvodlibet fide, spe, charitate ferri debemus. 2. Cur ita sit. 1. qvia cultus institutus est medium, qvo cultus naturalis, n. fides, spes, charitas, & hinc fluentes actus, n. auditio verbi, & oratio exercetur. Ergo, &c. Ratio consequentiæ, qvia circa finem, & media eodem modo debemus versari, 2. qvia ut cultus naturalis, adeoqve auditio verbi Dei, & invocatio ejus est pars religionis: sic cultus institutus etiam est pars religionis supra: c. 5. th. 8. 3. qvia qvod non sit ex fide, adeoqve spe, charitate peccatum est. Admonitio. Ergò. 1. Ne simus profani in observatione cultus instituti, n. prædicationis verbi, celebrationis Sacramentorū, &c. 2. Cultum institutum à Deo religiosè observemus: 1. qvia cultus institutus si non observetur religiosè, non erit pars religionis, adeoqve non erit cultus religiosus, adeoqve cultus Dei non erit, & sic oleum, & operam perdemus. 2. qvia severè punit Deus cultum institutum religiosè non observantes. 1. Cor. 11. v. 29. 30. Deut. 28. 14. & seqq. 3. qvia cultus institutus observatus sine religione erga Deum displicet DEO. Esa. 1. 11. & seqq.

XVII. 1. *Qui sunt cultus à Deo instituti?*

Publica verbi prædicatio, baptismi, & cœnæ cele-

celebratio, precatio, fidelium combinatio, ministrorum electio, disciplinæ Ecclesiasticæ cura: de qvibus. Med. l. 1. c. 35. 36. 40. 32. 33. 37. 2. Qvotuplices sunt cultus instituti à Deo? Duplices: n. 1. immediati, qvi immediatè cultum naturalem, n. fidem, spem, charitatem exercent, & promovent: qvales sunt publica verbi prædicatio, Sacramentorum celebratio, precatio. 2. mediati, qvi ad publicam verbi prædicationem, Sacramentorum celebrationem, precationem rectè præstandam faciunt; adeoqve mediante prædicatione verbi, Sacramentorum celebratione, precatione, fidē, spem, charitatem exercent, & promovent: qvales sunt fidelium combinatio in certos cœtus, seu Ecclesias, ministrorum à Deo ordinatorum, n. Doctorum, Pastorum, Presbyterorum regentium, Diaconorū, electio, ordinatio, ministratio, Ecclesiasticæ disciplinæ cura: sine fidelium combinatione, ministrorum electione, disciplina, publica verbi prædicatio, sacramentorum celebratio, precatio, rectè fieri neqvit; adeoqve publica verbi prædicatio, sacramentorum celebratio, precatio, sine combinatione fidelium, ministrorum electione, disciplina, fidem, spem, charitatem exercere & promovere non potest. 3. Differtne prædicatio verbi publica, precatio, ab auditione verbi & oratione, de qvibus supra c. 8. & 9. egimus? Sic, qvia prædicatio verbi, & precatio est cultus institutus; Sed auditio verbi & oratio est cultus naturalis. Observa ergo. Cultus à Deo institutī hi tantum sunt, n. publica verbi prædicatio, &c. Patet. 1. an ita sit. 1. in genere ex secundo præ-

703147

do præcepto: n. Ne facias tibi, &c. hoc est cole Deum publica verbi prædicatione, sacramentorum baptismi & cœnæ celebratione, &c. 2. in specie. Matth. 28. ubi prædicatio verbi publica, & baptismi celebratio instituitur. 1. Cor. 11. ubi Sacræ Cœnæ celebratio instituitur, 2. cur ita sit: 1. qvia tantum hi cultus instituti placuerunt Deo. 2. qvia tantum hi cultus instituti sunt efficacia media, cultum naturalem. n. fidem, spem, charitatem exercendi. 3. qvia hi tantum cultus instituti conveniebant naturæ N. T. Institutio. Ergò tantum hos cultus institutos observare tenemur. Refutatio. Ergò errant Pontificii alios cultus institutos observantes, ut vides. th. 31. & seqq.

XVIII. Prædicatio publica verbi, sacramentorum celebratio, precatio, estne aque cultus Dei institutus ac combinatio, fidelium, ministrorum electio, disciplina?

1. Publica verbi prædicatio, sacramentorum celebratio, precatio magis est cultus Dei institutus, qvam combinatio fidelium, ministrorum vocatio, disciplina: qvia publica verbi prædicatio, sacramentorum celebratio, precatio magis exercent & promovent cultum DEI naturalē, qvia immediate eum exercent & promovent; sed combinatio fidelium, ministrorum electio, disciplina minus exercent & promovent cultum naturalem, qvia mediate tantū eum exercent & promovent, ut dictum th. 17. Obsetva. Publica verbi prædicatio, sacramentorum

rum celebratio, &c. sunt cultus Dei institutus. Patet. 1. an ita sit. 1. ex. 2. præcepto: Non facies, &c. id est, cole Deum publica verbi prædicatione, &c. 2. ex. Matth. 15. 9. ubi media illegitima Deum colendi negantur esse cultus Dei institutus: Ergò media legitima affirmantur esse cultus Dei institutus. 2. cur ita sit. 1. Publica verbi prædicatio, Sacramentorum celebratio, precatio est cultus Dei institutus: qvia cultum Dei naturalem, n. fidem, spem, charitatem exercent & promovent. Ob eam rationem dicitur & auditio verbi etiā cultus DEI, ut dictum c. 8. th. 20. 2. qvia honorem immediatè Deo deferunt. 3. qvia ex naturali Dei cultu fluunt. 2. combinatio fidelium, ministrorum electio, disciplina est etiam cultus Dei institutus, & generali ratione, qvia omnia cultus & religionis actus dicūtur, qvæ ullo modo à religione fluunt & imperantur: & singulari sua natura, qvia eorum adæqvatus finis & usus est, ut Deus rectè colatur. Obj. Combinatio fideliū, ministroū electio & cætera cultus naturalis media oriuntur à religione, id est, fide, spe, charitate: Ergò nō duo sunt actus religionis, n. auditio verbi & oratio cōtra c. 8. th. 1. Resp. Cōseq. negat: qvia illa oriuntur ex religione externè, imperativè, ut etiam omnia officia justitiæ fluunt & imperantur à religione c. 4. th. 7. hæc verò internè, essentialiter. Institutio habetur. th. 19.

XIX. Quî debent illæ species cultus institui à nobis observari?

703147

Publica verbi prædicatio, baptismi, & cœnæ celebratio, &c. ita debent à nobis observari, prout Deus constituit. Patet. 1. an ita sit. Exod. 25, 13. Sic. 1. Chron. 10. 13. 2. cur ita sit: 1. qvia prædicatio verbi, sacramentorum celebratio &c. sunt cultus DEI, ut dictū. th. 18. 2. qvia Deo suo proprio cultu, toto, ac solo, à nobis est colendus; hic enim nihil addendum, nihil detrahendum, nihil mutandum est, ut dicit Moses. Deut. 4. 2. & 12. 32. 3. qvia prædicatio verbi, sacramentorum celebratio, &c. est actio bona: At si non ita fiat, sicut Deus ordinavit, non erit bona actio, qvia formā, seu modō afficit aliqvā nostrā actionē bonā, ut dictum supra c. 1. th. 7. cum th. 16. Ergò. 4. qvia Deus valdè punit illos, qvi media cultus non ita observant, prout ille constituit: qvod patet tùm ex scripturæ testimoniis, Apoc. 22. 18. 19. Sic ex 3. præcepto: tùm ex exemplis filiorum Aharonis aliono igni sacrificantium, Israelis per vitulū Deum colentis, Uzzæ arcam sustentantis, Saulis, & Uziæ sacrificantis, Iudæorum Samariæ habitantium, qvi cultum à Deo institutum non ita observarunt, ut Deus instituit, & severe punitisunt. Correctio. Peccant ergo Pontificii & omnes illi, qvi prædicationem verbi, sacramentorum celebrationem non ita observant, ut Deus instituit, partim enim augent partim minuunt; partim immutant, ut infra ex oppositis harum cultus instituti specierum oppositis apparet.

XX. 1. Obj. Pontif. præcep: Deut. 12. 32. Prohibemur addere talia qvæ cultum institu-

institutum corrumpunt, sed non prohibemur talia addere, qvæ cultum institutum conservant & perficiunt: Ergò licet cultui instituto talia addere, qvæ eum conservant. Resp. Distinctio illa additionis est mala. 1. qvia, sicut hoc loco omnis detractio prohibetur; sic omnis additio prohibetur. 2. qvia sicut omnis detractio corrumpit cultum institutum; sic omnis additio corrumpit cultum institutum, qvia detrahit ejus perfectioni. Bell. Enervat. tom. 1. pag. 236.

XXI. 2. Obj. Pontif. præcep: Citato loco prohibemur addere cultui instituto essentialia, qvalia sunt nova media Deum colendi, non accidentalia, qvalia sunt præcepta de loco, tempore, modo, &c. Deum colendi: Ergò licet cultui instituto accidentalia addere. Resp. Distinctio illa additionis etiam est mala: 1. qvia nullus cultus simpliciter dici debet accidentalis, qvia habet in se essentiam ipsam cultus, qvæ est debitum honorem Deo deferre; licet dentur in cultu accidentia, seu adjuncta qvædam, qvales sunt leges de loco, tempore, modo, &c. Deum colendi. 2. qvia & minima mandata Dei observanda sunt. Matth. 5. 18. 19. Ergò & minimæ additiones rejiciendæ sunt, qvales sunt additiones accidentales, de loco, tempore, modo, Deum colendi. 3. qvia Moses citato loco prohibet etiam additiones accidentalium, qvales sunt leges de loco, modo, abstinentia à sanguine, &c. Pontificii circa cultum Dei institutum & mandata Dei peccant etiam additione & detractione, ut infra in oppositis patebit.

703147

XXII. Quî vocatur modus cultum instituendi observandi. thesi. 19. requisitus ?

Hæc observatio, qva scil. media Deum colendi ita in genere & specie observantur, prout à Deo constituta sunt, singulari ratione vocatur obedientia erga Deum: qvod patet tùm an ita sit. Rom. 6. 16. tùm cur ita sit: qvia per talem observationem cultus instituti facimus qvod rectum videtur in oculis Iehovæ. Deut. 12. 25. 28. qvamvis alia qvædam rectiora videantur in oculis nostris Additur singulari ratione: qvia in genere observatio omnium mandatorum Dei vocatur obedientia, ut dictum c. 1. th. 5. Correctio. Ergò Pontificii & illi, qvi cultum institutum non ita observant, sicut Deus constituit, non sunt obedientes erga Deum. Obj. Rectiora sunt media, qvibus Pontificii Deum colunt, qvàm media à DEO constituta, qvia illa magis devotos reddunt Dei cultores, qvàm hæc: Ergò Pontificii aliter observantes cultum institutum sunt obedientes erga Deum. Resp. Antecedens blasphemiâ non caret.

XXIII. Quid opponitur cultui à Deo instituto ?

Voluntarius ille cultus, qvi ab hominibus excogitatur: qvalis cultus est institutio per imagines, traditionum venditatio, missa, sacramenta qvinqve, relativus imaginum usus, Ecclesiæ œcumenica, provincialis, hierarchia, religiosorum ordines, censuræ, ut vides à th. 32. ad finem.

nem capitis: item peregrinationes ad loca sancta, virginitas cœlibatus, monialium, & monachorum, abstinentia ab esu carnium, die veneris usitata, lustratio templorum, & hominum per aqvas certò ritu, & modo præparatas, opera satisfactoria, pœnitentibus imperata, victus vestiumqve ratio singularis inter diversorum ordinum Ecclesiasticorum viros, & fœminas, professiones, &c. ut vides in Vendelino pag. mihi 817. Observa. 1. Cultus talis ab hominibus excogitatus adversatur cultui à Deo instituto. Patet. 1. an ita sit. Matth. 15. 9. Sic. Colos. 2. 23. ubi cultus voluntarius ab hominibus excogitatus damnatur: qvod non fieret, si cultui à Deo instituto non adversaretur. 2. cur ita sit. 1. Qvia cultus voluntarius ab hominibus institutus est illicitus, qvia est prohibitus 2. præcepto; sed voluntarius cultus à Deo institutus est licitus, qvia est præceptus. Ibidem. 2. Qvia cultus à Deo institutus est doctrina, & præceptum Dei; sed cultus ab hominibus institutus est doctrina, & præceptum hominum. 3. Qvia cultus à Deo instituti est utilis; sed cultus ab hominibus inventus est vanus, & frustraneus. 4. Qvia cultus à Deo præceptus est gratus Deo; Psal. 141. 2. Sed cultus ab hominibus fictus est ingratus Deo, qvia conjunctus est cum opinione meriti. 5. Qvia cultus à Deo ordinatus est obedientia erga Deum, qvia est à Deo præceptus; sed cultus ab hominibus ordinatus non est obedientia erga Deum, qvia non est præceptus à Deo. Correctio. Ergò peccant, qvi Deum cultu ab hominibus ficto colunt, ut Pontificii, & alii. 2. Voluntarius

703147

rius cultus ab hominibus institutus est illicitus, adeoqve damnandus. Patet. 1. an ita sit. Matth. 15, 9. Sic. Colos. 2. 23. 2. Cur ita sit, 1. qvia cultus voluntarius ab hominibus institutus repugnat cultui à Deo instituto, ut peccatum virtuti. Marc. 7. 8. 9. 2. qvia cultus voluntarius ab hominibus excogitatus vocatur superstitio, qvæ damnatur, qvia est peccatum. 1. Sam. 15. 23. 3. qvia cultus voluntarius ab hominibus fictus, & à Deo non præceptus non habet in se obedientiæ rationem, vult autem Deus, ut obediendo ipsum colamus, & colendo ipsi obediamus. Refutatio. Ergò errant Pontificii credentes licere Christianis, aliis cæremoniis Deum colere, qvàm ipse præcipit. Scarph. curs. Theol. tom. 1. pag. 618. Admonitio. 1. Ne colamus Deum fictis cæremoniis, seu superstitione: qvia cultus ille Deo non placet. Matth. 15. 9. 2. Colamus Deum cultu à se instituto, & præcepto, qvia illo cultu delectatur Deus.

XXIV. Qui vocatur cultus voluntarius ab hominibus institutus?

Vocatur superstitio generali nomine: Speciali enim nomine vocatur institutio per imagines, &c. ut vides infra th. 32. & seqq. Deinde, qvia superstitio est non tantum in rebus religiosis, sed etiam civilibus, ut vides in Szegedino.

XXV. Quid est superstitio?

Est peccatum, qvo Deo cultus indebitus exhibetur, seu est, cum illis mediis colimus Deum,

um, qvibus non deberemus: ut cum colimus eum illis rebus, qvæ cultui à Deo instituto adversantur: qvæ recensentur à th. 32. ad finem capitis. Observa ergo. Superstitio ferenda non est. Patet. 1. an ita sit. Deut. 12. 32. ubi superstitio tanqvam additio damnatur. 2. Cur ita sit. 1. qvia prohibetur. Eccl. 2. 17. Ne sis multum justus, id est, superstitiosus. 2. qvia est peccatum magnum. 1. Sam. 15. 23. Correctio. Peccant ergo Pontificii, & alii superstitionem ferentes.

XXVI. Superstitio quare dicitur cultus Deo indebitus?

Superstitio dicitur. 1. Cultus Dei: qvia superstitionis objectum & finis est aliqvo modo Deus. Additur aliqvo modo: qvia superstitionis, seu cultûs ab aliis inventi objectum, & finis propriè sunt ejus inventores, sive homines sint illi, sive Diaboli, ut dictum th. 14. 15. 2. Cultus indebitus, seu illicitus: qvia superstitio prohibita est à Deo in secundo præcepto.

XXVII. Quo respectu dicitur superstitio cultus indebitus?

Superstitio, seu cultus ab hominibus excogitatus dicitur cultus indebitus. 1. respectu modi indebiti, seu non præcepti à Deo, cum qvis alio modo vult aliqvid in cultu Dei observare, qvàm Deus instituit: Sic Pharisæi alio modo volebant Sabbatho cessare à laboribus, qvàm Deus constituerat, magis volebant enim cessare ab externis laboribus, qvàm Deus volebat, ut patet ex. Matth. 12. 2. & seqq. 2.

703147

respectu materiæ indebitæ, seu prohibitæ à Deo cum quis aliis mediis vult Deum colere, quàm Deus instituit: sic Pharisæi traditionibus à se excogitatis volebant Deum colere, ut patet ex. Matth. 7. 8. Voluntarius cultus à Pontificiis excogitatus utroque modo est cultus Deo indebitus.

XXVIII. Quî vocatur superstitio?

Excessus religionis. Cur vocatur superstitio excessus, seu superfluitas religionis? Quia superstitio est cultus Deo indebitus, ut dictum, th. 25. Hinc superstitio definitur etiam nimia, & superabundans pietas, seu religio, ut si quis non solùm timet, ne à Deo propter adulterium affligatur, sed etiam timet, ne à DEO condemnetur, si die veneris carnê comedat, ut videsin Szegedino, & Ravanello. Quo respectu vocatur superstitio excessus religionis? Respectu 1. modi indebiti, cum quis eo modo colit Deum, quo non debet, ut olim Pharisæi, & hodie Pontificii, qui in cultu Dei tantum externa curant, non interna, vel magis curant externum, quàm internum cultum. 2. mediorum externorum indebitorum, cum quis illis mediis, & ceremoniis vult Deum colere, quibus non debet, ut olim Pharisæi, & hodie Pontificii. Obj. Non datur in virtute excessus: Ergò superstitio non potest vocari religionis excessus. Resp. Conseq. negatur: quia superstitio dicitur excessus religionis non quoad formalem virtutem religionis, sic enim nemo potest esse religiosus nimis c. 2. th. 35. sed quoad religionis modum indebitum, & media externa indebita. Thom. 2. 2. q. 93. ar. 2.

XXIX. In quibus rebus solet esse excessus religionis, seu in quibus rebus superstitio dominatur?

Secundum Szegedinum de superstitione in rebus religionis, & civilibus: secundum Amesium autem. 1. in exercitiis illis positivis, quæ in rerum usu versantur, ut in lotione poculorum, Matth. 7. 8. victu, vestitu, peregrinatione, &c. 2. in abstinentia à quarundam rerum usu, ut in abstinentia à cibis, qui illiciti habentur, licet suâ naturâ illiciti non sint. Coloss. 2. 21. in abstinentia à capiendo cibo illotis manibus. Marc. 7. 5. in abstinentia à calcando limine infero ædis Dagonis. 1. Sam. 5. 5. in abstinentia à nendo, pinsendo, &c. Solet autem esse superstitio in illis rebus, quatenùs res illas facimus, vel ab illis abstinemus, ut iis Deus honoretur, colatur, cum iis honorari, & coli noluerit.

XXX. Obj. præcc: Superstitio solet esse etiam in abstinentia à quarundam rerum usu: Ergò quælibet abstinentia à quarundam rerum usu est superstitio. Resp. Conseq. negatur: 1. Quia abstinentia ab usu rerum revera illicitarum non est superstitio, ut abstinentia à suffocato in V. T. non fuit superstitio: nec abstinentia ab immodico vini potu est superstitio, &c. 2. Quia abstinentia à rebus licitis, quamvis illicitas putes esse, superstitio propriè non est, si abstinentiâ illarum rerum Deum colere nolueris. Sic, abstinere die veneris à carne edenda, à nendo, pinsendo, non est propriè superstitio, si cultus divini causâ non abstineas.

703147

XXXI. Quotuplex est cultus voluntarius ab hominibus excogitatus?

Ut cultus voluntarius à Deo institutus. th. 19. duplex erat: sic etiam cultus voluntarius ab hominibus excogitatus duplex est: 1. oppositus prædicationi verbi, sacramentorum celebrationi, precationi, qvibus directè exercetur cultus naturalis, n. fides, spes, charitas; vel oppositus combinationi fidelium, ministrorum electioni, Ecclesiasticæ disciplinæ, qvibus prædicatio verbi, sacramentorum celebratio, precatio rectè præstantur.

XXXII. Qui cultus voluntarii ab hominibus excogitati, & Deo indebiti adversantur prædicationi verbi?

1. Institutio per imagines ab hominibus excogitatas adversatur prædicationi verbi. Patet. 1. an ita sit, ex secundo mandato: Non facias tibi, &c. ubi institutio hominum per prædicationem verbi præcipitur: institutio vero per imagines prohibetur. Sic ex locis subjectis. 2. Cur ita fit. 1. qvia prædicatio verbi est cultus Deo debitus; sed institutio per imagines est cultus DEO indebitus. 2. qvia institutio per prædicationem verbi est utilis, est enim salutifera, ut vides ex locis Med. l. 1. c. 24. th. 10. subjectis; sed institutio per imagines est vana. Ier. 10. 8. 15. 3. qvia institutio per prædicationem verbi est vera; sed institutio per imagines est institutio falsa. Habac. 2. 18. 4. qvia væ instituere, & institui volentibus

tibus per imagines v. 19. Correctio. Ergò Pontificii stolidi sunt, qvod se & alios imaginibus erudiant. Ier. 10. 8. 2. Traditiones humanæ qvatenus proponuntur ut regulæ religionis, seu pietatis, & cultus Dei, prædicationi, & auditioni verbi Dei adversantur. Additur, qvatenus proponuntur, ut regulæ religionis: qvia traditiones humanæ verbo Dei subordinatæ, qvatenus proponuntur, ut regulæ œconomiæ, Politiæ, Ecclesiæ, Scholæ non adversantur prædicationi, & auditioni verbi Dei. Patet assertio. 1. an ita sit. Marc. 7. 8. ubi mandatum Dei traditionibus hominum opponitur: damnantur enim Hypocritæ, qvod mandatum Dei omiserint, & traditiones hominum tenuerint, id est, qvod Deum non secundum regulas verbi Dei; sed hominum coluerint. 2. Cur ita sit. 1. qvia verbum Dei est perfecta regula fidei, & morum, seu religionis, & cultus Dei. 2. qvia humanæ traditiones sunt vanæ regulæ Deum colendi. Matth. 15. 9. 3. qvia 2. præceptum omnes regulas ab hominibus excogitatas à cultu Dei excludit. 4. qvia sancti humanas traditiones nec prædicarunt, nec audiverunt unqvam in cultu Dei. 5. qvia traditiones humanæ in cultu Dei sunt ridiculæ, & inanes observationes, ut vides in Papismo. Correctio. Peccant ergo pontificii, qvod Deum non secundum verbum Dei; sed traditiones hominum colant; adeoqve in cultu Dei non regulas verbi Dei prædicent, & audiant; sed regulas ab hominibus excogitatas.

XXXIII.

703147

XXXIII. Institutio religiosa per imagines damnanda estne?

Institutio religiosa per imagines est damnanda: Patet. 1. an ita fit. Deut. 4. 15. 16. Sic. Esai. 40. 18. Ier. 10. 8. 15. Habac. 2. 18. Additur religiosa: qvia institutio per imagines extra cultum Dei non est damnanda. 1. Qvia Deus imagines non prohibet, nisi qvæ ad religionem pertinent & idololatriæ exercendæ sunt instrumenta: Atqvi non omnes imagines sunt ejusmodi. 2. Qvia artes sculptoria, fusoria, pictoria, &c. sunt Dei dona, adeoqve sine crimine exerceri possunt. 3. Qvia ipse Deus in tabernaculo, & templo suo qvasdam imagines haberi volvit & Salomon in templo Dei leones, boves, & Cherubinos, Dei jussu, sculpi, aut fundi curavit. Sic Sciagr. dom. 35. sub doc. 2. Voleb. pag. mihi 338. Scharp. curs. Th. tom. 2. p. 51. 2. Cur ita sit: 1. qvia Deus imagines non ordinavit ad hoc, ut nos institvant ad cultum DEI. 2. qvia imagines Dei Deum neqvis sit, nec qvid sit, nec qvalis sit, valent nobis ob oculos ponere. 3. qvia neqve Deum ipsum neqve ejus attributa, possunt nobis repræsentare. 1. Qvia Deus imagines non ordinavit ad hoc, ut nos in cultu Dei institvant: ad hoc enim ordinavit solum verbum suum. 2. Qvia imagines non possunt nos docere Deus colendus qvid sit, & qvis sit: adeoqve qvantus, & qvalis sit; qvia solum verbum Dei potest hoc facere; & nulla est similitudo inter Deum, & imagines ejus. 3. Qvia imagines avertunt animam à spirituali, adeoqve vera Dei contemplatione & detinent eam in corporali, adeoqve falsa ejus contemplatione. 4. Qvia, maximum est periculum in imaginibus talibus, ne paulatim allicîat nos ad defectionem à Deo sicut inquitur verbis. 2. præcepi: Non incurrabis ea, neqve adorabis. 5. qvia imagines non tantum docent nos Deum qvalis est, sed qvalis non est, qvia imagines vocantur doctores mendacii. Hab. 2. 18. Ier. 10. 18. Corollario. peccant ergò Pontificii, populum in cultu Dei per imagines, non per verbum Dei instituentes.

XXXIV. Institutio per ceremonias ad religiosam significationem ab hominibus introductas estne damnanda?

Institutio religiosa per ceremonias, qvæ ad mysticam, seu religiosam significationem ab hominibus instituuntur (ut sunt exorcismus, qvi de peccati originalis atrocitate monere, vinum eucharisticum aqvâ diluere, qvod ex Christi latere sanguinem, & aquam effluxisse significare, veste albâ, & nigrâ vestitum esse, horum, illud vitæ innocentiâ, hoc verò lustu pro populi peccatis denotare dicitur. & similes, de qvibus l. 1. c. 36. th. 32. 33.) est damnanda. Patet. 1. an ita sit ex 2. præcepto, ubi ad religiosam institutionem præcipitur prædicatio verbi Dei: ceremoniæ verò ad illum finem ab hominibus excogitatæ prohibentur sub nomine imaginis. Additur: 1. ab hominibus: qvia institutio per ceremonias ad religiosam significationem à DEO institutas, qvales sunt

703147

baptizare, cœnam administrare, non est damnanda. 2. religiosam, quia institutio per ceremonias, quæ ad civilem significationem ab hominibus instituuntur, extra cultum non est damnanda. 2. Cur ita sit:

XXXV. 1. Quia istiusmodi ceremoniæ neque per vim inditam à natura, neque per institutionem divinam, ullam habent determinatam vim docendi: per institutionem autem humanam, nullam possunt accipere, quia homo neque hoc imperando potest efficere, cum superat ejus authoritatem, neque impetrando, cum Deus nihil tale petenti promisit. 2. Quia institutio per tales ceremonias homogenea est institutioni per imagines, quæ damnanda est ut dictum. 3. Quia institutio per tales ceremonias est doctrina hominum, quæ in cultu Dei frustranea est, & damnatur. Matth. 15. 9. Correctio. Peccant ergò Pontificii infinitis talibus ceremoniis in cultu Dei populum docentes.

XXXVI. Obj. Pontif. præcc: Paulus mandat Ecclesiis omnibus, ut omnia decenter, & ordinè faciant. 1. Cor. 14. 40. Ergò institutio per ceremonias, quæ ad religiosam significationem ab hominibus instituuntur non est damnanda. Resp. Conseq. negatur: 1. quia neque ordo, neque decorum postulat, ut res aliquæ sacræ de novo ab hominibus instituantur; sed ut illæ quæ à Deo sunt institutæ, eo modo adhibeantur, qui earum dignitati convenit, ut dictum l. 1. c. 32. th. 26. & dicetur c. seq. th. 20. & seqq. 2. quia ordo & decorum non pertinet ad res sacras tantum; sed etiam ad officia civilia, in utrisque enim confusio, & indecorum sunt vitia opposita debito illi modo, qui requiritur ad eorum justum finem & usum obtinendum, ut dicetur etiam c. seq. th. 22. 23.

XXXVII. *Qui cultus voluntarii ab hominibus excogitati, & Deo indebiti adversantur sacramentis?*

1. Sacrificia propriè dicta, sive cruenta sint, sive incruenta, ut Pontificii fingunt de sua missa. Pontificii sactam Domini cœnam in sacrificium missæ transmutarunt. Definiunt illi missam sacrificium propitiatorium, quo Christus è pane transubstantiato per verba, Hoc est corpus meum, factus, manibus Sacerdotis offertur Deo pro vivis & mortuis, ad impetrandam remissionem peccatorum, & omnis generis beneficia. Sacrificium dicunt Papicolæ duplex esse, incruentum, quod fit cum sanguinis effusione, ut sacrificia typica V. T. & verum Christi: vel incruentum, quod fit sine sanguinis effusione, quale pontificii fingunt esse suam missam. Deinde, sacrificium est propriè dictum, ut omnia V. T. cruenta sacrificia fuerunt; vel impropriè dictum, ut sunt in N. T. bona opera, preces. Psal. 141. 2. Observa ergò.

1. In N. T. sacrificia propriè dicta sive cruenta, sive incruenta nulla dantur. Patet. 1. an ita sit. Matth. 28. 19. 20. ubi Ministri N. T. non jubentur sacrificare; sed tantum prædicare, sacramenta administrare, disciplinam exercere. 2. Cur ita sit. 1. quia in N. T. post Christum exhibitum omnia V. T. sacrificia

703147

sunt abrogata. Dan. 9. 27. Ioh. 1. 17. Colossi. 2. 14. 17. 2. qvia in N. T. nullum novum propriè dictum sacrificium est à Deo institutum: 3. Qvia Christi sacrificio semel oblato, non opus est nobis typis, qvi Christum offerendum esse significent, qvales typi fuerunt sacrificia V. T. sed opus est nobis typis, qvi Christum jam semel pro nobis oblatum obsignent, qvod ex instituto Dei faciunt sacramenta, n. Baptismus, & Cœna, sine sacrificiis. 2. Qvia Christus in N. T. tantum sex Deum colendi media instituit, ut dictum, th. 17. inter qvæ non recensetur sacrificium. 3. Qvia in N. T. præter Christū non est Sacerdos propriè dictus: non est hostia iterū offerenda: nō est altare: Ergò nō etiā est sacrificium propriè dictū. 4. Qvia in N. T. præter sacrificium Christi, nullū sacrificium est utile, & necessarium. Hebr. 10. 14. 2. Cor. 5. 12. Refutatio. Ergò errant pontificii in N. T. sacrificia propriè dictum offerendū esse credentes.

2. Missa Cœnæ Dominicæ adversatur. Patet. 1. an ita sit. Rom. 4. 11. ubi Cœna Domini definitur esse sigillum justitiæ fidei; sed Missa definitur esse sacrificium propitiatorium, &c. 2. Cur ita sit. 1. qvia Domini cœna est sacramentum: Missa fingitur esse sacrificium; Atqvi sacramentum, & sacrificium longè differunt. 2. qvia in Cœna Domini est verus panis, & verum vinum: In Missa finguntur tantum esse species accidentales panis & vini. 3. qvia in Cœna Domini Christus nobis manducandus exhibetur, qvi ex virgine Maria est natus, virtute Spiritus Sancti: in Missa, qvi ex pane, & vino à sacrificulo est creatus: uti blasphemè docent pontificii. 4. Cœna Domini testatur, nos habere plenam remissionem peccatorum, propter unicum Christi sacrificium in cruce semel peractum: Missa negat vivos & mortuos habere remissionem peccatorum, nisi qvotidie Christus per sacrificulos Papales offeratur. 5. Cœna Domini docet Christum corpore suo jam abesse à terris, & demum sub extremum judicium redituū: Missa fingit eum in innumeris locis in terra jam esse. 6. Cœna Domini instituta est tantum pro vivis: Missam celebrant Pontificii etiam pro mortuis. 7. In cœnæ suæ administratione Christus jusit omnes edere, & bibere: In Missa sacrificulus hostiam in tres partes dividit, qvarum unam ipse solus comedit, alteram in calicem demergit, tertiam servat. Et sic pro sacro convivio nonnisi inane spectaculum præsentibus exhibet. 8. Cœna non obsignat nisi bona in Evangelio promissa, & Christi morte parta: Missa qvibusvis bonis corporalibus ex opere operato procurandis apta & efficax esse fingitur. Refutatio. Ergò errant Pontificii, qvi Missā utuntur pro Cœna Dominica.

3. Missa non est verum, propriè dictum & divinum sacrificium. Patet. 1. an ita sit. Dan. 9. 27. ubi prædicitur in N. T. nullum propriè dictum sacrificium, præter Christi sacrificium, futurum esse. 2. Cur ita sit. 1. qvia Missæ sacrificium non nititur expressis scripturæ verbis, è qvibus constet à Deo id esse institutum. Ergò sacrificium verum, & divinum non est. Antecedentis veritas illustrabitur, productis illustrioribus scripturæ locis, qvibus Papicolæ opinan-

703147

tur hoc niti sacrificiũ. 2. Missa non habet victimã externã, & visibilem, qvæ patiendo offeratur: qvalis in omnibus fuit divinis sacrificiis propriè dictis: Ergò. Antec. prob. Qvia Christi corpus, & sangvis, qvam hujus sacrificii victimam esse ajunt, in Missa nec est, nec videtur, nec jam temporis pati potest. 3. Missa in Deum est contumeliosa. Non est ergò sacrificium divinum. Anteced. prob. qvia in ea à sacrificulo impuro Deus rogatur per Christum, ut filium suum oblatum recipiat, sibiqve victimam ejus gratam habeat, & benedicat, adeoqve pro filio Dei apud Deum intercedit infœlix homo. 4. In Missa non immutatus Christus modo glorioſus. Ergò verum, & externum ac propriè dictum sacrificium non est. Ratio conseqventiæ, qvia nullum nobis scriptura describit externum, propriqve dictum sacrificiũ, in qvo hostia nõ mutetur. Videantur loca. Exod. 29. Levit. 1. 2. 3. 5. Christus in Missa nõ offertur, vel ut satisfaciat pro peccatis nostris, vel ut satisfactio semel præstita in cruce nobis applicetur. Ergò planè non offertur. Ratio conseqventiæ, qvia tertia non potest dari causa, ob qvam offerri eum oporteat. Antecedentis pars prior de satisfactione è scripturis manifesta est: siqvidem semel in cruce, & qvidem perfectissimè pro omnibus peccatis nostris satisfecit, & in resurrectione de peccato plenissimè expiato triumphavit. Observetur & hæc ratio. Si Christus Missæ sacrificio etiamnum pro nobis satisfaceret, utiqve etiamnum pateretur, & moreretur. At falsum hoc. Connexi ratio est: qvia satisfacere pro aliqvo

aliqvo est præstare & pati, qvod alius tenebatur præstare & pati. Atqvi ad mortem nos propter peccatum cõdemnati eramus. Posterior pars de applicatione satisfactionis, & ipsa falsitatis, & vanitatis facilè convincitur: contra qvam, qvia à pontificiis urgeri solet, seqventia obseventur argumenta.

1. Si ideò sæpius iterandum est Christi sacrificium, ut fructus ejus nobis applicetur, sequitur, etiam incarnationem, & resurrectionem sæpiùs esse iterandam, ut fructus ejus nobis applicetur. Atqvi falsum conseqvens: Ergò & antecedens. 2. Si Missa est applicatio sacrificii Christi: Ergò non est ipsum Christi sacrificium. Aliud enim est applicatio, aliud id qvod applicatur. 3. In sacramentis Baptismi, & Eucharistiæ nobis verè applicatur fructus sacrificii Christi: Ergò peculiari in hãc rem non est opus sacrificio: qvod ab Eucharistia essentialiter distinctum esse Pontificii docent. Becan. de Sacram in specie c. 25. q. 8. §. 2. 4. Media externa applicandi fructum sacrificii Christi in scriptura nobis nulla exprimuntur, præter verbum DEI, & verbi sigilla, nempe sacramenta. Interna qvoqve non nisi duo sunt efficacia, Spiritus Sanctus & fides. Hactenus qvintum nostrum argumentum principale. 6. Scriptura inter sacrificium in cruce semel factum, & adventum ejus ad ultimum judicium, nullum inter medium commemorat sacrificium; sed unicum N. T. Sacerdotem pro nobis porrò interpellare tantum docet. Igitur humanum, & fictitium est Missæ sacrificium. 7. In novo Testamento Sacerdotes pro-

703147

priè sic dicti præter Christum nulli sunt. Ergò nec sacrificium, præter id quod semel in cruce peractum. Anteced. prob. quia ea est ratio Sacerdotii in N. T. ut idem sit Sacerdos, qui & victima est: Atqui victimæ, opinor, esse sacrificuli Papales non expetent. 8. Si Missa pro sacrificio propriè dicto esset habenda, procul dubio id inde esset, quod Christus in prima Eucharistiæ institutione se ipsum sacrificâsset, & tanquam victimam obtulisset. Atqui falsum consequens: Ergò & anteced. Assump. prob. 1. Quia sacrificii propriè dicti in Eucharistia prima à Christo oblati ne minimam quidè suspicionem ingerunt verba institutionis. 2. Quia Christus dicitur semel tantùm passus, & ejus oblatio unica. Hebr. 9. v. 25. 28. & 10. v. 14. 12. 3. Quia oblatio Christi vera, & propriè dicta consistit in ejus morte, quæ secuta est Eucharistiam. 4. Quia sacrificium illud fuisset imperfectum, vel perfectum: imperfectum sine blasphemia dici nequit: perfectum si fuit, cur postmodum est iteratum? Ratio iterandorum sacrificiorum olim alia nulla erat, nisi imperfectio eorum: ut epist. ad Hebr. docet cap. 10. v. 11. Refutatio. Ergò errant Pontificii Missam N. T. sacrificium propriè dictum à Deo institutum esse credentes. Objiciunt:

1. In V. T. prædictum fuit fore aliquod verum & propriè dictum sacrificium in Ecclesia Christi. Ergò id Missæ est sacrificium. Anteced. prob. allegatione aliquot Vaticiniorum. Prov. 9. 1. Sapientia immolavit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam. Isaiæ 19. v. 21. Cognoscent Ægyptii Dominum in die illa, & colent illum in hostia, & muneribus. Ieremiæ 33. v. 17. Non interibit de David qui sedeat super thronum domus Israel, & de Sacerdotibus, & Levitis non interibit vir à facie mea, qui efferat holocautomata, & cædat victimas omnibus diebus. Dan. 12. v. 11. Dicitur Rex quidam ablaturus juge sacrificium: quod sacrificium Missanicum interpretantur. Malach. 1. v. 11. 12. ubi de gloria N. T. Deus loquens ait: In omni loco sacrificium adfertur nomini meo, & munus purum. Respo. Conseq. negatur. Sacrificium in Ecclesia Christi propriè sic dictum unicum est, quod in ara crucis ipse Christus obtulit; & hoc in V. T. prædictum fuit imprimis Iesaiæ 53. & Dan. 9. v. 26. 2. Antecedens allegata vaticinia non probant: vel enim loquuntur de sacrificiis legalibus: vel de sacrificiis impropriè dictis. De legalibus accipiendus est locus Danielis 12. quæ per Antiochum Epiphanem interruptum iri Propheta prædicit. De impropriè dictis, hoc est spiritualibus, omnia reliqua vaticinia accipiuntur: ubi observandum, stylo Prophetico spiritualia describi metaphoricè per externa legalia. Sunt autem illa N. T. sacrificia spiritualia, & impropriè dicta, vel ipsæ gentes ad Deum conversæ, & Deo per fidem oblatæ: vel gentium conversarum fides, spes, charitas. Si propriè accipiendus esset locus Ieremiæ 33. in N. T. etiamnum holocausta propriè dicta essent offerenda, & quotidiè cædendæ victimæ.

2. Christus est Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Ergò instituit sacrificium sub specie-

703147

speciebus panis, & vini, qvod est Missaticum. Anteced. prob, Hebr. 7. v. 11. Ratio consequentiæ, qvia Melchisedech obtulit panem, & vinum. Gen. 14. v. 18. Qvi typus fuit sacrificii à Christo instituendi. Resp. Conseq. negat: probatio partim inconseqvens est. Falsum est, panem, & vinũ à Melchisedecho esse sacrificatum: non sacrificavit ille; sed protulit panem, & vinum, ad reficiendum Abrahamum eiusqve servos, & milites: & si maximè panem, & vinum sacrificâsset, non tamen necessariò seqveretur, à Christo qvoqve hujusmodi sacrificium fuisse instituendum: siqvidem per sacrificia vetera nonnisi unicum Christi in cruce oblatum sacrificium est adumbratum. Est autem Christus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, non Aaronis, cum propter multas alias causas, qvæ exprimuntur ad Heb. 7. tùm vel maximè propter hanc, qvod Sacerdos sit in perpetuum, & Successorem habeat nullum, uti Aaron habuit. v. 17. 23. 24. 3. In Eucharistiæ mysterio sunt omnia qvæ requiruntur ad sacrificium. Ergò est propriè dictũ in ea sacrificium, idqve divinum. Anteced. prob. 1. est Sacerdos, qvi offert. 2. est hostia qvæ offertur, Christus. 3. est Deus, cui offertur. 4. est Ecclesia, pro qva offertur. 5. est altare, in qvo offertur. 6. est actio sacrificandi. Resp. Anteced. falsum est; probatio partim insufficiens, partim falsa, & inconseqvẽs est. Insufficiens: qvia omittitur institutio divina, sine qva nullum est sacrificium divinum. Falsa: jam temporis, præter Christum, in N. T. non est Sacerdos propriè dictus; non est hostia

hostia iterum offerenda: non est altare, nec sacrificandi actio. Inconseqvens: qvia illicò non seqvitur divinum, & propriè dictum esse sacrificium, si Deus sit, cui offerti & Ecclesia, pro qva offerri possit.

4. Missæ sacrificium est contumeliosum Christi sacrificio. Patet. 1. an ita sit. ex. Hebr. 10. 14. ubi oblatio Christi unica, seu una vice facta dicitur; sed missa oblationem Christi repetendam, seu multis vicibus faciendam esse docet. Sic. Hebr. 7. 27. 2. Cur ita sit. 1. qvia Christi sacrificium arguit imperfectionis, qvando ad remissionem peccatorum id non sufficere blasphemè affirmat: nisi qvotidiè iteretur. 2. qvia innumeros Christo Sacerdotes adjungit. Atqvi Sacerdos N. T. non est nisi unicus. Hebr. 7. v. 23. 24. Excipiunt: primarium N. T. Sacerdotem non esse nisi unicum: sed hoc non obstare, qvo minus sint plures secundarii, qvorum ministerio Christus se offerat Patri. Resp. 1. Ita non distingveretur N. T. à veteri. Nam & in veteri primarius nonnisi unicus fuit: reliqvi secundarii. 2. Secundarios N. T. Sacerdotes nullos scriptura agnoscit, nec nisi unicum nobis commendat sacrificium N. T. idqve semel oblatum, & nunqvam iterandum: qvia nonnisi semel patì Christum oportuit. Hebr. 9. v. 25. 26. 3. qvia corporalem Christi in terris præsentiam fingendo, negat ipsum esse Sacerdotem. Nam si in terris adhuc esset, Sacerdos non esset. Hebr. 8. v. 4. 4. qvia in missa blasphemè fingit sacrificulus se esse creatorem sui creatoris. Unde horrendum illud: Qvi me creavit sine me, jam

703147

iam creatur mediante me. Refutatio. Ergò errant Pontificii Missam Deo gratissimam, & placentissimam esse docentes.

5. Missæ sacrificium non est expiatorium, seu propiriatorium, hoc est, per & propter Missæ sacrificium peccata non expiantur. Patet 1. an ita sit. Hebr. 10. 14. Sic. 1. Ioh. 1. 7. & 2. v. 2. 2. Cur ita sit. 1. qvia sacrificium verè expiatorium nullum est sine destructione victimæ: ut patet ex inductione omnium, ipsúsqve Bellarmini confessione. Atqvi corp. Christi in Missa destrui, non audent Pontificii asserere. 2. qvia nulla fit peccati expiatio absqve fusione sangvinis: Hebr. 9. v. 22. Atqvi in Missa Christi sangvinem fundi negant Papicolæ: Unde sacrificium Missæ nominant inermentum, non sine contradictione: siqvidē sacrificium expiatorium non est nisi cruentum. 3. qvia sacrificium expiatorium nullum est, nisi hostia est visibilis, externa, & corporaliter præsens. Talis verò hostia non est in Missa. 4. qvia sacrificium expiatorium nonnisi unicè nobis scriptura commendat, nempe qvod semel in cruce est peractum. Correctio. Blasphemi ergò sunt pontificii, qvod id, qvod DEI, & oblationis Christi est, fictitiæ suæ Missæ tribuant.

XXXVIII. 2. Nova qvinqve figilla (n. cōfirmatio, pœnitentia, ordo, extrema unctio, cōjugium, de qvibus l. 1. c. 40. ad th. 3.) ad aliqvam Dei gratiam obsignandam ab hominibus Pontificiis ordinata, adversantur sacramentis à Christo Domino ordinatis. Additur. ad gratiam aliqvam Dei obsignandam ordinata: qvia

H856 1933 gyarapodási naplószám.

703147

RMK II/1354